This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Nec enim is ſum, quamvis æmuli vulgo id jactitent, qui conjecturas meas pro demonſtrationibus accipi velim. Sed nec eo ingenio natus, nec ita etiam tibi notus, ut nunquam ne in minimis quidem cedere paratus ſim, quamvis & hoc quoque nomine, qui mihi malè volunt, me traducere geſtiant. Et maximè eorum hominum iniquitas, ea in re cernitur, dum me ſomniis meis, dum Helleniſticam, pro qua pugnant ipſi, impugno, nimium indulgere objectant, eaque ſomnia probationum inſtar obtinere poſtulem. Egone an illi huic culpæ & vitio ſimus affines, bonis & doctis qui nec gratia, nec odio moventur, tibique in primis, quia talis es, eruditiſsimus ſimul idemque optimus, dijudicandum relinquo, amiciſsime Lati. Dicerent aliquid quod contra me faceret, nec in vanum jactare viderentur, ſi paradoxon aliquod defenderem, & à communi omnium ſæculorum opinione recederem, quæ Helleniſticam tam re quam nomine noviſſet, eam-

Digitized by Google

que dialectis Græciæ adnumeratam. Sed cum ipſi ſint, quibus vetuſtas hac in re diſplicuit, novitate recepta: qui commentum hoc primi procuderunt: qui à via communi & trita abſtiterunt, ut ſemitam ſibi ex animi libidine facerent: qui denique nulla ratione adducti, nulla auctoritate ſubnixi, in numerum cenſumque dialectorum Græciæ per vim intruſerunt neſcio quam, cujus & nomen priſcis incognitum, & contra notionem ac proprietatem vocabuli Græci formatum confinxerunt, nonne ipſos eſſe veriſsimè poteſt objici, qui conjecturas ſuas pro demonſtrationibus obtrudunt? Qui primi hujus linguæ, nominiſque, quo vocatur, inventores extiterunt, poſſent adhuc vivere, ſi de macrobiorum genere fuiſſent. Et illis quidem commentum ſuum defendentibus, cujus & auctores fuere, utcunque ignoſci debere exiſtimarem. Qui vero eos ſequuti ſunt, citra veniæ ſpem peccare mihi videntur, dum alienis placitis adhærentes, ſolo

novi-

Digitized by Google

novitatis ambitu, nullo rationis ſubſidio, de dilatandis etiam hujus dialecti finibus laborarunt, quos admodum anguſtos primi ejus fundatores reliquerant. Cum viderent ſe gratia inventionis vigere non poſſe, quod primum erat, ſecundum ab hoc locum occupare contenderunt, ut reperta ampliarent. Tam id quod ab *illis* principibus repertoribus proditum, quam quod ab iſtis, qui veſtigia eorum ſublegerunt, adinventum, ſolo nititur genere conjectaneo. Vt autem non ſomniant illi qui ſompia ſua recitantibus, vana illa eſſe pronúntiant, & hoc ipſo ea refutant quod ſomnia ſint: ita conjecturas ſuas adſtruentibus, qui negant eſſe verum quod eo modo aſſeritur, non ipſi pro conjectoribus ſunt habendi, ſed illi quos ut tales retundunt. Sint ergo conjectores, hariolatores, ſomniatores, quos eſſe tales res ipſa arguit, cum nihil minus quam hoc videri debere res eadẽ probet eos à quibus redarguuntur. Quis prodidit Helleniſticam, diale-

cton fuiſſe peculiarem, præter quinque Græcis cognitas, in Aſia & Oriente toto uſitatiſſimam? Certe non ego. Atqui ex mera conjectura, quæ nulla fulcitur probatione, id ab iſtis prodiit qui primi hujuſmodi figmentum excogitarunt. Quis porro eam Helleniſticam Iudæis omnibus per totum terrarum orbem diſperſis, ſub quocunque aëre, vel in quocunque loco conſiſterent, exceptis Iudæa & Heroſolymis, communem eſſe linguam cum Græcè loqui vellent, hariolatus eſt? Nec ego profecto hujus auctor conjecturę fui, ſed illi qui nullo argumento, nulla ratione hoc ſuum commentum probarunt, ſed conjectando tantum adfirmarunt. Quis ſcripſit Iudæos originarios Scriptura Græcè verſa uſos eſſe in Synagoga? Nec mihi hoc adfingi queat, qui ſciam falſum id eſſe, quod tamen pro vero ponitur ab iis qui quod volunt conjiciunt, non demonſtrant. Quis denique opinatus eſt, eam eloquutionem quæ animi ſenſa verbis Græcis

Græcis & compoſitionibus Hebraicis eloquitur, Helleniſticam eſſe appellandam? Non me eſſe dicent qui hoc autumem, cum rei qua de agitur id nominis cõgruere ſemper negaverim. Vtpote alienum à notione quæ hic requiritur, cui contrariam habet ſignificationem. Qualis ultimo, aut quorum fuit ea aſſertio quæ *Helleniſtarum* nomine donandos affirmat, omnes Iudæos in omnibus orbis terrarum partibus conſtitutos, præter ſolos Iudææ incolas quos *Hebraiſtas* cenſent nuncupandos? Nonne ὀνειροπολοῦντας auctores habuit, & intra nudam conjecturam ſtetit, nulla ratione firmatam, & omni genere probationis deſtitutam? Quid ipſe ago in hac quæſtione tractanda? Quæ meæ partes ſunt? Enimvero ſolum id mei muneris eſſe credidi, ut non conjecturis pugnarem, ſed conjecturas oppugnarem: ut ſolida argumenta, veras demonſtrationes, & veteres auctoritates iis refellendis opponerem. Non meum itaque fuit negotium, in hac

Digitized by Google

controverſia explicanda, conjecturis, hariolationibus & ſomniis indulgere, ſed eos potius qui talibus præſtigiis, fibulam laxarent, valide conſtringere. Negavi verum eſſe, quod adſtruxerunt, de Helleniſtica dialecto, in Aſia & Oriente celebri: quæque à Græca eo modo differret, quo Italica hodierna diſtat à Latina antiqua: De Iudæis exulibus, quaſcunque terrarum oras incolerent, hac dialecto quaſi propriè utentibus: De nomine Helleniſticæ ei dialecto impoſito, quæ Hebraica Græcis admiſcet: De Helleniſtis denique Iudæis qui Græcè loquerentur, & Græca Bibliorum tralatione in Synagogis ſuis per totum terrarum orbem uterentur, exceptis Heroſolymitanis & Iudæam incolentibus. Sufficiebat ſimpliciter negare quod illi ſimpliciſſimè adfirmabant. Omnia quippe eorum argumenta & probationes in ſolis conjecturis ſitas eſſe nemo non videt. Nullos auctores promunt, nullas rationes afferunt quibus dictata ſua confirment. Si ſatis ſibi
eſſe

Digitized by Google

eſſe crediderunt, id aſſerere quod ſentiunt, & nobis ſatis ſit, qui in contraria ſententia ſumus, ſimili modo eam adſtruere. Ajunt, nego. Probatio adfirmanti incumbit. Cum ſola negatione totum negotium conficere poſſem, rationibus, auctoritatibus ac demonſtrationibus agere volui, quo ſic ſe magis convictos & confutatos faterentur. Helleniſticam primum oſtendi veteribus tam re quam nomine fuiſſe incognitam. Præterea quod magis ad rem pertinet, id nomen non convenire demonſtravi ei eloquutiotionis generi, quod Hebraica Græcis habet immixta. Et rationem hanc adjeci, quia Græci ἀνελλήνιστον appellant quidquid merè Græcum non eſt, ſed alias voces aut phraſes ex peregrino mutuatas, & inſertas naturali ſuo corpori præfert. Iudæos omnes in diaſpora habitantes, ubicunque locorum in orbe univerſo degerent, ea lingua Helleniſtica quæ pro dimidiata parte Græca eſt, adfirmant. Ego vero eam opinionem conſiſtere non poſſe, certa

Digitized by Google

ac ſtabili ratione comprobavi. Non enim veriſimile eſſe, nec videri verum poſſe, Iudæos in Perſide, & in India natos, in Italia & aliis Occidentis partibus genitos & educatos, in quibus nullus eſſet apud plebem Græcæ linguæ uſus, Græcam loquelam uſurpaſſe. Quod idem eſt ac ſi quis dicat, Iudæos hodie Germanos, Luſitanos & Italos, linguæ Gallicæ uſum habere promiſcuum, quia frequentatur hæc lingua in aulis Principum Germaniæ, Italiæ & Hiſpaniæ, & à peritis linguarum qui in illis locis verſantur, etiam ſolet uſurpari. Idem argumentum valet ad eos repercutiendos qui volunt Helleniſtas proprie appellatos Iudæos qui ſola excepta Iudæà reliquas omnes orbis regiones incolerent, eoſque Græcã linguam in Synagogis ſuis celebraſſe cum Scripturas legerent. Contra hæc diſſeruimus, ac demonſtravimus quos Ἑλληνιστὰς Græci appellant, eos eſſe qui linguæ Græcæ ex æmulatione ac ſtudio adeo gnari ſunt, ut cum germanis Græcis poſ-

ſint,

ſint de linguæ puritate contendere. Ita dictos Ἀττικιστὰς qui in lingua Attica idem præſtarent. De his Helleniſtis intelligendum eſſe Græcum Scriptorem qui ſcripſit, τοὺς Ἑλληνιστὰς de Philone dictitare ſolitos, aut Φίλωνα πλατωνίζειν, aut Πλάτωνα φιλωνίζειν. Illos autem Ἑλληνιστὰς quorum in Actis Apoſtolorum fit mentio de proſelytis Græci generis accipi oportere ſic appellatis, quod ſimpliciter ἑλληνισμῷ, hoc eſt Græco ſermone uterentur. Duplici quippe modo verbum Ἑλληνίζειν apud Græcos ſumi, generali primum notione de quocunque Græcum ſermonem uſurpante, cum opponitur omni alii peregrinæ & externæ loquelæ. Inde & in Actis illi ἑλληνισταὶ opponuntur Hebræis, id eſt Iudæis Hebraico ſermone ſive Syriaco utentibus. Nam illo tempore Syriaca lingua, quæ vulgo tunc in Iudæa ac Hieroſolymis increbuit, ἑβραῒς vocabatur, & ἑβραϊκὴ διάλεκτος, ut ex multis Novi Teſtamenti locis conſtat. Vt hoc ſenſu porro ἑλληνισμὸς qui abſo-

abſolutè Græcus eſt ſermo, βαρβαρισμῷ opponi ſolet, ita ἕλλην & βάρβαρος inter ſe loquendi ratione diſcernuntur. Et quemadmodum Græco homini, & Græcè loquenti omnis qui peregrina lingua utitur, ſive illa pura ſit, ſive ex duabus peregrinis mixta, ſive etiam partim ex peregrina, partim ex Græca concreta, ut Carica fuit dialectus, barbarus eſt, non dubium eſt quin Helleniſtica lingua quæ Hebraiſmis tota referta eſt, ad Græcam comparata puram, barbara etiam cenſenda ac vocanda ſit. Strictiore ſignificatu ut docui, τὸ ἑλληνίζειν de his qui nitidius & ornatius loqui Græcè ſtudent: Vnde ἑλληνιστῶν, de quibus dixi, appellatio nata, ut & Α'ττικιστῶν. Quod autem ἑλληνιστὰς illos Iudæos Græcæ linguæ uſum in Synagoga adhibuiſſe aſſeverant, & Græcam Bibliorum tranſlationem prælegiſſe, non vident id à ſe adferri non poſſe, quin ſibi miſerrime contradicant. Ajunt quippe Septuaginta interpretes ἑλληνιστὰς fuiſſe, atque ita eos paſſim indigetant. Atqui

Digitized by Google

qui cum illi primæ auctores fuerint tranſlationis Bibliorum quæ Græcis innotuit, ante illam verſionem nemo Iudæus, ubicunque terrarum degeret, potuit Scripturam Græce in ſua Synagoga legere, cum ad id temporis nulla eſſet quæ legi poſſet. Cæterum ut definiant ſuos Helleniſtas Iudæos, hoc etiam quaſi alterum definitionis membrum proponunt, quod in Synagoga Græcam tranſlationem Bibliorum uſurparint. Præterea Iudæos ἑλληνιστὰς eos appellatos perhibent ſolos, qui extra Iudæam in varia orbis loca diſperſi ac diſſipati degerent. Cur ergo Helleniſtas appellandos cenſent Septuaginta interpretes, quos *Hieroſolymitanos* fuiſſe inter omnes fere convenit? Alterum autem hoc fuit eorum in definiendis Helleniſtis Iudæis effatum, quod omnes Iudæi exules ita vocarentur. Omnes autem exules exiſtimandi præter illos qui Iudæam inhabitabant. At in his Iudææ incolis Septuaginta interpretes qui Hieroſolymitani fuere. Non ergo

ἑλλη-

Digitized by Google

ἑλληνισταί. Aut ſi Helleniſtæ, ea quæ ab ipſis allata eſt, Helleniſtarum definitio, duabus partibus conſtans, utraque parte falſa deprehenditur. Nam & nullas Græcas Scripturas in ſuis Synagogis concelebrabant tales Helleniſtæ, & in Iudæa ipſiſque adeo Hieroſolymis habitabant. Quid ergo inde colligimus? Non fuiſſe Helleniſtas Septuaginta interpretes, & hoc nomen Iudæis ex eorum definitione competere, qui extra Iudæam degerent relegati, & qui Septuaginta Interpretum tranſlatione Græca in Synagogis uterentur. Hoc ergo videndum, an Iudæi aliqui poſt editionem Septuaginta interpretum extiterint, qui eam in legenda publicè Scriptura adhiberent, & an in diaſpora tantum extra Iudæam vixerint. Quod ad ultimum hoc attinet, cum & ipſi velint Scriptores omnes Novarum Tabularum Helleniſtas quoque extitiſſe, certum eſt ex hac aſſertione aliquos exituros Helleniſtas qui exules non erant, & in media Iu-

Digitized by Google

dæa conſiſtebant. Pleroſque certe Apoſtolorum Iudæos origine conſtat fuiſſe, & in Iudæa vixiſſe, poſt mortem autem Chriſti diutinum Heroſolymorum incolatum tenuiſſe. Ita ſecundum alteram definitionis de Helleniſtis partem non fuerunt Novi Teſtamenti auctores, Helleniſtæ, aut ſi fuerunt, claudicat illa parte definitio. An porro Iudæi aliqui originarii Biblia Græcè ex Septuaginta interpretum editione legere ſoliti ſint in Synagogis, quærendum eſſet, niſi jam deprehendiſſemus & inveniſſemus, hoc nuſquã ab ullis Iudæis ullo in tempore factitatum. Præter rationes quas ſuo loco attulimus, teſtimoniis etiam veterum id confirmare poſſumus. Nazaræi ex Iudæis Chriſtiani fuere, qui & legem obſervarunt. Cum ad legis cærimonias adjunxiſſent doctrinam ac fidem Chriſti, hoc etiam ex Iudaiſmo retinuerunt, ut Græca lingua in ſacris ſuis non uterentur, quantumvis ea lingua conſcriptum eſſet Novum Chriſti, cujus fidem amplexi fuerant, fœdus.

Digitized by Google

Propterea ſolo κατὰ Matthæum Euangelio apud illos locus fuit, quia Hebraicè ab ipſo Matthæo primitus conſcriptum erat. More itaque Iudæorum non ſolum Vetus Teſtamentum Hebraicè tantum legebant, ſed etiam eam novi partem, quæ illo idiomate concepta eſt, reliquis refutatis quæ Græco ſermone ſcriptæ fuerant. De his Nazaræis ita Epiphanius ſcribit: Ἑβραϊκὴν δὲ διάλεκτον ἀκριβῶς εἰσὶν ἠσκημένοι. Παρ' αὐτοῖς γὰρ πᾶς ὁ νόμος, καὶ οἱ προφῆται, καὶ τὰ γραφεῖα λεγόμενα, φημὶ δὲ τὰ στιχηρὰ, καὶ αἱ βασιλεῖαι, καὶ παραλειπόμενα, καὶ Αἰσθὴρ, καὶ τἄλλα πάντα ἑβραϊκῶς ἀναγινώσκον), ὥσπερ ἀμέλει καὶ παρὰ Ἰουδαίοις. Dicit eos univerſam Scripturā ſacram Hebraicè legiſſe, quomodo omnino & Iudæi ſolerent, ὥσπερ ἀμέλει καὶ παρὰ Ἰουδαίοις. Ergo Iudæi tempore Epiphanii Scripturam Hebraicè tantum legere ſoliti erant, non alia lingua. Differentia illa Iudæorum Exulum quibus ἑλλήνιστῶν nomen proprium aſſignant, & non exulum qui Iudæam habitarent, nulla Epiphanii ſæculo fuit.

Nam

Nam poſt excidium templi, omnes Iudæi exules, ut qui amiſſo templo, & urbe, eadem conditione omnes attinerentur. Nulli ergo tunc Hebraiſtæ Iudæi, & tamen omnes, ut teſtatur Epiphanius, Scripturam Hebraicè legebant, ut & ipſi Nazaræi Chriſtiani, qui ab origine Iudæi. Quo loco eos Iudæos Nazaræos conſtituent Helleniſticarii doctores, aut quo nomine ſtatuent appellandos? An Hebraiſtarum? Ita apparet. Nam ſolam linguam Hebraicam excolebant, cum Græca nihil commercii habebant. Nec ergo quicquam illis commune cum nomine Helleniſtarum, quantum ad linguam attinet Helleniſticam. At in urbe Berœa iidem habitabant extra Palæſtinam. Sic fuerint hac parte Helleniſtæ, ſiquidem hoc nomine nuncupati qui in exilio extra Iudæam incolerent. Quinimo idem Epiphanius Nazaræos iſtos ex illis oriundos teſtatur, qui obſidionis tempore, divino monitu Hieroſolymis Pellam conceſſerant. Iudæos Epi-

Digitized by Google

phanius in univerſum negat alia lingua Scripturas in Synagogis legiſſe, quam Hebraica. Nec alium fuiſſe morem teſtaturNazaræorum quamvis Chriſtianorum, quia etiam illi ab origine Iudæi, qui Chriſto nomen dederant, & hac in re morem Iudæorum ſervabant, ut nullas ſcripturas Novi Teſtamenti haberent, & legerent, præter illas quæ Hebraicè ſcriptæ erant. Nec poteſt Epiphanii locus accipi de ſolis Iudæis, Iudæam incolentibus, cum dicit, Iudæos Hebraice tantum Scripturas legere ſolitos. Nam de omnibus intelligit, quia tunc temporis omnes erant exules, ſine urbe, ſine templo, & extra Iudæam ipſam omnes extorres. Si quiſquam Iudæorum Græcas Scripturas frequentavit, de illis id maxime verum qui in Græcia nati, Græcæ linguæ uſum cum lacte imbiberant. Nec tamen magis veriſimile Græcos Iudæos uſurpaſſe in Synagogis Septuaginta interpretum Græcam Editionem, quam nunc id verum eſt de Iudæis Germanis,

Italis,

Digitized by Google

Italis,& Luſitanis. Vt enim iſti, quamvis eorum locorum in quibus nati & inſtituti ſunt, loquela imbuti habeantur, non ideo Germanicè aut Italicè aut Luſitanicè verſa Biblia in Synagogis legunt, ſed pura puta Hebraica, quæ & pueris ſuis diſcentibus inſinuant. *Si* qui Iudæi uſi ſunt verſione *Bibliorum* Græcanica à Septuaginta *ſeni*oribus prodita, docuimus non origine illos fuiſſe Iudæos, ſed propaginem Græcorum proſelytorum, qui non minus Iudæi vocabantur ob religionem. Tantus eorum numerus Romæ fuit, ut ad quatuor millia generis libertini ſub Tiberio Iudaica ſuperſtitione imbuta tradat Tacitus Annali ſecundo, ubi actum ait tam de Ægyptiacis quam de Iudaicis ſacris pellendis. Et quod adjicit quatuor millia libertini generis ea ſuperſtitione infecta, quamvis ad Ægyptiacam etiam referri poſſit, de Iudaica tamen præcipuè intelligendum eſt, quæ maxime tum Romæ viguit, ut ex Horatio liquet; quo teſte ſcimus maximam tur-

bam Iudææ religioni Romæ opera-
tam. Quod dictum ſit iis refellendis,
qui non putant tantum fuiſſe proſęly-
torum Græcorum multitudinem, ut
Helleniſtæ nomen in Actis inde ha-
bere potuerint, & Hebræis opponi
debuerint. Sciendum autem eſt, longe
majorem libertorum & libertinorum
partem Romæ ex Græcia veniſſe.
Quod paſſim teſtantur in ſcriptis Ro-
manorum auctorum libertorum no-
mina Græcanica. Ex eo genere Pro-
ſelytorum Græco quidam Hæretici,
ut Hebionæi, Paulum eſſe memora-
bant, non alia ratione quam quia
Tarſenſem oriundo ſe fuiſſe ipſe præ-
dicat. De his Epiphanius ita narrat, de
Paulo loquens: *Πρῶτον μὲν λέγουσιν
αὐτὸν Ἕλληνά τι καὶ ἐξ ἐθνῶν ὑπάρχειν, προ-
σήλυτον δὲ γεγονέναι ὕστερον.* Nihili eſſe hoc
argumentum ibidem oſtendit Epi-
phanius. Nam & Barnabam, qui Ioſe-
phus ante dictus, poſtea Barnabæ no-
men adoptavit, Levitam fuiſſe Lucas
in Actis tradit, genere Cyprium. *καὶ οὐ
πάντως*, inquit auctor ille, *ἐπειδὴ Κύπριος
ἦν*

ἦν ἀπὸ τοῦ Λευΐ. Καὶ ὁ ἅγιος Παῦλος, εἰ καὶ ἀπὸ Ταρσοῦ ὡρμᾶτο, οὐκ ἦν ἀλλότριος τοῦ Ἰσραήλ. Nos in hoc opere docemus Iudæos à locis in quibus naſcebantur denominatos, & eam patriam habuiſſe exiſtimatos. Hinc Cyprii, Cyrenenſes, Alexandrini, & Romani dicebantur, quorum natale ſolum in illis civitatibus. Nec idcirco tamen non cenſebantur nec appellabantur Iudæi vel Hebræi, quod aliam patriam habere viderentur quam Iudæam, eam nempe in qua exilii tempore vitalem auram primùm hauſerant. Et rationem eam ſubjicit Epiphanius: Διασπαρέντων γὰρ πολλῶν ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς, καὶ ἐν χρόνοις ἄλλοις εἴποτε συνέβαινε πόλεμος, αἰχμαλωτισθέντων, καὶ δοθέντων εἰς πολιορκίαν, οἱ μὲν αἰχμάλωτοι ἀρθέντες ἐπέμειναν ἐν τοῖς τόποις, οἱ δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας ἀναχωρήσαντες κατῴκουν ἕκαστος ἔνθα κατείληφεν. *Cum enim diſperſi eſſent plurimi temporibus Antiochi Illuſtris, aliiſque tempeſtatibus quibus bellum ingruerat, & in captivitatem ex obſidione dediti, qui ex his captivi abducti ſunt, in*

Digitized by Google

iis locis permanſerunt. Qui vero propter obſidiones diſceſſerunt, quo quemque caſus tulit, ibi conſtitere. Sed & ipſe Paulus, quamvis domo Tarſenſis, & oriundo Cilix, haud minus ſe Hebræum ex Hebræis eſſe clamat, & Iſraelitam & Abrahami progeniem. Certe & Iudęus revera fuit. Quis enim id negaret? Et falſa eſt diſtinctio quæ Hebræos à Iudæis ſeparat, atque Helleniſtas in Actis pro Iudæis accipit quia diſcernuntur ab Hebræis. Diſcrimen illud plane refellitur ipſius Scripturæ teſtimoniis, aliiſque quæ in opere retulimus. Vnum omiſimus quod extat in Epiſtola ad Corinthios prima, cap. 1. Qui Ἰουδαῖοι ibi vocantur in vulgatis atque editis exemplaribus, ea quibus uſus eſt Clemens Alexandrinus, Ἑβραίους illos vocitant. Is locum illum ita citat in Stromateo primo: Ἑβραῖοι μὲν γὰρ σημεῖα αἰτοῦσιν, ὡς φησὶν Ἀπόστολος, ἕλληνες δὲ σοφίαν ζητοῦσιν. Vt hodie legimus, ſic habetur apud Apoſtolum, Ἰουδαῖοι μὲν γὰρ σημεῖα αἰτοῦσιν. Nunc preſſius cum his congre-

diamur

diamur, qui Helleniſtarum & Hebraiſtarum Iudæorum diſcrimen induxere. Aut lingua aut locus Helleniſtam facit, aut utrumque. Vtroque Hellenifta fuerit Paulus juxta eorum determinationem. Nam & in diaſpora natus fuit, quales omnes Helleniſtas volunt fuiſſe, & præterea linguam Græcam calluit. Sit ergo bona fide Paulus Helleniſta. Nam in hujus nominis poſſeſſionem duplici ratione vindicatur. An negabunt fuiſſe Hebraiſtam? Certe etiam plus quam Hebraiſta fuit, qui αὐτόχρημα Hebræus, & ex Hebræis extiterit, ſi de ſe credimus ipſi. Ita & plus vice ſimplici etiam Hebraiſta extitit haud minus quam Helleniſta. Ex quo concludimus, Helleniſtam ſimul & Hebraiſtam eundem fuiſſe Paulum Apoſtolum, ac proinde vanam illam nominum differentiam, cum utrumque in eandem perſonam cadat. Quod locum concurrere volunt ad Helleniſtam conſtituendum, id etiam vanum falſumque ut cum in loco diaſporæ degentes Iu-

Digitized by Google

dæos ſolos Helleniſtas dicendos autumant, ab hac appellatione excluſis Iudææ & Hieroſolymæ incolis. Contrarium ex Scriptura firmatur, quia Actorum Helleniſtæ Hieroſolymitani fuere vel incolatu, vel origine. Satis eſt incolatu fuiſſe tales. Cum enim eos origine velint eſſe Iudæos, ſi ad originem accedat incolatus, nihil illis deeſſe poteſt quominùs puri puti & germani habeantur Iudæi, ac proinde etiam Hebraiſtæ, ſi Hebraiſtæ dicebantur proprie qui in patria ſua habitabant. Ergo & hac etiam parte Helleniſtarum & Hebraiſtarum appellatio in eandem perſonam cadit. Nugatoria igitur differentia qua diſtinguuntur. Reſtat igitur ut ſola lingua Helleniſtam faciat. Sed generali notione ſumendo omnis qui Græcè novit Helleniſta erit, cujuſcunque nationis fuerit. Sic Iudæus omnis ἑλληνίζων, id eſt Græcè ſciens & loquens, ἑλληνιϛὴς dici poterit, hoc eſt;ut loquitur Joſephus, ἑλληνικὸς τὴν γλῶτταν. Ita nulla loci diſcretione quicunque Hieroſo-

roſo-

Digitized by Google

roſolymitanus Iudæus, vel Cilix, vel Romanus, ſi Græcam linguam callebit, Helleniſta ſuo jure nuncupabitur, & Atticiſta qui linguæ Atticæ ſtudium affectabat. Inde exiſtet illa inter ipſos Iudæos differentia, ut Græcè gnari omnes, ex his ἑλληνισταὶ dicantur, Græcæ linguæ imperiti hoc nomine careant. Non ita tamen poſſe ſumi in Actis nomen. Ἑλληνιστῶν certum eſt. Eccleſia Chriſti tum primum numero diſcipulorum incrementum capiens, conſtabat, ut teſtatur Lucas, ex Hebræis & Helleniſtis. Helleniſtæ illi qui opponuntur Hebræis, ut diverſi, non poſſunt eſſe Iudæi origine. Vt tales, non diſtinguerentur ab Hebræis. Nam Hebræi omnino iidem cum Iudæis, ut demonſtravimus. Si Helleniſtæ acciperentur de eorum Iudæorum genere, qui Græcè callerent, & linguæ Græcæ doctrinam vernaculæ Iudææ adjunxiſſent, nec ſic quidem diſcernendi eſſent ab Hebræis. Nec enim Gallus qui Italicè ſcit, ab altero Gallo ejus linguæ imperito rectè diſcernatur,

Digitized by Google

tur ,ut ille quidem Gallus nominetur, qui Italicè novit, iſte eo nomine indignus videatur, quia neſciat. Non veriſimile autem eſt ullos Hieroſolymis tum vixiſſe Iudæos qui Græcam tantum linguam ſcirent, Hebraicam ignorarent. Cum Hebraicam dico, eam ipſam intelligo quæ tum ſic vocabatur, quamvis Syriacum potius eſſet idioma ab antiqua Hebraica multum diverſum. Ratione ergo caret, ut Hebræus ſive Iudæus Græcè ſciens, appelletur Helleniſta, & eo nomine ſeparetur ab Hebræo ſive Iudæo, & Græcè ignaro: Vox illa Ἑλληνιςὴς in Actis de gentili non poteſt exponi, quia nondum patebat eo tempore gentibus Ecceſia Chriſti. Supereſt, ut de proſelytis Græcis omnimodo intelligenda ſit. Hæc validis rationibus à nobis firmata, frivolis aliorum conjecturis oppoſuimus. Concedimus ergo Helleniſtas fuiſſe Iudæos, ſed religione ad quam acceſſerant per proſelytiſmum. At Iudæos & Hebræos cum legimus, propriè de Iudæis ori-

ginariis

Digitized by Google

ginariis intelligimus. Sic Ἰουδαίους & Ἰδουμαίους diſcernit Ammonius, qui Ἰουδαίους dici vult, quos origo tales dabat, cum Ἰδουμαῖοι proſelyti eſſent Iudæi ex Phœnicibus Syris. His Syris proſelytis Græci proſelyti ita opponuntur, ut ἑλληνισταὶ nominentur, id eſt, ἑλληνίζοντες προσήλυτοι, Græci generis & Græcæ loquelæ proſelyti. Iudæi cum peregrina aliqua lingua uterentur, id vocabant לועז. Ita vocabant peregrino vel exotico ſermone utentem, ſive barbarum, quacunque lingua is eloqueretur, dummodo Hebraica non eſſet. Si credimus Helleniſticariis, ἑλληνισταὶ iidem fuerint qui לועזים Hebræis. Itali Iudæi ſic appellantur, & aliarum provinciarum Hebræi. Sed & quoties Gallus, Hiſpanus, vel Germanus Iudæus vocem aliquam Hebræam vernacula lingua interpretari volunt, id eſt ejus provinciæ vel civitatis, in qua ſunt nati, idiomate, præmittere ſolent, בלעז, id eſt in lingua vernacula, ejus loci quem natalem habent. Iudæi fere omnes ut nunc ſunt, ita olim erant bilin-

Digitized by Google

bilingues. Præter originariam quæ ab antiquo Hebræa erat, & qua ſacra ſua celebrabant, vernaculam locorum in quibus naſcebantur, ediſcebant. In Græcia natus Iudæus Græcè ſciebat, in Italia Romanè, in Perſide Perſicè: in India Indice. Nunc ſimiliter Luſitani Iudæi Luſitanicam linguam tenent, Itali Italicam, Germani Germanicam. Vt ridiculum eſſet ſi quis hoc tempore diceret, aliquam linguam præter Hebræam totius orbis Iudæis eſſe communem; nec minus ſtultum eſt, ſi quis hoc idem de antiquis per terrarum orbem diſperſis aſſereret, nempe aliqua eos lingua imbutos fuiſſe, quæ promiſcua apud omnes eſſet, eaque Helleniſtica vocaretur. Quod ad eam Helleniſticam attinet per ſe ſumptam, quam volunt adeo nobilem, frequentem ac celebrem in toto Oriente fuiſſe, ut omnibus Iudæis cujuſcunque nationis forent, promiſcuè familiaris eſſet, ſola conjectura id adſtruunt, quam non alia conjectura deſtruo, ſed valida ſolidaque ratione. Sic enim

Digitized by Google

enim contra infero, non eſſe probabile linguam ſive dialectum adeo florentem, & tanti uſus per totum Orientem, & apud omnes quicunque in diaſpora degerent, Iudæos, omni antiquitati fuiſſe incognitam, inauditam & indictam. Vbi auctoritas ei ſtabiliendæ nulla adfertur, ratio quæ ad auctoritatem provocat, ſolidè valet. Aliam etiam haud minus idoneam de nomine improprio & alieno, immo & contrario, prompſimus. Sed convicti eò refugiunt, ut dicant ſibi ſatis eſſe, ſi detur non Demoſthenicè ſcriptam eſſe verſionem Bibliorum. Quocunque nomine vocari placeat eam eloquutionem qua concepta eſt Septuaginta interpretum editio, certum eſſe eam plures Hebraiſmos & Syriaſmos intertextos Græcæ orationis corpori, quaſi notas ac nævos peculiares, oſtentare. De nomine itaque tantum controverſiam agitari, quæ de re nulla ſit, quandoquidem de ea inter partes conveniat. Cæteris omnibus deficientibus ſubſidiis hanc unicam ſibi ad elabendum

bendum rimam patere crediderunt. Demoſthenico ſane ſtilo fatemur non eſſe conſcriptam illam τ̃ Septuaginta tralationem. Quid tum? an ſequitur Helleniſtico fuiſſe elucubratam? Certe nec Ciceroniano loquendi genere contexta eſt verſio Latina quam dedit Hieronymus. Quis ex eo concluderet nomen aliquod eſſe fingendum quod tali verſioni adaptaretur? Hebraiſmos & illa plures habet non minus quam Græca, quia eoſdem multis locis retinuit. Helleniſmos præterea etiam Latina plures expreſſit. Vnde miror nondum aliquos extitiſſe qui Helleniſticam vocandam contenderint. Quod meliori jure poterant quam de Græca ſeptuaginta interpretum pertendere. Nam illa ob Hebraiſmos, Hebraiſtica potius videretur nuncupanda, cum hæc Latina Helleniſmorum plena mereatur nomen Helleniſticæ. Idem ille Hieronymus qui eam verſionem Scripturæ ſacræ Latinam curavit, Hebraiſmis, Helleniſmis atque etiam idiotiſmis ſcaten-

tem,

Digitized by Google

tem, alió ſtilo, & longè puriore atque elegantiore Epiſtolas exaravit, diſſertationes compoſuit, & commentarios elucubravit. Vnde hæc diverſitas, ut tam eleganter Latinas Epiſtolas condiderit, & tam incondito & pænè barbaro loquendi modo verſionem illam elaboraverit? Inde profectò eſt quod verbum verbo reddere, non ſenſus ſenſibus, in ea tralatione procudenda ſtuduerit. Quid ſi ſenſum de ſenſu tantum exprimere conatus eſſet? An quiſquam dubitat quin luculentam & concinnam, & Tullianos calamiſtros redolentem; quæ ipſius in eloquendo Latinè quod vellet, peritia fuit, nobis dare potuerit? Idem dicendum de Septuaginta interpretibus. Græce illos peritiſſimos fuiſſe non poteſt negari. Niſi verbum verbo in pluribus reddere curaſſent, longe, ut ita dicam, Græcatiorem, & omnibus Hebraiſmis totidemque barbariſmis repurgatam potuiſſent edere tranſlationem. Hebraiſmi non aliunde exorti ſunt quam ex vertendi modo, qui ſe

Digitized by Google

verbis alligat: qui ſenſa non exprimere contentus, etiam vim ipſam vocularum repræſentare ſatagit. Si aliud quid ex ingenio Græcè ſcribere paraviſſent, dubitandum non eſt, quin Græca omnia ſine ulla Hebraiſmi tinctura poſuiſſent. Potuiſſe ſane ita ſcribere, copia Græci ſermonis qua præpollebant, oſtendit. Cum Hebraicos loquendi modos inſeruêre, non ex Græca copia qua abundabant, eos hauſerunt, ſed ex textu Hebraico cui nimis ſe in vertendo adſtringebant, ſumpſerunt. Hebraicos ſenſus verbis Græcis exprimere tentarunt. Longe etiam ſcrupuloſius id accuravit in ea quam ſtruxit Editione Græca Bibliorum, Ponticus Aquila. Si eo modo, quo legem & cærimonias, explicat ac tradit in antiquitatibus ſuis Ioſephus, Scripturam in Græcam voluiſſet convertere, eam eodem ſtilo quo antiquitates Iudaicas ſcripſit, conditam nunc legeremus. Demoſthenicè non ſcripſerunt Septuaginta editores. Nec ſane debuerunt, imo nec fortaſſe potuerunt.

Digitized by Google

tuerunt. Ne tempore quidem Demoſthenis, omnes auctores Attici & Oratores ſcripſerunt Demoſthenicè, quia nec Demoſthenicum genium habuerunt. Lyſias & ipſe Atticus, Attice quidem peroravit, ſed non Demoſthenicè. Alia Platonis eſt eloquutio, alia Ariſtotelis. Si Philo verſionem *illam* ſuſcepiſſet, nec verbum *verbo* reddere ſollicite laboraſſet, Moſen πλατωνίζοντα nobis exhibuiſſet. Hieronymus qui Latinam Ciceroniano ſtilo potuit condere, ſi quærat quis cur non fecerit, idem ſibi putet inquirendum & de Septuaginta Editoribus Græcorum Bibliorum, cur ad Demoſthenis exemplar, in Bibliis vertendis non properaverint. Quærunt inſuper, ut curioſi ſunt Helleniſticarii, ſi Homerus; Pindarus & Demoſthenes reviviſcerent, an Novum Teſtamentum Græcum poſſent intelligere? Quæro etiam ego, ſi Ennius, Virgilius & Cicero ab inferis excitarentur, an intellecturi eſſent Novum Teſtamentum quod ex verſione Latina habemus?

Digitized by Google

mus? Frivolas & ſtultas has eſſe quæſtiones prorſum exiſtimo. Ne eo quidem tempore quo vixit & ſcripſit Demoſthenes, ab omnibus Atticis ſuis, & multo minus à cæteris Græcis intelligebatur. Attici à communibus Græcis vix poterant intelligi. Multas iſti voces & peculiares loquendi modos habebant, quibus illi carebant, & contra. Vnius dialecti idioma non percipiebatur ab altera. De Græciæ dialectis loquor. Ætas Demoſthenis aliter Attice loquuta eſt, quam Herodis Attici. Ipſe Demoſthenes plura loquendi genera ſibi ſoli familiaria uſurpavit, cæteris ſui ævi rhetoribus parum uſitata. Idem de Thucydide, & aliis dici debet. Hinc non ſolum extitére qui libros componerent ad exponenda ſingularum Dialectorum idiomata, ſed etiam lexica condiderunt, quibus ſingulorum auctorum peculiares voces phraſeſque & *μονήρεις λέξεις* interpretarentur. Quo tot ſcholia Veterum Grammaticorum non ſolum ad ſcripta Poëtarum, ſed etiam Orato-

Oratorum & Hiſtoricorum, ſi ſine his auctores quos ejuſmodi notis elucidarunt, intelligi poterant? Auſim etiam dicere, cuilibet ultra principia Græcæ litteraturæ paululum progreſſo, & prima ejus cortina tincto faciliores ad intelligendum fore libros Veteris Novique Teſtamenti, quam Demoſthenis aut Thucydidis opera. Etiam qui nant ſine cortice in Græcis legendis, quamlibet porro ſubſidio ſint adjuti Græcorum ſcholiorum, plurima tamen non aſſequuntur in eorum duorum ſcriptis, ut de obſcurioribus nihil dicam, & præcipue Poëtis, Tragicis atque Comicis veteribus. Quis Æſchylum poſſit adfirmare Græcè nunc ſcienti magis patere explicabilem, quam Euangelia aut Epiſtolas Apoſtolicas? Vnus ejus Agamemnon obſcuritate ſuperat quantum eſt librorum ſacrorum cum ſuis Hebraiſmis & Syriaſmis, & tota Helleniſticæ ſupellectile, vel farragine. Ipſi illi Hebraiſmi in Græca oratione intermicantes, non admodum ſunt tenebri-

coſi iis qui verborum ſingulorum luce aliqua perfunduntur. θανάτῳ θανατοῦσθαι, *morte mori*; φεύγειν ἀπὸ προσώπου τινὸς, *fugere à facie alicujus*; κτείνειν ἐν ξίφει, *occidere in gladio*; ἰδόντα ἰδεῖν, *videndo videre*; ἀκούοντα ἀκούειν, *audiendo audire*; & alia hujuſmodi, loquutiones ſunt Hebraicæ verbis Græcis conceptæ, multum à forma loquendi Græcanica diverſæ, quæ tamen verborum ipſorum gnaro moleſtiam non magnam creant. Sic idiotas & ruſticos quamvis alia loquela utentes, vocibus, ſono & phraſi, urbani tamen & docti non difficulter aſſequuntur. Ruſtici difficilius Aulicorum & diſertorum ſermonem percipiunt; nec ipſi ſatis urbanis intelligibiles, ſi vocabula uſurpent in urbe parum uſitata. Nam præcipua difficultas & obſcuritas orationis in ſingulis verbis conſiſtit, non in conjunctis. Quamdiu notas quis mihi voces in loquendo congerit, quamvis alio ſitu atque ordine eas conjungat quam mos eſt elegantioribus, non laboro tamen in eo quod ſic eloquitur perci-

percipiendo. Quis compoſitione magis eſt inconditus, & lutulentus quam Ammianus Marcellinus? Quis phraſes unquam uſurpavit duriores, inconcinniores ac ruſticiores? Vt homo Græcus & militaris, qui voces tantum latinas teneret, quomodo collocandæ eſſent neſciret, prorſus loquitur. Is tamen Tacito, quo nihil eſt concinnius nec compoſitum magis, longe lucidior. Salluſtius etiam eo obſcurior. Nunc quærendum, ac videndum, quid captarint Viri eruditi cum linguam Helleniſticam commenti ſunt: aut quid ſequuti ſint potiſſimum in novo hoc nomine fabricando, quod phraſiologiæ Græcæ Bibliorum utriuſque ſacræ paginæ imponerent. Si repertum hoc in vetuſtis auctoribus aut Patribus proferrent, nihil ſane mutiremus. Quem uſum, quam utilitatem, quod commodum ſperarunt ſacrarum litterarum illuſtrationi venturum ex illo commento, plane neſcio. *Niſi utile eſt, quod feceris*, inquit ille, *ſtulta eſt gloria*. Si nihil in hac inven-

tione niſi vanitatem quæſierunt, an mirari debent, ſi plauſum non habent? Enimvero ambitioſius quam verius id nomen Helleniſticæ à ſe proditum fateantur oportet. Quod magis perſpicuum evadet ſi oſtendamus, infinitas malas interpretationes in Novo Veterique Teſtamento ex hac Helleniſtica proceſſiſſe. Et ſane cum fundamentum ipſum inſtabile ac fluidum eſt, quidquid ſuperſtruitur, ruit pænè prius quam erectum aut ædificatũ eſt. Operæ pretium eſt ex paucis exemplis planum facere quam non modo nulla utilitas ex ea dialecto ſacrorum auctorum expoſitioni obveniat, ſed quàm certa pernicies ac peſtis inde oboriatur, dum falſa pro veris interpretamenta exiſtunt, incerta & ambigua pro certis & indubitatis ſtatuuntur. Nec mirum. Nam cum regula mendoſa eſt, nihil recte fieri, nec ad amuſſim poteſt dirigi. Dubitatur inter doctos quo ſenſu apud Matthæum " ſumi debeat verbum παραδειγματίζειν, in iſtis ex cap. 1. verſ. 19. καὶ μὴ θέλων αὐτὴν

αὐτὴν παραδειγματίσαι. Quidam Patrum interpretati ſunt Latine *punire*, & ex Græcis nonnulli, κολάζειν. Interpres vetus Latinus vertit, *traducere*. Vtra verior ſit interpretatio ut ſciatur, ad Helleniſticam linguam quaſi ad obruſſam recurrendum eſſe Viri linguæ, quæ nulla fuit, ſcientiſſimi, contendunt. Vnus illorum non probat eorum ſententiam qui de ſummo ſupplicio id accipiunt, ac de lapidationis pœna, quamvis apud Græcos idoneos auctores verbum παραδειγματίζειν ita ſæpe ſumi ſoleat. Quod locum hic apud Matthæum haberi negat, pronuntiatque in Helleniſtarum conſuetudine manendum, qui παραδειγματίζειν, & παράδειγμα ἐκθέναι de infamia ludibrioque uſurpant. Iam hinc apparet quæ utilitas capi queat ex lingua Helleniſtarum. Ejus ope ſtabilitur recta interpretatio loci Euangelici, quæ fluctuabat. Sed ecce alter æque magnus Helleniſticæ patronus, qui per eoſdem Helleniſtas eam expoſitionem ſubvertit. *Apud Helleniſtas autem de mortis*

Digitized by Google

usurpatum τὸ παραδειγματίζειν *ap-*
ere ex LXX. *interpretatione Num.* XXV.
tum ex additamentis ad Estherem
v. IX. Quod verum eſt. Hinc vi-
ant qualis hæc Helleniſtica diale-
s ſit, quæ eidem voci diverſas attri-
ſignificationes. Hoc in alia dia-
non occurrit. Nam eadem di-
ſæpe in una dialecto aliud, in alte-
liud ſignificat, ut παρεμβολὴ aliter
icur. apud Atticos, aliter apud
communes & Macedones. Alia
alibi produximus. Cæterùm
dialectus hoc habet, ut unum
vocabulum in diverſis ac dif-
bus uſurpet notionibus. Nulla
llenistica. Deinde quinam illi
ſtæ quos citant, quibus iſtud
παραδειγματίζειν tam diverſe ac-
eſt? Septuaginta ſunt inter-
A equi conſtat inter omnes ferè
illis tranſlatum fuiſſe in Græ-
ſermonem præter Pentateu-
Non reperitur autem in lege
bum. Præterea illi ipſi ſeptua-
quam rectè *Helleniſtæ* appellen-
tur,

tur, ipſi viderint. Non certe hoc nomen ſibi vindicare poſſint, ſi vera eſt Helleniſtarum definitio quam poſuerunt. Eos nempe ſic dictos ex Iudæis qui extra Iudæam habitarent in exilio ſive diaſpora, & qui in Synagogis uterentur Bibliis Græcè verſis. Neutrum Septuaginta illis Senioribus convenire certum eſt. Loci illius Matthæi rectam interpretationem nos ex Helleniſtica quæ nulla unquam extitit, non ſumemus. Antiqui Græci & Attici ſcriptores, maximeque idonei auctores, παραδειγματίζειν pro ſupplicio afficere poſuerunt. Comicis etiam ſic uſurpatum. Vnde & Latinis cum eorum fabulas verterent, *exempla in aliquem edere* punire eſt, ut apud Terentium. Quod apud Demoſthenem παράδειγμα ποιῆσαι, hoc eſt facere ut homo exemplum ſit. Sanè qui punitur exemplum eſt, & pœna ipſa qua quis plectitur in exemplum. Vnde & *exempla* pro pœnis. Hinc apud Tacitum Annali XV. *Sontes & noviſſima exempla meriti.* Apud Græcos autem recentio-

centio-

pœna uſurpatum τὸ παραδειγματίζειν *apparet ex* LXX. *interpretatione Num.* XXV. IV. *tum ex additamentis ad Estherem* XIV. IX. Quod verum eſt. Hinc videant qualis hæc Helleniſtica dialectus ſit, quæ eidem voci diverſas attribuit ſignificationes. Hoc in alia dialecto non occurrit. Nam eadem dictio ſæpe in una dialecto aliud, in altera aliud ſignificat, ut παρεμβολὴ aliter ponitur apud Atticos, aliter apud Grçcos communes & Macedones. Alia exempla alibi produximus. Cæterùm nulla dialectus hoc habet, ut unum aliquod vocabulum in diverſis ac differentibus uſurpet notionibus. Nulla ergo Helleniſtica. Deinde quinam illi Helleniſtæ quos citant, quibus iſtud verbum παραδειγματίζειν tam diverſe acceptum eſt? Septuaginta ſunt interpretes. Atqui conſtat inter omnes ferè nihil ab illis tranſlatum fuiſſe in Græcum ſermonem præter Pentateuchum. Non reperitur autem in lege hoc verbum. Præterea illi ipſi ſeptuaginta quam rectè *Helleniſtæ* appellentur,

Digitized by Google

tur, ipſi viderint. Non certe hoc nomen ſibi vindicare poſſint, ſi vera eſt Helleniſtarum definitio quam poſuerunt. Eos nempe ſic dictos ex Iudæis qui extra Iudæam habitarent in exilio ſive diaſpora, & qui in Synagogis uterentur Bibliis Græcè verſis. Neutrum Septuaginta illis Senioribus convenire certum eſt. Loci illius Matthæi rectam interpretationem nos ex Helleniſtica quæ nulla unquam extitit, non ſumemus. Antiqui Græci & Attici ſcriptores, maximeque idonei auctores, παραδειγματίζειν pro ſupplicio afficere poſuerunt. Comicis etiam ſic uſurpatum. Vnde & Latinis cum eorum fabulas verterent, *exempla in aliquem edere* punire eſt, ut apud Terentium. Quod apud Demoſthenem παράδειγμα ποιῆσαι, hoc eſt facere ut homo exemplum ſit. Sanè qui punitur exemplum eſt, & pœna ipſa qua quis plectitur in exemplum. Vnde & *exempla* pro pœnis. Hinc apud Tacitum Annali XV. *Sontes & noviſſima exempla meriti.* Apud Græcos autem recentio-

centiores παραδειγματίζειν, id magis ſignificat quod Latinis eſt *traducere*, ac ludibrio habere, ut pluribus exemplis alibi ſuo loco firmabimus. Et ſic capiendus eſt locus Matthæi non de capitis pœna, ut ibidem docebimus, iis rationibus quæ nihil ex Helleniſtica mutuantur. Præterea ſi de mortis pœna intellexiſſet Euangeliſta, dicturus potius fuit, μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματισθῆναι. *Cum nollet eam puniri.* Quod igitur toties ad Helleniſticam nos remittant, ut verus eruatur Scripturæ in Novo Teſtamento ſacræ ſenſus, quam temere id ab illis inſtituatur, illuſtri allato exemplo demonſtrabimus. Abeundum ad Helleniſtas ajunt, ut doceamur qui ſint ἐγκάθετοι apud Lucam cap. xx. verſ. xx. In his verbis: καὶ παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι, ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου. Prior interpres teſtimonium ex Hyperida à Phrynicho citatum produxerat, ubi ἐγκαθέτους poſuit pro ſpuriis & ſuppoſititiis liberis. Quo nomine carpitur à Phrynicho,

tan-

Digitized by Google

tanquam uſus voce ſordida, & è trivio ſumpta cum poſſet Attico, & honeſtiore vocabulo, θετοὺς dicere, aut εἰσποιητὸν, aut ὑπόβλητον. Sic igitur Phrynichus. Ἐγκάθετος, inquit, οὕτως Ὑπερίδης ἀπερριμμένως δέον δοκιμώτερον χρήσασθαι τῷ θετὸς, ἢ εἰσποίητος ἢ ὑπόβλητος. Iſtos Hyperidis ἐγκαθέτους nihil facere ad ἐγκαθέτους Lucæ expiſcandos aſſerunt, ſed ab Helleniſtis genuinam eorum ſignificationem peti debere. Illi Helleniſtæ ſunt Septuaginta interpretes, & eorum lingua Helleniſtica, quæ vocem ἐγκάθετος longe aliter uſurpat, quam illi idiotæ quos eſt ſequutus Hyperides, filium ſubditicium appellando ἐγκάθετον. Locus eſt apud Iobum cap. xix. verſ. xii. in quo ita ſcribitur: Ὁμοθυμαδὸν δὲ αὐτοῦ ἦλθον τὰ πειρατήρια ἐπ' ἐμοί. ταῖς ὁδοῖς μου ἐκύκλωσάν με ἐγκάθετοι. Item cap. xxxi. verſ. ix. Εἰ δὲ ἐξηκολούθησεν ἡ καρδία μου γυναικὶ ἀνδρὸς ἑτέρου, καὶ ἐγκάθετος ἐγενόμην ἐπὶ θύραις αὐτῆς. Certum eſt duobus illis locis ἐγκάθετον ſignificare ſubdolos, & inſidiatores qui clam ſubrepunt ad explorandum, auſcultandum,

&

& tentandum aliquid quo noceant iis quos eo modo captant. Sed quid cauſæ eſt, ut credamus eam vocem illa notione Helleniſticam potius eſſe quam Græcam communem vel idioticam? Demus Helleniſtas eos fuiſſe quos dicunt. Vocem Hebraicam quæ notat doloſum inſidiatorem, ea dictione Græca reddiderunt quæ eandem cum Hebræa ſignificationem haberet. Numquid Helleniſtæ illi id verbi commenti ſunt, cui talem darent ſignificatum? Quæ ratio illis fingendi novi vocabuli, cum jam facta & uſitata ad manus eſſent? Præterea cum Græcis vocabulis uterentur, phraſibus Hebraicis, cui non veriſimile ſit ἐγκάθετον quo ſenſu ibi uſurparunt, Græcis tritum fuiſſe, ſed vulgaribus, ut Hyperidem reprehendens notavit Phrynichus? Non ad Helleniſtas igitur abeundum, ut vim illius verbi ἐγκάθετος habeamus, quam Græci ſuppeditant, & ille ipſe Hyperides, ex quo proprietatem illius vocis diſcere eſt. τὸ ἐγκάθετον Græcis id omne quod

clan-

Digitized by Google

clandeſtino fit, ſignificat, quod te-ctum eſt, latens & obſcurum. Vt qui ſubſidunt in loco aliquo operto in quem ſe demiſerunt ad inſidias alicui faciendas, ἐγκάθετοι propriè dicuntur. Hinc liberi ἐγκάθετοι, ſuppoſititii & ſpurii, quos & σκολιοὺς Græci vocant. Nam ἐγκάθετον idem quod ἀπόκρυφον. Inde ἐγκάθετοι Scripturæ quæ etiam ἀπόκρυφοι, quæ pro ſpuriis habentur, tegique & abſcondi debent, non pro Germanis divulgari, & in publicum prodire. Hinc pro ſubdolo & doloſo, & homine clam ad nocendum ſubrepente accipitur. Gloſſæ: ἐγκάθετος στραλιώτης, *ſubdolus*. Ita legendum, non *ſedulus*. De milite intelligendum qui in inſidiis poſitus eſt. Ad Lucam ipſum hæc pluribus comprobabimus, apud quem ἐγκάθετοι ſunt homines doloſi & fraudulenti, ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι. Alibi iidem Helleniſticarii obſervant verbum, ἀναθάλλειν apud Helleniſtas duplici modo accipi, abſolutè atque ut loquuntur Arabes, ſignificatione intranſi-

tranſitura, pro *revireſcere*. Et cum effe-ctu ſive tranſitione, quod eſt facere ut aliquid iterum floreat & vireſcat. Nec ad Helleniſtas aut Hebræorum conjugationes refugiendum, ut talis attribuatur verbo ἀναθάλλειν notio. Paſſim Græcis id ſollemne ut unum verbum duas habeat ſignificationes, agentis in ſe abſolutè, & actionem in alterum tranſmoventis. Hinc καθίζειν ſedere eſt, & aliquem in ſede conſtituere. Sic βασιλεύειν pro regnare, & facere ut aliquis regnet, vel regem conſtituere. Sexcentis exemplis ac teſtimoniis id alibi confirmamus. Vt rem compendii faciamus quam alibi latius expoſuimus, omnia vocabula ſingularia, quæ in Editione Septuaginta interpretum, aut in Novo Teſtamento videntur alia ſignificatione poſita quam apud Græcos meliores, & Atticos auctores vulgo uſurpata reperiuntur, non ex ullo aliquo idiomate linguæ Helleniſticæ ea diverſitas ſignificationis venire cenſenda eſt, ſed partim ex idiotiſmo linguæ Græcæ communis, partim ex

Mace-

Digitized by Google

Macedonica dialecto: ut alio loco fuſius demonſtratum eſt. Si quis autem voces Doricas Atticis vindicaret, Atticas pro Æolicis obtruderet, & Æolicas Ionicæ eſſe dialecti affirmaret, nonne inſanum in modum erraret? At quanto magis peccare exiſtimandus is eſt, qui dictiones alicujus ac certæ dialecti proprias, utpote Alexandrinæ vel Macedonicæ, ei dialecto tranſcribit quæ in rerum natura non fuit? Primum id peccat quod illud fingit, quod nunquam extitit. Deinde cum alteri eripit quod ſuum eſt, ut in alteram transferat cujus non eſt. In Matthæo ſcriptum eſt cap. VII. verſ. XIV. τί στενὴ πύλη, pro ὡς στενὴ πύλη. *Quam anguſta porta.* Quod Helleniſticum eſſe contendunt, nos Alexandrinum alibi probamus. Tale eſt & διαθήκη pro fœdere quæ aliis Græcis συνθήκη dicitur, ut διαβούλιον iiſdem Alexandrinis pro συμβουλίῳ. Nam διαβούλιον ποιῆσαι & συμβούλιον idem eſt. De quibus alibi. Sed quæ dicunt eſſe Helleniſtica, non alia ratione inducti id faciunt quam quod

Digitized by Google

arbitrantur interpretes Veteris Teſtamenti Helleniſtas fuiſſe. Et propterea Græcas omnes voces quibus in ea tranſlatione utuntur, pro Helleniſticis habent, & ex eo linguam illam Helleniſticam confinxerunt, quā quidam ex illis pari modo à Græca differre communi opinati ſunt, ut Italica diſcrepat à Romana antiqua. Ex his etiam quæ diximus liquet, nimium ſibi blandiri eos, aut cauſæ deploratæ præter æquum ſuffragari, qui omnia quæ contra eam diſputantur, hac ratione elevant, & eludunt, ut dicant quæſtionem eſſe tantum de nomine. Enimverò ſi id tantum in hac quæſtione ageretur, quo nomine vocanda ſit phraſis, qua uſi ſunt Bibliorum Græci interpretes, pugna tantum eſſet de nomine. Nam de re ſemper inter omnes conſtitit, verba eſſe Græca, phraſim Hebraicam. Sed quo nomine nuncupanda ſit talis phraſis, in controverſiam vocari debere nunquam exiſtimavi. Alioquin de omnibus in quamcunque linguam de qualibet

tranſla-

Digitized by Google

tranſlationibus atque interpretationibus quærendum ſemper eſſet, quo nomine appellandæ forent, quamvis cæteroquin non ignoraretur ad quam dialectum præcipuè ac propriè pertinerent. Latina verſio Scripturæ ſanctæ non eſſet dicenda Latina quia Hebraiſmos habet, & Græciſmos, quos ſermo Latinus purior non patitur. Idem de cæteris dici oporteret, Gallica, Hiſpanica, Belgica, Germanica, & aliis quarumcunque linguarum verſionibus. Quæſtio ergo non eſt in hac lite de nudo nomine, quia non id quęritur quod nomen eſſe debeat verſioni Græcæ Septuaginta interpretum, cum omnes eam antiqui auctores Græci ἑλληνίδα ac ἑλληνικὴν appellent, Latini etiam Græcam licet Hebraiſmis intertextam. Ita neutrum in dubium vocari poteſt, quia inter omnes convenit eam tranſlationem Hebraiſmos plures habere, & quia etiam conſtat, Græcis ἑλληνικὴν, Latinis Græcam nominari, nunquam ἑλληνιστικήν. De re tota diſputatur & quæritur an

Digitized by Google

omnino fuerit. Hoc eſt an Helleniſtica aliqua dialectus extiterit. Vbi rei ipſi controverſia de ſtatu movetur, non poteſt objici litem tantum eſſe de nomine. Deinde etiam in quæſtione eſt an Helleniſtica dialecto ſcriptum fuerit Novum ac Vetus Teſtamentum. Sed cum hæc ab illa pendeat, priore expedita, hæc poſterior ſolvitur. Nam ſi conſtet nullam extitiſſe Helleniſticam dialectum, conſtabit etiam ea lingua quæ nulla unquam fuit, non fuiſſe conſcripta Biblia ſacra. Hoc utique ad rem quoque pertinet, non ad meram appellationem. Et plurimum præterea refert eam de medio tolli dialectum ex qua tot falſarum & infrunitarum expoſitionum in Novo Teſtamento ſeges enata ſit. Præterea quærendum etiam occurrit, ſi Helleniſtica, à quibus Helleniſtis denominata ſit. Cum autem ab iis Helleniſtis eam derivent qui Iudæi origine fuerint, & Græce Hebraiceque ſciverint, cum demonſtrabitur, nullos unquam tales Iudæos hoc nomine vocatos

Digitized by Google

tos fuiſſe, ex eo etiam conſequitur, nullam hujuſmodi dialectum extitiſſe quæ ab his Iudæis Helleniſtis nomen invenerit. Non illi fuerunt, nec ergo hæc fuit. Et hæc cum re conjuncta & ſolidæ frugis plenâ agitatur quæſtio, non dare pondus idonea fumo, nec ad inanem nominis umbram eventilanda. Et non poſſum ſatis eos mirari qui nullius aut exigui momenti putant, ac tanti non eſſe ut tot verba altercantia funditentur ad eam diſceptandam examinandamque. Quod ut aliter eſſe manifeſtum fieret, hæc in limine præſtruere libuit, ſimul etiam ut conſtaret nos in toto hoc tractatu, non conjecturas conjecturis refutaſſe, ut ἧλος τῷ ἥλῳ, πάσσαλος τῷ πασσάλῳ, repercutitur, ſed hariolationes demonſtrationibus ita diſſipaviſſe, ut nocturnæ imagines ſomniantium, ſopore abacto, & ſole exorto diſpelluntur. Tu judicabis an ita ſit, Eruditiſſime Lati, nec dubitabis contra me ſententiam ferre, ſi pro me non ſtare veritatem animadverteris. Sed quod-

Digitized by Google

cunque fuerit, ex hac opella tuo nomini inſcripta ſatis conſequar, ſi amicitiæ noſtræ quale quale extet apud poſteros monumentum. Vale. Ex Caſtello Taliacenſi prope Belnam, Idibus Aprilis, Ann. cIↄ Iↄ cxliii.

CLAVDII

Digitized by Google

CLAVDII SALMASII DE HELLENISTICA, AN SIT, AN FVERIT.

PARS PRIMA.

QVÆSTIO quam hic tractandam ſumimus, tota hujus temporis eſt. Ævo enim priori quid eſſet Helleniſtica, ne nomine quidem tenus inter eruditos notum erat. Adeo recens res eſt ut dimidiato ſæculo ſuperior non habeatur ejus ætas. Ante quinquaginta annos ſi quis de ea quæſiſſet, jocari & ludere creditus eſſet, aut certe animi gratia in ficta controverſia declamanda deſudare. Hoc igitur debemus criticis noſtris, ut calamum nunc exercere libeat in explodenda hujus phaſmatis Comœdia, quam in Theatrum ſacrum induxerunt celebres in litteris viri. Actores hujus fabulæ & auctores non aliud præmium manet quam fiſtula paſtoria. Cadere eam noluimus: Cadunt enim quæ aliquando ſteterunt,

Digitized by Google

ſed prorſus nullam fuiſſe volumus. Simpliciter negantes quod ejus inventores & fautores adfirmant, rem conficere poteramus. Adeo enim probationibus deficiuntur, ei figmento adſtruendo idoneis, ut ipſi fateantur ultro indictam & inauditam omni antiquitati fuiſſe Helleniſticam. Verum hoc illis dabimus, ut etiam rationes addamus, cur conſiſtere non poſſit, quod pertendunt extitiſſe. Falſitas hujus commentitiæ dialecti vel ex eo maxime apparet, quod non ſibi conſtant qui eam ſtatuunt. Alii latiores illi limites aſſignant, alii brevioribus gyris circumſcribunt. Quidam omnes voces ac phraſes tam Veteris quam Novi Teſtamenti pro Helleniſticis obtrudunt. Nonnulli modum adhibendum cenſent, & de quibuſdam id ita eſſe concedunt, ut de aliis dubitent, de pluribus omnino negent. Sunt qui contendant eam dialectum debere vocari *Helleniſticam*. Reperias qui ambigant, ac ſe minime curare dicant quo nomine tandem vocetur, modo concedatur, peculiarem hanc fuiſſe dialecton Græcanicam, qua uſi ſunt Septuaginta Bibliorum interpretes. Quidam non ſolos Septuaginta Helleniſtica ſcripſiſſe, ſed etiam reliquos omnes editores, qui Biblia aliquando tranſtulerunt in Græcum ſermonem. Inter iſta diſſidentes eruditorum animos ut fundare tandem poſſimus, docebimus numquam id fuiſſe de quo contenditur.

De

De ſomnio, de fabula, de re quæ non eſt nec fuit unquam, diſputari. Vt autem ſciant nominis controverſiam à nobis non moveri quaſi parum proprie vocetur, illa *Helleniſtica*, quę aliter nuncupanda ſit, de re ipſa quęremus an fuerit: Hoc eſt, an dialectus Græca hujuſmodi veteribus nota olim fuerit, quæ verbis Græcis contexuerit Orationem Hebraicam. Et quoniam Ἐριστικὰ ſcripta hoc habent, ut animoſius utrinque ſtudio certandi & cupiditate vincendi ſtilo incitato ſtatum quæſtionis involvant & obſcuriorem efficiant, extra omnem contentionem ſepoſitam eam tractare hic & explanare decrevimus. Videndum igitur primo quid illud ſit de quo agitur, tum explicandum quale ſit. His expoſitis non difficile erit, ut opinor, colligere an aliqua fuerit dialectus Helleniſtica. Agitur de ſtilo Veteris ac Novi Teſtamenti. Quæritur utrum aliqua peculiari Græcanica dialecto conſcriptum ſit utrumque illud opus, ut Herodoti Hiſtoriam Jonica, Thucydidis Attica, Polybii communi Græca, Pythagoricorum pleraſque Epiſtolas Dorica ſcriptas eſſe conſtat. Æolica compoſuerant cantilenas ſuas Sappho & Corinna. Laconica Alcman, quæ & ipſa, à Dorica diverſa eſt, non genere ſed ſpecie ab ea differens. Eorum nihil hodie extat præter fragmenta quædam. Primum itaque eſt ut ſciamus an eloquutio Veteris ac Novi Teſtamenti

ſtamenti de peculiari aliqua Græciæ dialecto veniat, poſtea erit diſquirendum an ei dialecto ubi eſſe dialecton conſtiterit, nomen *Helleniſtica* adaptari poſſit. Mihi de verbo pugna non eſt; Sed tamen eruditis ſemper proſpiciendum quomodo loquantur. Si verba fingant, cauto opus eſt, ut apta rebus ea fabricent. Si jam factis utantur, non debent aliena aſſumere ubi propria ad manum ſunt. Multo magis impropria decet & contraria ipſis rebus de quibus uſurpantur, eligi. De re ergo primo loco, deinde de nomine congrediemur. Alia etiam ad rem eandem pertinentia erunt diſcutienda: ut de origine linguæ Græcæ, de ejus dialectis tam γενικαῖς, quam τοπικαῖς. De Helleniſtis à quibus Helleniſticam dictam eſſe volunt, quinam illi fuerint, quo generè ſermonis uſi fuerint, quot genera eorum fuerint. Nonnulla alia quæ ad quæſtionem principalem faciunt, adjicientur examinanda. Vt ordine procedamus, quæſtiones aliquot proponemus, in quas totam controverſiam partiri placuit, ut dilucidius explicetur. I. *An dialectus peculiaris conſtituenda ſit, ea eloquutio qua Septuaginta interpretes in Bibliis transferendis uſi ſunt.* II. *An plures quam quinque dialectos Græci noverint, & an Helleniſtica inter eas dialectos meminerint.* III. *An Helleniſtica nomen conveniat ei phraſi qua verbis Græcis Hebræos concipit intellectus, & à quibus Helleniſtis denominata ſit.* IV. *De Helleniſtis*

Digitized by Google

leniſtis Actorum an Iudæi origine fuerint, & an eorum dialectus proprie dicta ſit Helleniſtica. V. *An Iudæorum gens diviſa ſit olim in duo genera, in Iudæos* Helleniſtas *&* Hebraiſtas. VI. *An Helleniſtica lingua conſcriptum ſit utrumque* Teſtamentum, *Vetus ac* Novum. VII. *Quo nomine nuncupandus ſit ſtilus Veteris &* Novi Teſtamenti, *& an eodem ſtilo utrumque conceptum ſit.* Hoc ſeptenario quæſtionum numero omnem explicabimus de Helleniſtica controverſiam; ut nihil in poſterum reliqui ſit futurum de quo ambigi queat aut diſputari.

Ad I. Quæstionem.

Summarium.

Duo requiruntur ut aliqua dialectus ſit ab alia differens. Primum ut populus aliquis ſit qui ea utatur, finibus diviſus ab alio populo qui diverſa utitur. Ionum XII. *Vrbes. Æolum* XI. *Doridis in Aſia* V. *in Europa* III. *aut* IV. *Helleniſta quis à Græcis dicatur. Nulla gens Helleniſtica exſtitit. Doris dialectus quæ fuerit. Satyrus & Satyrica ſaltatio.* Κοινὴν *Grammatici indigitant, quæ nullius gentis Græciæ propria erat: Sed eadem eſt ratio* ἑλληνικῆς διαλέκτου *&* ἑλληνισμοῦ. Ἑλληνισταὶ *non dicuntur ob aliam cauſam, quam quia* ἑλληνίζουσι. *Multi ex antiquis grammaticis* τὴν ἑλληνικὴν *inter dialectos non receperunt. Eorum ratio examinatur. Falſum eſt communem conſtare ex reliquis quatuor dialectis. Definitio dialecti. Philoponus reprehenſus. Dialectus duo ſignificat. Dialectus multas mutationes ſolet pati. Quæ*

quum multa ſint ſermo mutatur: dialecti tamen eandem appellationem ſervant. Quatuor ætates & diſcrimina latinæ linguæ. Mixta quando viguerit. Ea ſcripta Marculphi formulæ. Mutationes unde accidant. Linguæ quomodo ſerventur poſt interitum. Philoponi & Corinthi loca reconciliata, [illegible] cum contraria dicere videantur. Ἕλληνες & ἀρχαῖοι [illegible] grammaticis. Ἑλλήνων ἄγλωσσοι. Idiota qui. Σύμφανες [illegible] μοι, πολλοί, οὐχ ἑλληνικόν. Photii locus emendatus. Linguarum eadem eſt condicio quæ corporum. Eruditorum eloquutio non eſt dialectus. Recens Helleniſmus multum diſtat ab antiquo. Ἀττικισμὸν & ἑλληνισμὸν ſæpe iungunt authores, ſed & diſtinguunt: atque tum per ἑλληνικὴν communem intelligunt. Exempla Atticorum vocabulorum & communium. Hellenes cum ab Atticis ſeparantur ſunt reliqui græci trium aliarum dialectorum. Ipſius communis diſtinctio.

AD primam quod attinet propoſitionem, an dialectis accenſenda ſit Græciæ, ea ſcribendi forma qua uſi ſunt Septuaginta Bibliorum interpretes, dum Græcis vocibus ſenſa Hebraica exprimunt, ſic facile animadverti ac ſciri poterit. Vt aliqua dialectus ſit quæ ab alia dialecto differat, duo præcipuè requiruntur. Primum populum eſſe oportet vel nationem quæ hac dialecto utitur, certis finibus circumſcriptum ac diviſum ab alio populo vel natione, cui alia dialectus familiaris ſit. Nam ut natio à natione differt, moribus, inſtitutis, veſtitu, regione, nomine, ita & lingua quam διάλεκτον Græci vocitant. Eſt enim ſermo quo quę-

que

que natio aut gens διαλέκτου). Vt ergo unaquęque natio ſuam & peculiarem habet linguam ſive dialecton, qua ab alia natione aut vicina aut longius remota diſtinguitur, ita unaquæq; dialectus ſuam ac propriam habere debet nationem quæ tali dialecto utatur. Hoc primum eſt quod neceſſario ac omnino exigitur, ut ſit & dicatur dialectus, ſine quo nec eſſe nec dici poteſt. Secundum non minus neceſſarium. Nam ut dialectus à dialecto differat, hoc debet efficere ſingulorum verborum diverſitas, ſive ex diverſa terminatione deſcendat, ſive ex aliqua vocis ejuſdem immutatione; ſive etiam ex alia in totum voce qua res eadem ſignificetur. Si utrumque horum vel utrumvis in linguam Helleniſticam cadit, non refragabor quin in cenſum numerumque aliarum Græciæ dialectorum referenda ſit. De primo primum videamus. Dores fuere quorum propria dialectus erat, *Dorica* vel *Doris* appellata. Populus ille fuit ſuis finibus ac limitibus in Græcia determinatus, cum certo urbium numero, quæ ea dialecto utebantur. Idem de Ionibus. Nec ſecus de Æolibus. An aliud de Atticis? Non certe. Attica regio fuit, & Atticus in ea populus, & hujus populi lingua ſive Dialectus Attica. Vt populus Atticus non eſt ſine regione Attica, ita nec lingua Attica, ſine populo Atticæ. Herodotus duodecim civitates Ionum recenſet quæ in Panionium conve-

niebant. Vndecim Æolûm, Dorida vero, quæ in Aſia, πεντάπολιν facit. Et quæ circa Parnaſſum in Europa τρίπολις erat, vel etiam olim τετράπολις. Hæc antiquitus. Coloniæ inde multæ in varia loca deductæ, uti ab Attica in Ioniam, cum regio non ſufficeret incolis tenendis. Et ſic de aliis. Illud certe conſtat nullam dialectum poſſe dari, niſi detur & regionis vel urbis populus cui dialectus illa attribuatur. Si regio aliqua vel civitas fuit olim, aut nominata eſt Helleniſtarum, quin eorum quoque dialectus Helleniſtica cenſeatur ac vocetur haud repugno. Nemo Græce gnarus neſcit Ἑλληνιστὴν eum apud Græcos dici qui licet Græci generis non ſit, Græcè tamen loquitur. At Ἕλλην nomen eſt gentis. Qui ἕλληνος linguam æmulatur, ἑλληνιστὴς eſt. Nihil ergo prohibet eundem eſſe genere Romanum vel Italum, & ἑλληνιστὴν: Perſam & ἑλληνιστὴν: Hebræum & ἑλληνιστὴν. Nulla itaque gens Helleniſtica extitit. Nulla ergo dialectus hoc nomine, quia nec gens fuit quæ ſic loqueretur. Cum quatuor illæ præcipuæ fuerint Græciæ dialecti, Attica, Ionica, Dorica, & Æolica; ſi quis Dorici generis Ionice loquatur aut ſcribat, quantum ad linguam erit Ἰωνιστὴς, quantum ad patriam Dorus vel Dorienſis. Ita Herodotus qui Halicarnaſſenſis fuit, quæ civitas Dorici generis erat, quamvis excluſa fuerit communione Pentapolis Doricæ, Ionice

ſcripſit.

ſcripſit, Hippocrates ſimiliter cum Cous eſſet, ex una quinque urbium quæ Doricam Pentapolim conſtituebant, Ionicam tamen in ſcribendo affectavit loquelam. Ambo itaque ſi originem ſpectes Dori fuere, Hippocrates & Herodotus, ſi linguam qua ſcribere maluerunt, Ioniſtæ. Tunc erat in honore ſermo Ionicus, quem plures idcirco eo tempore adamarunt & excoluerunt. Vbi ſermo Atticus inter Græcas dialectos prævalere gratia cœpit, plurimi Græciæ ſcriptores & præcipue Rhetores quamvis Attici genere non eſſent, ei linguæ operam dederunt, & eloquentiam Atticorum æmulati ſunt. Nemo propterea Ioniſticam dialectum aut Atticiſticam ſomniavit unquam. Pindarus, Bacchylides, Simonides natura & origine Dores non fuere, Dorica tamen ſcripſere. Doriſtæ igitur dicendi à dialecto qua uſi ſunt, quæ *Doriſtica* non eſt appellata, quamvis ea Dorica quā uſurparunt prorſus eo ævo quo ſcripſere, ignoraretur, quia non mera nec pura loquuti ſunt Doride, qualis apud ipſos Dores erat tunc temporis uſitata, ſed mixta & temperata. Grammatici qui de Dialectis commentati ſunt, de Doride ita ſcribunt dialecto: ἡ μέντοι Πινδάρου καὶ Βακχυλίδου καὶ Σιμωνίδου, Δωρικὴ, παντελῶς ἀγνοεῖται, διὰ τὸ μὴ Δωριεῖς εἶναι τῇ φύσει τοὺς ποιητὰς, χρῆσθαι δὲ μόνον τῇ αὐτῶν διαλέξει. *Pindari & Bacchylidis & Simonidis Dialectus penitus*

Digitized by Google

nitus ignoratur, quia Dores origine non fuerunt hi poetæ, ſed eorum tantum loquelam affectarunt. Quod tamen an verum ſit, infra videbimus. Σατυρικὴ Græcis genus eſt ſaltationis à Satyris appellata, propter σχήματα ac geſtus pantomimicos quibus Satyri in ſaltando utebantur. Vnde Satyrus Bathyllus Perſio ὁ παντόμιμος. Et *Satyros geſtus Manilius vocavit* τὰ Σατυρικὰ, καὶ παντομιμικὰ καὶ ὀρχηστικὰ σχήματα. Inde & verbum Σατυρίζειν, & nomen Σατυριστὴς qui ita ſaltat ut ſolent Satyri. *Ludios* ita reddidit Græce Dionyſius Halicarnaſſeus. Virgilius:

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Ideſt Σατυρίσει, Σατυριστὴς erit. Eadem porro Satyrica eſt ſaltatio quam ſaltat auctor Satyrus, & imitatur Satyriſtes. Iſte hanc ab illo habet, non à ſe. Ideo nec Σατυριστικὴ dicta eſt ab imitatore, ſed Σατυρικὴ ab inventore. Sic eadem omnino dialectus eſt quo utitur ὁ Ἰωνικὸς τῇ φύσει, & ὁ Ἰωνιστὴς τῇ διαλέξει. Ionica igitur illa dicenda non *Ioniſtica*, Attica non *Atticiſtica*. Fons & origo reſpici debet. Ioniſtes & Atticiſtes imitatores ſunt, & ſtudioſi linguæ non ſuæ, ſed alienæ & extraneæ. Eam ergo communem habent cum his quibus illa vernacula eſt, ac nativa. Vt qui adoptione filius eſt non alium habet patrem adoptivum quam is qui natura filius eſt illi patri. Ambo eundem parentem agnoſcunt, qui communis

eſt

Digitized by Google

eſt pater tam adoptivi nati, quam naturalis. Nec ergo lingua quam ſibi adoptavit Ἑλληνιστὴς, alia eſt ab ea qua utitur naturalis Ἕλλην. Nulla itaque Helleniſtica dialectus, ſed una Ἑλληνικὴ, tam Ἕλληνος quam Ἑλληνιστοῦ communis. Ille eam ex natura & origine propriam habet, iſte doctrina & uſu ſuam fecit, non tamen aliam, quæ erat aliena. Eadem quippe, in utroque lingua tam in alienigena quam indigena. Vt nulla gens fuit, nullus populus Ioniſtarum nec Atticiſtarum, ſed Ionum & Atticorum, ita nec Helleniſtarum ullam extitiſſe unquam gentem tenendum eſt, ſed Ἑλλήνων, ideſt Græcorum. Nulla proinde dialectus Helleniſtica in rerum natura fuit, haud ſane magis quam Ioniſtica vel Atticiſtica. Sed objicient ad quatuor Græciæ dialectos quintam addi Ἑλληνικὴν quæ communis etiam appelletur, ideſt κοινὴ διάλεκτος. Vbi, inquam, ille populus Ἑλλήνων quibus fuerit ea dialectus peculiaris? Nonne Κοινὴν eam videntur ideo Grammatici indigetare quia nullius gentis Græcæ propria erat, ſed omnium communis? Quidni ergo eodem modo liceat Ἑλληνιστικὴν nominare dialectum quæ nullius certe gentis aut populi propria fuerit, ſed plurium communis? Huic objectioni multa reponi poſſunt. Primum non eadem eſt ratio Ἑλληνικῆς διαλέκτου & Ἑλληνιστικῆς. Illa ex veteribus nobis nota eſt, hæc nulli veterum cognita nec nominata

nominata fuit. Deinde iſti ipſi Ἑλληνισταὶ à quibus deductam Ἑλληνιστικὴν fabricarunt, non aliunde hoc nomen habent, niſi à dialecto Ἑλληνικῇ. Nec enim ob aliam cauſam dicuntur Ἑλληνισταὶ, quam quia Ἑλληνίζουσι, hoc eſt linguam Græcam in loquendo vel ſcribendo imitantes proferunt. Non ergo alia eſt lingua quæ ab iis dicitur Helleniſtica, quam illa à qua ipſi Helleniſtæ denominati ſunt. Poſtremo hoc ipſo argumento, quo Helleniſticam negamus eſſe dialecton, multi ex antiquis Grammaticis τὴν Ἑλληνικὴν, ideſt κοινὴν inter dialectos minime eſſe recipiendam cenſuerunt. Cujus rei hanc rationem reddunt quod propriam non haberet notam, ſed promiſcue uteretur cæterarum omnium notis. Iohannes Grammaticus de Dialectis: Διάλεκτοι δέ εἰσιν εἰ καὶ τὴν κοινήν τις καταριθμοίη πέντε. Ἰάς, Ἀτθὶς, Δωρὶς, Αἰολὶς, κοινή. Ἡ γὰρ πέμπτη ἴδιον οὐκ ἔχουσα χαρακτῆρα, κοινὴ ὠνομάσθη, ἤτοι ὅτι κοινῇ τῶν πασῶν χαρακτῆρσι χρῆται, καὶ ἐκ τῶν τεσσάρων συνέστηκεν. *Dialecti vero, ſi quis in his & communem numerat, quinque ſunt, Ionica, Attica, Dorica, Æolica, Communis. Nam quinta quæ proprium non habet characterem, communis nuncupata eſt, vel quod communiter omnium utatur characteribus, & ex quatuor componatur.* Non video quomodo hæc conſtare poſſint aut vera videri. Non enim compoſita videtur communis dialectus ex dialectis quattuor reliquis. Comparant eam

medicæ

medicæ compoſitioni, quæ Τετραφάρμακος dicitur. Tetrapharmacum illud ita conſtat ex quattuor ſimplicibus ſpeciebus, ut quamvis illæ quatuor ſpecies commixtæ in unum ſint confuſæ, omnes tamen in eodem tetrapharmaco reperiantur. Nam vim eorum exhibet quamlibet mixtam, & omnium pariter guſtum & ſaporem quadamtenus refert. At communis dialectus nullam habet earum proprietatum, quibus reliquæ dialecti cenſentur. Non mutat σ in τ, ut Attica, nec dicit γλῶττα pro γλῶσσα. Non dividit Diphthongos ut Æolica, nec pronuntiat πάϊς pro παῖς. Non ut Dorica ſcribit, τῆνος pro κεῖνος, τόκα pro τότε. Non ut Iones ſolent, μοῦνος dicit pro μόνος, Ἀρχίης pro Ἀρχίας. Vnaquaque ſupraſcriptarum dialectorum plurimas habet proprietates, ab illis ipſis Grammaticis notatas, quarum nullam agnoſcit communis dialectus. Et profecto nulla eſſent dialecti cujuſque propria, ſi ea communia forent ejus quæ communis vocatur. Non eſt propietas quod in communitatem cadit. Singula φάρμακα ſimplicia ex quibus compoſitum eſt tetrapharmacum, propriam habent facultatem, quæ omnia in compoſitionem tranſeunt, ſed confuſa. Non ita eſt de proprietatibus ſingularum quattuor dialectorum, ex quibus componi communẽ volunt Grammatici. Non enim proprietates ſingulæ ſuam transfundant in eam quæ communis

dicta

dicta eſt, ſed ſibi ſervant, nec eas cuiquam aliarum communicant. Falſa igitur illa comparatio Tetrapharmaci cum communi dialecto. Falſum etiam quod tradunt ex quattuor reliquis conſtare dialectis communem. Habet multa quidem cum ſingulis reliquarum διαλέκτων communia. Sed hoc etiam commune cum ipſa cæteris eſt dialectis. Sic enim unaquæque multas habet proprietates, ut tamen non paucas dictiones habeat communes cum reliquis. Ipſa quoque communis quæ dicitur, hoc videtur habere proprium, ut quod aliæ proprium habent, ei tale non ſit, ſed cum aliqua ex reliquis commune, aut cum pluribus. Non ſcribit, βρόδον & βράκος cum Æolica, ſed ῥόδον & ῥάκος, ut reliquæ. Non dicit Ἑωυτὸς ut Ionica, ſed ἑαυτὸς ſicut quatuor aliæ. Non τόκα uſurpat more Dorico, ſed τότε cum aliis. Et ſic de aliis infinitis vocibus quas communiter uſitatas habet, ut aliæ iis utuntur, repudiata proprietate enuntiationis, quæ in una reperitur. Et hoc ipſius ἰδίωμα. Hac ratione ducti receperunt eam in numerum ac cenſum dialectorum nonnulli. Iohannes Philoponus: Τῶν δὲ τὴν Κοινὴν διάλεκτον ἡγησαμένων οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι πάσαις συμβέβληται ταῖς διαλέκτοις ταῖς ὁμοφώνοις, οἷον φίλος, νὺξ, καὶ τὰ τοιαῦτα. οἱ δὲ ὅτι οὐκ ἐστὶν ἴδιον ἔχουσα τύπον, ἀλλ' ἐκ διαφόρων λέξεων συναθροισμένη, μεταπλώσεις δὲ αὐτῆς οὐχ εὑρίσκονται.

Quas

Quas rationes iſti attulerunt ut videretur ἡ Κοινὴ, in dialectis numeranda, eæ maxime faciunt ac pertinent ad eam inde excludendam: In multis vocibus convenit cum omnibus dialectis. Nam & φίλος dicit, ut reliquæ & νὺξ, & infinita alia ſimilia. Quid tum? Hoc non facit ut videri poſſit eſſe peculiaris dialectus: Immo contra. Nulla eſt dialectus quin communia habeat non pauca cum reliquis. Sed hac parte non efficitur dialectus, hoc eſt lingua differens ab aliis linguis. Oportet enim ut aliqua habeat propria quibus differat ab aliis. Hæ ſunt ἰδιότητες, quibus diſcrepat dialectus à dialecto, quæque efficiunt, ut definitio dialecti vera ſit quam Grammatici proponunt, διάλεκτος, λέξις ἴδιον χαρακτῆρα τόπου ἐμφαίνουσα. Philoponus addit, ἴδιον ἢ κοινόν. Quod eſt ineptum. Hoc videtur adjeciſſe, ut communem inter dialectos admitteret. Habent, ut dixi, omnes dialecti aliquid commune cum aliis dialectis, ſed non ea parte cenſentur dialecti, ſed ἰδιότης vel ἴδιος χαρακτὴρ hoc facit. Si omnia omnes haberent inter ſe communia, non eſſent διάλεκτοι invicem differentes. Quod aliquid habent ἴδιον ſingulę quod in reliquis non ſit, hoc διάλεκτον facit, ideſt differentem ac diverſam eloquendi formam. Hoc enim proprie ſignificat διάλεκτος, nempe linguam differentem. Duo enim hæc vox ſignificat, omnem eloquutionem ἀπὸ τῆ

δια-

διαλέγεσθαι. Sic Ariſtoteles διάλεκτον definit: Τὴν τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσιν vocis explanationem quæ lingua fit. Sic hominis propria eſt διάλεκτος quâ carent beſtiæ. Omnis vocis enunciatio vel eloquutio, διάλεκτός eſt. Ita ſæpe uſurpavit hanc vocem Ariſtoteles in libro de Poëtica pro communi ſermone privatorum vel colloquio, quæ διάλεξις eſt eloquutio proprie, non idioma linguæ qua natio à natione, populus à populo dividitur, & lingua diſſonat. Πλεῖστα γὰρ, inquit, ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. In cõmuni & familiari colloquio. Item alio loco: ὥστε οὐκ ὀρθῶς ψέγουσιν οἱ ἐπιτιμῶντες τῷ τοιούτῳ τρόπῳ τῆς διαλέκτου. Non eſt dialectus una de quinque notis, ſed ſermonis genus & eloquutionis. Et paulo poſt: Ἔτι δὲ Ἀριφράδης τοὺς τραγῳδοὺς ἐκωμῴδει, ὅτι ἃ οὐδεὶς ἂν εἴποι ἐν τῇ διαλέκτῳ, τούτοις χρῶνται, οἷον τὸ, δωμάτων ἄπο. Quod ea uſurpent in ſcriptis ſuis quibus nemo uteretur in communi ſermone, ut δωμάτων ἄπο, pro ἀπὸ δωμάτων. Nihil hæc dialectus pertinet ad dialectos gentium, ſed eſt διάλεξις, Gloſſarum auctor, *eloquutionem* interpretatur. Sed hoc ſenſu non dicuntur διάλεκτοι linguæ differentes ſingularum nationum, hoc eſt loquendi modi quibus natio à natione diſſonat ac differt. Non ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι hæc διάλεκτος deducitur, ſed ἀπὸ τοῦ διαλέγειν quod eſt diſcernere & ſegregare. Sic

accipitur

accipitur apud Platonem. Inde διάλεκτος differens ac diſpar, vel diſcretus. Ita γλῶσσα διάλεκτος, & abſolute, ut fieri in talibus amat, διάλεκτος differens elocutio, vel diſcreta loquendi ratio, qua natio à natione ſeparatur ac diſtinguitur. Sic δανειστὴς cum à verbo δανείζω formatur creditorem ſignificat & eum qui dat mutuo: cum à δανείζομαι deducitur, debitorem notat, & illum qui mutuatur. Χρήστης quoque eodem modo & pari ratione, tam qui dat utendum quid, quam qui accipit, ſignificat, prout ab activo vel paſſivo verbo derivatur. Ita διάλεκτος, aliud eſt cum ἀπὸ τοῦ διαλέγειν venit, & cum ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι. Vt ergo διάλεκτος nomine ſuo digna ſit, & differat ab alia dialecto, debet habere ἴδιον τύπον. Si non habet, non eſt διάλεκτος, hoc eſt, differens vnius nationis, vel populi lingua, ab alterius populi, vel nationis ſermone. Quæ igitur ab illis Grammaticis ratio allegabatur, ut communem reponerent in numero dialectorum, ea maxime in contrarium valet, ut non ſit inter eas recenſenda. Vel nomen Κοινὴ quo nuncupatur, oſtendit nihil habere eam proprium. Ὅτι οὐκ ἐστιν ἴδιον ἔχουσα τύπον, ἀλλ' ἐκ διαφόρων λέξεων συνηθροισμένη. *Quod propriam formam non habet, ſed ex differentibus ac diverſis vocibus coalita eſt.* Hoc maxime argumento ſtatui debet non eſſe dialectum, quæ *communis* vocatur. Si quis

Digitized by Google

orationem texeret ex variis γλώσσαις, quæ peregrina ſunt vocabula, vel ab uſu remota & jam exoleta, nullam peculiarem conderet dialecton. Poëmatia Αἰνιγματώδη Doſiadæ, Theocriti, Simmiæ, ſed & Lycophronis talia fere ſunt, ex gloſſis variarum dialectorum compoſita; Hujuſmodi orationis contextus ad nullam peculiarem gentis dialecton referri poteſt, ſed totus eſt proprius poëtæ, qui ſic ſcribere voluit. Si talis eſt communis διάλεκτος ἐκ διαφόρων λέξεων συναθροισμένη, non poteſt videri dialectus. Præterea quod adjicitur, μεταπλώσεις δὲ αὐτῆς οὐχ εὑρίσκονται. *Mutationes autem ejus non inveniuntur*; non convenit dialecto, quæ ſolet mutationes multas pati. Μετάπλωσις eſt mutatio in pejus, vel in aliud genus. In pejus mutationem ſæpius ſignificat. Barbaro ſed apto vocabulo ex Latinitate ſequiore, & in pejus ſublapſa *decadentiam*, vulgo vocamus. Hæ μεταπλώσεις accidere non conſuerunt niſi dialectis genti alicui peculiaribus. Hoc eſt iis linguis, quæ populum aliquem quaſi fundum habent in quo velut poſitæ fixæque hæreant. Hujuſmodi linguarum ſive διαλέκτων ea natura eſt, ut more corporum viventium ſua incrementa habeant, ac decrementa, ac proinde demutationes varias patiantur. Vetera vocabula exoleſcunt & intereunt. Inoleſcunt nova, quibus ſubinde in locum deſitorum ac deſueto-

rum

Digitized by Google

rum renaſcentibus, tota lingua mutatur. Quandiu eadem forma manet, idem nomen retinet. Vbi autem penitus antiqua facies intercidit, & in aliam quaſi figuram tranſiit, prioris formæ lineamentis deletis, tum alia lingua fit, & aliud nomen accipit. Scribit Quintilianus ſuo tempore *totum mutatum eſſe Romanum ſermonem.* Alius igitur fuit Ennii ætate & Pacuvii. Antiquiores etiam alium habuerunt. Alio etiam uſa Roma eſt, quo tempore fuit condita, quo Romulus nimirum & Remus loquebantur. Poſt Quintiliani ævum alias atque alias μεταπλώσεις pertulit, ſervato tamen ſemper eodem nomine Latini, vel Romani ſermonis, quandiu ſervavit priſtinæ linguæ lineamenta & colorem. Vbi vero per Barbarorum incurſiones & inundationes diſſipatum eſt Romanum Imperium, lingua quoque Romana eundem paſſa eſt exitum, & cum diſſolutione Imperii, in varias & ipſa degeneravit loquelas, quæ nec filum Romani ſermonis retinuerunt, nec nomen. Sic factæ tres linguæ ex una, Italica, Gallica & Hiſpanica. Origo earum apparet in ipſis: Facies indicat cujus matris ſint filiæ. Ita tamen hæ linguæ à Romana differunt, ut filiæ ſolent à matre diſcrepare. Quantumlibet ſimilis ſit matri filia, alia eſt. At illa mater quamvis primo infans fuerit, mox juvencula, deinde floris vegeti mulier, poſtremo anus decrepita,

Digitized by Google

per tot illas mutationes eadem perſona manſit, idem corpus circumtulit, idem nomen obtinuit. Infans ab alio infante corporis filo & ſpecie non tantum diſtat, quantum à ſeipſo cum in virum evaſit. Nec ſenis retorridi vultus tam diſſimilis eſt ſenis alterius æquævi vultui, quam ſibi ipſi, ſi pictus oſtenderetur, qualis in infantia fuit. Major tamen differentia eſt infantis & infantis, ſenis & ſenis quam ejuſdem infantis & ſenis. In illis duobus infantibus & ſenibus duo ſunt corpora diverſa, duæ ſubſtantiæ, duæ ὑποςάσεις ſeparatæ. Infans autem ille qui per tot gradus ætatum & numeros in ſenem abiit, idem conſtituit cum illo ſene corpus, eandem ἐσίαν, eandem ὑπόςασιν, & eandem perſonam. Idem eſt de dialectis. Dialectus ab alia dialecto ita diſcrepat forma & facie, ut infans ab infante, vir à viro, ſenex à ſene. Multi inter ſe infantes facie ſimiles reperiuntur, & viri, & ſenes, ita & dialecti. Eadem matre nati, vt ſimiles ſint, alii tamen ſunt. Sic ex eadem matrice dialecti variæ propagatæ, cum ſimilitudinem inter ſe oſtentent aliæ majorem, aliæ minorem, differunt tamen. Et quamvis diſcrimen inter illas minus ſit, quam quanta eſt differentia unius alicujus dialecti à ſemetipſa, propter varias, quibus ſubinde obnoxia facta eſt, μεταπτώσεις, eadem tamen manet hujus dialecti appellatio, cum aliæ nomine inter ſe quoque diffe-

differant, haud minus quam corporis lineamentis. Exempli gratia. Attica dialectus ſimilior eſt Hellenicæ communi, quam Attica vetus Atticæ novæ. Eadem tamen dialectus cenſetur illa Attica vetus & nova, eodemque nomine nuncupatur, cum Attica ab Ἑλληνικῇ communi diſtinguatur appellatione & re. Quamdiu Romana lingua *Deus* pronuntiavit, eadem lingua fuit, idem nomen habuit, quamvis pro ratione ætatum & multum ſibi diſpar, & plus etiam diſſimilis in fine & initio, quam dialectus à dialecto diſſidet. Vbi autem nominis *Deus* flexio in toto Romano imperio intercidit, & pro ea ſucceſſit, in aliis locis, *Dieu*, in aliis, *Iddio*, in aliis *Dios*, tum matre extincta, filiæ plures facie inter ſe differentes, & totidem diverſas dialectos conſtituentes in locum demortuæ ſubrogatæ ſunt. Hæ ſunt lingua Italica, Gallica & Hiſpanica. Hæc ultima multas μεταπτώσεις incurrit, per Mauros tertia ſui parte facta Saracenica. Jam vero Gallica, quæ nunc eſt, non erat eadem ante trecentos, aut quadringentos annos cum ſcriberet & pronuntiaret *Düex* aut *Dieux*. Quæ & in plures hoc tempore diviſa eſt ἰδικὰς διαλέκτους, quarum quædam ſunt quibus *Dey* dicitur pro Deo: aliis *Dé*, aliis *Di*, nonnullis etiam *Deeus*. Et Italica quoque non tantum alia nunc eſt atque olim fuit, ſed etiam in varias deducta dialectos ſpeciales ſpargitur.

Nec minus Hiſpanica. Romana autem quæ has filias genuit, & ipſa à Græca Æolica generata eſt, à qua haud minus deflexit, quam ab ipſa illæ quas peperit. Nam *Deus* pro Θεὸς dixit, cum & Æolica quædam dialectus diceret Σιός. Nam & hæc in varios χαρακτῆρας diſceſſit, pro locorum ratione in quibus inſtituta eſt. Præterea & ab ætate μεταπτῶσιν ſuſtinuit. Nam ἀρχαίαν Αἰολίδα diverſam à Nova fuiſſe notant Grammatici, qui hoc idem obſervarunt de Iade & Doride. Paſſim ἀρχαίας & νεωτέρας Ἰάδος mentionem faciunt antiqui Critici & ſcholiaſtæ poëtarum, ut ἀρχαίας, & νέας δωρίδος, ἀρχαίας, & νέας Ἀτθίδος. Similiter & Αἰολίδος. Scholiaſtes Apollonii aliquot locis notavit ὧλλοι apud illum poëtam pro ἄλλοι eſſe Idioma νεωτέρας Ἰάδος. Idem omnino fuit & de Romana lingua. Namque alia fuit vetus & nova. Quidam etiam quattuor ejus ætates fecerunt, & totidem diſcriminibus ejus ſua nomina impoſuerunt. Iſidorus lib. IX. Originum cap. I. *Latinas autem linguas quattuor eſſe quidam dixerunt, id eſt Priſcam, Latinam, Romanam, Mixtam. Priſca eſt qua vetuſtiſſimi Italiæ ſub Iano & Saturno Rege ſunt uſi incondita, ut ſe habent carmina Saliorum: Latina, quam ſub Latino, & Regibus Tuſciæ cæteri in Latio ſunt loquuti, & qua fuerunt duodecim Tabulæ ſcriptæ. Romana quæ poſt Reges exactos à populo Romano accepta eſt. Quam Nævius, Plautus,*

Digitized by Google

Plautus, Ennius, Virgilius, Poëtæ: ex Oratoribus Gracchus, vel Cicero & cæteri effuderunt. Mixta quæ poſt imperium latius promotum, ſimul cum moribus & hominibus in Romanam civitatem irrupit, integra verba per ſolœciſmos & barbariſmos corrumpens. Non eſſe vetuſti auctoris nec idonei hanc quadripartitam linguæ Latinæ diſtinctionem, ſatis apparet. Aliquid tamen habet quod tollere poſſis, ut poſtremum de mixta. Hæc mixtura ſemper omnes corrupit linguas & corrumpet. Ex hac mixta lingua Latina enatæ ſunt illæ linguæ quæ nunc in Europa celebriores ſunt, Italica, Gallica & Hiſpanica. Hominum illa diſcretio, qua auctor ille uſus eſt, nulla unquam fuit. Summa quippe diviſio fuerit in Priſcam & Novam, cujus diſtinctionis multi tamen gradus poſſint dari. Et mixta eadem cum nova, imo noviſſima. Latina & Romana ſic differunt proprie, ut Divionenſis & Burgundica. Et ſic de aliis. Mixta porro illa quam ſolœciſmis & Barbariſmis ſcatere dicit, præcipue locum habuit ac viguit Juſtiniano imperante, ut conſtat ex multis monumentis & maxime ex illo inſtrumento plenariæ ſecuritatis, quod ſcriptum eſt anno Juſtinianei Imperii XXXVIII. & nuper editum ex Bibliotheca Regia, ex qua olim illud depromſeramus, & ex involuta & inextricabili pæne charactere, qualis illo tempore Tabellionum fuit, evolveramus. Eadem mixta

Digitized by Google

ſcriptæ fuere Marculphi formulæ,ſicut in codicibus antiquis reperiuntur. Omnibus ſane linguis ſic ſua fuere initia, auctus, deceſſus poſtremo & interitus. Et quod in omnibus rebus humanis, hoc etiam linguis accidit, ut unius φθορὰ, alterius γένεσις ſit, imo & plurium. Hoc enim lege naturæ ſancitum eſt, & ſic propagatio procedit, ut ex uno per corruptionem decedente plura gigni ſoleant. Ita in uno animali ſemen eſt multorum animalium. Vna arbor infinitarum arborum traduces habet, & ſeminia. Sed aliud eſt cum viventia corpora ſimile ſibi gignunt, aliud cum mors unius, alterius aut plurium natales dat. Duobus his modis linguæ propagantur, & de una plures diverſæ exeunt. Per colonias & μετοικεσίας ex una plures diſſeminantur, ut in Hellenica uſu venit, & aliis. Sic Hellenibus natæ ſunt quattuor dialecti, totidem quot Helleni fuere nati, qui in varias regiones cum migraſſent ex natura ſoli quod inſederunt, idioma linguæ peculiare in eo prodiderunt, nationum mutantes linguam cum mutatione loci. Interdum victor populus victo ſuam linguam inſinuat, interdum qui leges dat, accipit linguam. Sæpe fit ut miſceantur victoris & victi idiomata, & ex duobus ſinceris unum corruptum producatur. Non raro autem contingit, ut per varias μεταπτώσεις lingua aliqua mutata tandem intereat tota, & ex

ejus

ejus interitu altera naſcatur, quæ differentem in tantum induit formam, ut originem diſſimulet. Ita, ut dicebamus, ex Æolica nata eſt Romana ſive Latina, ex hac Italica. Latina hodie non magis in rerum natura cenſeri debet quam Æolica. Vtraque lingua æque deperdita & abolita dici poteſt. Sic enim cui pater ac avus mortui ſunt, etſi prior avus deceſſerit, haud minus tamen patrem pro mortuo poteſt numerare, qui poſterior mortem obiit. Ita ergo & Latina lingua pari modo periiſſe putanda eſt, ut Æolica. Illa quidem quam hæc magis in uſu, ſed non magis inter linguas numeranda, quæ vivunt & vigent. Mortuis omnino linguis accenſenda eſt. Quare? Quia nullus hoc tempore extat populus qui ea utatur, haud magis quam qui Æolica. In variis Europæis gentibus multi ſunt qui eam addiſcunt. Etiam ſic poſſet Æolica doceri ſcirique ſi libri extarent ea dialecto conſcripti, ut multi reperiuntur Latini. Hujus linguæ quamvis abolitæ plurimus hodie uſus eſt, haud aliter quam medicatorum corporum. *Mummias* Perſico vocabulo vocant. Eæ requiruntur ad medicinam. Sic propter utilitatem ſcientiarum expetuntur illæ linguę, quia diſciplinas varias litteris conſignatas docent. Quod ταριχεία præſtat corporibus defunctorum, hoc litteratura confert linguis. Quæ aloe, myrrha, bitumine,

Digitized by Google

cera, ſale & aliis aromatis non fuere condita cadavera, ea haud diu poſt mortem diſſoluta contabuere. Hanc rationem invenit Ægyptus conſervandorum à tabe corporum & æternitati conſecrandorum. Qualia multa etiam nunc viſuntur adæque integra & incorrupta, quam cum primum fuere aromatis farta, & ταριχευθέντα. Abſque his medicaminibus foret, hodie pulvis eſſent, ac nulla eorum compages integra jam cerneretur. Ita omnino hoc tempore niſi fuiſſent litterarum monumenta quibus conſignatæ ſunt linguæ iſtæ, ne de aliis dicam; Græca & Romana, haud magis ſciremus, quales aut quæ fuerint, quam id ſcimus de lingua Oſcorum & Tuſcorum veterum Sabinorumque, aut de Phrygum & Lydorum antiqua dialecto. Perierunt omnes funditus, & noſtræ cognitioni ſubductæ ſunt, quæcunque librorum ope non ſervatæ, ad nos uſque tranſmitti nequiverunt. Vivunt hodie vigentque adhuc quo poſſunt modo, quæ libris commiſſæ, tota ſui compage ad nos integræ fere pervenerunt, & ultra nos etiam in æternitatem durabunt quamdiu honos litteris erit, aut erunt qui eas colent. Vita tamen hæc earum non diſtat ab ea conditione durandi, quam cadaveribus tribuebat ars qua curata ſervabantur. Vt enim iſta in eodem ſtatu perpetim manent, nullis amplius ſubjecta mutationibus, quod proprium

eſt

Digitized by Google

eſt vere viventium corporum, dum creſcunt & decreſcunt. Idem fert natura linguarum, quæ non vivunt, niſi librorum ac litterarum munere, cætera mortuæ. Omnia quæ apud auctores verba reperiuntur, ea ſola cuſtodiunt. Nulla nova producunt, nihil innovant, in eodem ſtatu ſemper hærent, nulli mutationi, aut μεταπτώσει obnoxiæ. Vt enim omnis creſcendi decreſcendique actus, ἀλλοίωσις eſt, non magis hæc in linguis mortuis, quam in corporibus locum habet. Recte itaque Philoponus de Communi dialecto ſcripſit μεταπτώσεις αὐτῆς οὐχ εὑρίσκεσθαι. Quo argumento plane conſtare illi poterat, & aliis Grammaticis liquere, τὴν κοινὴν non eſſe dialectum. Nam dialectus eſt quæ vivit ac durat, non in monumentis tantum litterarum, ſed in ore ac lingua populi, vel nationis, quæ ea utitur, certam incolentis regionem. At nuſquam erat tunc temporis uſitata in ulla gente, aut populo lingua talis Græca, qualis in ſcriptis auctorum inveniebatur. Ideo dixit idem de Bacchylidis & Simonidis eloquutione, qui communi lingua in operibus ſuis uſi fuerant, eam παντελῶς ἀγνοεῖσθαι, *prorſus ignorari*, quia nullus tum extabat populus, qui ſic loqueretur. De Pindari eloquutione idem narrat, quem & communi ſcripſiſſe ibidem tradidit. Ἰάδι ἔγραφεν Ὅμηρος, Ἀττίδι Ἀριστοφάνης, Δωρίδι Θεόκριτος, Αἰολίδι Ἀλκαῖος, κοινῇ Πίν-

Digitized by Google

Πίνδαρος. Idem tamen in eodem tractatu de Dialectis. ubi ſpeciatim de Dorica agit, Dorice agnoſcit ſcripſiſſe Pindarum, & alios poëtas ſupra nominatos, quorum dialecton Doricam penitus ignorari dicit, quia non naturâ Dores fuerint, ſed ea tantum ſcribendo idea uſi ſint. Dixerat Cretenſium dialecton Doricam, qua uſus eſt Cypſelas & Laconum, quam uſurpavit Alcman inter ſe differre. Tum ſubjicit, ἡ μὲν τοι Πινδάρου, καὶ Ἰβύκου, καὶ Σιμωνίδου, καὶ Βακχυλίδου παντελῶς ἀγνοεῖται, διὰ τὸ μὴ φύσει Δωριεῖς εἶναι τοὺς ποιητάς, χρῆσθαι δὲ μόνον τῇ διαλέξει. Vim rationis non video. Doricus genere & origine non fuit Pindarus, ergo Dorica qua uſus eſt neſcitur. An ignorabatur apud Dores ipſos? Si in uſu apud eos erat qui veri Dores erant, quomodo potuit dicere eam linguam qua uſus eſt Pindarus incognitam fuiſſe, cum Dorica fuerit? Præterea ſibi ipſi contradicit. Nam ſupra dixerat uſum eſſe communi Pindarum. Quod & ex eodem Philopono repetix Corynthus in libro de Dialectis, κοινὴ δὲ, inquit, ᾗ πάντες χρώμεθα. Ταύτῃ καὶ ὁ Πίνδαρος ἐχρήσατο. Quomodo hæc conciliabimus? Facillime, ſi dicamus Dorica uſum eum eſſe non pura, ſed ex communi mixta. Talis Dialectus nuſquam habebatur in uſu vel notitia, niſi apud eos auctores quibus talem uſurpare placuit. Eam ipſi fecerunt linguam, non repererunt. Vt qui ex duobus nativis

Digitized by Google

tivis coloribus, auripigmento & Indico facticium unum luteum concinnant. Aut qui ex duobus medicamentis ſimplicibus unum compoſitum faciunt, quale in rerum natura non extat. Ita interpretandi auctores qui Simonidem, Bacchylidem & Ibycum haud minus quam Pindarum Δωρίδα ἁρμόσασθαι notarunt. Non de mera δωρίδι intelligendi ſunt, ſed diluta per mixturam communis. Sic Cteſias Ionica vſus eſt non meraca, vt Herodotus, ſed temperata. Photius de ejus Perſicis: κέχρηται δὲ τῇ Ἰωνικῇ διαλέκτῳ εἰ καὶ μὴ δι' ὅλου. In Indicis magis Ἰωνιστὶ ſcripſerat, Ionica nimirum non ita ad communem declinante: ἀνεγνώσθη δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ Ἰνδικά, ἐν οἷς μᾶλλον Ἰωνίζει. Hujuſmodi Ionicam παντελῶς ἀγνοεῖσθαι poterat dici. Nullibi quippe niſi in Cteſiæ libris erat. Κοινὴ quæ dicitur διάλεκτος, tempore illorum Grammaticorum non magis erat cognita aut uſitata, quippe quæ non aliunde niſi ex ſcriptis auctorum eſſet haurienda. Κοινὴ δὲ inquit Corynthus, ᾗ πάντες χρώμεθα. *Communis dialectus ea eſt qua omnes utimur*, nempe ſcribentes. Qua omnes in ſcribendo uterentur, non poteſt pro dialecto cenſeri, cum nulla gens eſſet tunc in orbe terrarum, nullus populus, nulla urbs quæ eam λαλιὰν uſurparet. Lingua erat doctorum, quam qui Græcè erudiebantur magiſtrorum opera vel librorum addiſcebant. Ideo dixit Philoponus ταύτης μεταπλάσεις οὐχ εὑρίσκεσθαι.

Digitized by Google

διείσκεται. Hæc Ἑλληνικὴ etiam dicebatur. Nulli tunc Græciæ nationi hoc nomen peculiariter debetur, ſed omnes qui quocunque modo aut dialectoGræcè loquebantur, ſic vocari mos erat. Ἑλληνικὴ tamen dialectus à quibuſdam appellabatur, peculiaris Græci ſermonis forma quæ communiter in uſu erat apud omnes qui Græcè componere vellent. Vſitatus hic ſermo nulla in gente Græciæ tum fuit, niſi apud auctores. Hinc ἕλληνες & ἀρχαῖοι iidem ſunt Grammaticis. Thomas Magiſter: εὐθὲς τὸ ἀληθὲς παρὰ μόνῃ τῇ θείᾳ γραφῇ εὕρηται, παρ' οὐδενὶ δὲ τῶν ἑλλήνων εὕροις ἄν. *Apud nullum Græcorum id nomen reperias.* Quinam illi Ἕλληνες? aut quam regionem habitabant? Omnino auctores intelligit antiquos qui Græcè ſcripſerant, non ullius gentis Græcos qui tunc viverent. Qui eam loquendi Grecè vetuſtam formam ignorarent, Ἑλλήνων ἀγνώστους eos dicebant. Idem Magiſter in voce ἀτάρ. οἱ δὲ ἀντὶ, τοῦ διὰ τοῦτο χρώμενοι τῷ ἀτὰρ, πάνυ εἰσὶν ἀμαθεῖς καὶ Ἑλλήνων ἄγνωστοι. Inde ἀρχαῖα γλῶττα, Photio dicitur Helleniſmus antiquus, cui opponitur ἡ ἰδιῶτις, idioticus ſermo, & Communis illorum temporum. Σεμνὸς ὢν ἅμα καὶ εὐόμιλος ὁ Ἀγάπιος τήν τε ἀρχαίαν γλῶτταν ὑπὲρ τὴν ἰδιῶτιν μελετήσας, ἐπέστρεψεν εἰς ἑαυτὸν τοὺς ἐν Βυζαντίῳ ἀνθρώπους. Paulo poſt ait ζητητικὸν eum & κριτικὸν fuiſſe τῶν γραμματικῶν τε καὶ ῥητορικῶν. Vt antiquus ſermo opponitur

nitur idiotico, ita Græci id eſt, ἕλληνες, ſæpe apud auctores opponi ſolent idiotis, & τὸ ἑλληνικὸν τῷ ἰδιωτικῷ, ut & Α᾽ττικόν. Plerumq; vocantur hujuſmodi idiotæ qui linguam tantum ſui temporis noverant, σύρφακες, & χυδαῖοι, & οἱ πολλοὶ, qui τοῖς ἕλλησιν & τοῖς Α᾽ττικοῖς apud auctores opponi ſolent. Thomas Magiſter, ἐπιστολὴ δὲ καὶ ἐπιστολαὶ πληθυντικῶς, ῥητορικόν, ἐπιστόλιον δὲ μόνοι οἱ σύρφακες. Hoc nomine utuntur ſæpe ſcriptores Eccleſiaſtici ubi ἐπιστολίων κανονικῶν meminere. Idem hanc loquutionem ἐσχάτως ἔχει, τῶν συρφάκων eſſe notat, Πολλοὺς alibi vocat, id eſt homines de plebe qui ſolam tenebant linguam ſuæ ætatis, non antiquam Græcam. Hinc τὸ ἀρχαῖον τῷ ἀδοκίμῳ opponitur apud eundem. Βελόνη καὶ βελοπώλης ἀρχαῖα, ἡ δὲ ῥαφὶς ἀδόκιμον. Cur ἀδόκιμον? Quia recentis ævi hoc vocabulum & in uſu apud vulgum, non apud eruditos. Aliquando pro eodem dicunt, οὐχ᾽ ἑλληνικόν. ut εὐλογίαν & κακολογίαν, idem οὐχ᾽ ἑλληνικὰ eſſe dicit. Sic θεήλατον negat eſſe ἑλληνικόν, de eo quem Deus exagitat & vexat, εἰ δὲ εὕρηται που αὐτὶ τοῦ ἀπὸ Θεοῦ ἐλαθεὶς, ἢ ἀποδιωχθεὶς, οὐκ ἐστὶν ἑλληνικόν. Interdum ſui temporis ſermonem cum antiquo comparans, τοὺς παλαιοὺς nominat, & τοὺς νῦν, & τοὺς ὕστερον. Vt in voce ἀγωγὸς ita ſcribit: ἀγωγὸς οἱ ὕστερον ἐπὶ τῶν ὀχετῶν: Οἱ δὲ παλαιοὶ ἐπὶ τοῦ ἡγουμένου ὁδὸν ἵνα ἐκλαμβάνειν. Phrynichus longe antiquior Thoma

Magi-

Magiſtro τὴν ἀρχαίαν διάλεξιν & ἀρχαίαν φωνὴν, τῇ ἐπιπολαζούσῃ opponit, & τὸ ἀρχαίως καὶ ἀκριβῶς ſcribere, antiquè & accuratè, τῷ νεοχμῶς καὶ ἀμελῶς, nove & negligenter. Excuſat ſe in præfatione Atticiſtæ quod non potuerit omnes peccantes voces colligere, ſed ex iis quæ parum probatæ viderentur, eas maximè ſtuduiſſe notare quæ uſitatiores eſſent, & antiquam dicendi formam corrumperent, & conturbarent. πάσας μὲν οὐχ' οἷός τε ἐγενόμην πάνυ ὑπολαβεῖν, τὰς δ' ἐπιπολαζούσας μάλιστα καὶ τὴν ἀρχαίαν διάλεξιν ταραττούσας. Hæc ἀρχαία διάλεξις Græca longè alia fuit ab eo Græco ſermone qui tunc in urbibus Græciæ frequentabatur. Si quis enim putat tunc temporis vulgo loquutos eſſe homines Græcos, ut ſcripſere antiqui auctores, toto cœlo errat. Exemplo id oſtendere facile eſt. Hodie vulgaris Græca ex omni parte ita barbarie deformata eſt, ut vix agnoſcatur; Nihil enim fermè Græci habet, ut pote quæ non minus longe ab antiqua Græca abſtiterit, quam Italica hodierna à Romana & Latina vetere. Qui ex Græcis hodie ſtudiis operam dant, antiquam linguam addiſcunt Græcam, quæ ex libris docetur. Ante quadringentos annos minus corrupta fuit quam nunc eſt, non tamen eadem cum antiqua. Perge adhuc ultra quadringẽtos annos & fac octingentos, imo additis inſuper ducentis ad ſæculum Iuſtiniani progrediamur,

linguam

linguam habebimus puriorem Græcam barbara vulgari, non tamen uſquequaque puram. Iam tum magna ſui parte in barbariem degeneraverat, admixtis plurimis vocibus Latinis. Qui eo tempore Græce ſcripſerunt, ut Agathias & Procopius, non uſi ſunt ſermone qualis apud vulgum illius ævi uſitatus ferebatur, ſed antiquo & Ἑλληνικῷ, & ex libris auctorum veterum deſumpto. In Schola per magiſtros ille ſermo docebatur, & legendo ex libris depromebatur. Sub anterioribus Iuſtiniano Imperatoribus Romanis Græciam non tam barbaram fuiſſe liquet, quam fuit poſt Iuſtiniano imperante. Sumamus Trajanum, Antoninos, & Hadrianum. Iſtorum Cæſarum ævo floruit ſtudium linguæ Græcæ in toto ferme Imperio Romano. Sophiſtæ & Rhetores Athenis tum maxime dicendi & rhetoricandi ſtudium ſummo cum honore & fama, imo & emolumento profitebantur. Certum tamen eſt, tunc temporis homines Athenienſes non eodem modo loquutos fuiſſe, quo Demoſthenes & Æſchines aliique oratores Attici loquebantur. Tunc Atticæ mulierculæ de puritate ſermonis Attici poterant contendere cum Theophraſtis & Ariſtophanibus. Erat illa lingua illius ævi, & Atticorum illius temporis familiaris, quæ communis Ariſtophani, & Socrati, Platoni ac Demoſtheni fuit cum omni Athenienſium plebe. Sophiſtæ ἀττικίζοντες

ſub Antoninis & Athenis ipſis Atticos declamando ſuggeſtum Rhetoricum calfacientes eodem prorſus ἀττικισμῷ uſi ſunt, quo antiqui illi & verè Attici Oratores Philoſophi ac Comici, alius tamen erat per ea tempora ſermo vulgaris Atticus, in totum mutatus ab illo quem plebs Athenienſium uſurpabat ætate Demoſthenis & Ariſtophanis. Syri ipſi Sophiſtæ qui vixêre temporibus Iuliani Apoſtatæ, certabant Atticos æmulari Rhetores, & ad eam ideam conſequendam omni ope & niſu properabant. Quis autem credat in Syria illo ſæculo eundem Atticiſmi genium vulgo viguiſſe, qui Athenis in plebe ipſa Attica vigebat, cum Demoſthenes ad bellum Philippo inferendum eos incitabat? Tam Antoninorum ævo, quàm Iuliani Sophiſtas Ἀττικιστὰς fuiſſe certũ eſt, quos nemo Ἀττικοὺς dixerit aut crediderit. Ἀττικίζοντες etiam dicuntur apud Phrynichũ & alios criticos. Phrynich. γυναῖκα παρ' Ἐπιχάρμῳ ἐστὶ Δωριέων. Ἀλλ' ὁ Ἀττικίζων γυνὲκα λεγέτω. Helladius Beſantin. Ἀττικιστὴν appellat, apud Photium: Ὅτι Διονύσιος φησὶ μὴ λέγειν τοὺς Ἀττικιστὰς ὠνησάμην, ἀλλ' ἀντ' αὐτοῦ τὸ ἐπριάμην. Aliis in locis idem, ut & Phrynichus ſępè Ἀττικοὺς citat, hoc modo vel illo hanc vocem, vel illam uſurpantes. Quod de antiquis & veris Atticis intelligendum. Ὅτι τὰς νῦν λεγομένας Κρείδας οἱ Ἀττικοὶ κομμωτρίας ἐκάλουν. Quæ nunc vocantur Κρείδες, Attici appellabant

bant κωμῳδίας. Id eſt, antiqui Attici. Hinc Phrynichus ad antiquos paſſim provocat, cum de Atticorum vocabulorum norma & canone diſputat, & ἀρχαίαν χρῆσιν ubique commendat. Laudat hoc nomine Rhetorem illum, cui Ἀττικιστὴν ſuum dedicavit, id eſt, librum de Atticis vocabulis, quod purus & antiquarius Rhetor poſt illos veteres Atticos, Demoſthenem & cæteros, dicendi facultatem ad priſcum ſtatum ac formam revocare ſtudeat, correcto vel abolito, in quantum poterat, novo loquendi errore. Τὰ πρόσωπα παρ' ἣν ἀμφότερα οἱ ἀμφὶ τὰς δίκας ῥήτορες οὕτω λέγουσι παραπαίοντες. ἀλλὰ σὺ καθαρὸς καὶ ἀρχαῖος ὢν ῥήτωρ, καὶ μόνος μετά γε ἐκείνους, τοὺς ἀμφὶ τὸν Δημοσθένην λέγω, ἐπανάγων εἰς τὸ ἀρχαῖον σχῆμα τὴν ῥητορικὴν καὶ δόκιμον οὐ μόνον αὐτὸς δυσχεραίνων οὐδέποτε ἐχρήσω τῷ ὀνόματι, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἐκώλυσας χρήσασθαι, ἑλληνίζων καὶ Ἀττικίζων τὸ βασιλικὸν δικαστήριον. Inde eſt quod ſermonem Græcum qualem ſuo tempore videbant in uſu eſſe Critici illi, συνήθη vocant & κοινὸν, vocantque ἀνάττικον, & opponunt Attico. Photius de Theognoſte Alexandrino: Ἔστι δὲ τὴν φράσιν ἀπέριττος, καὶ βαθὺς, καταλέξιάτε ὡς ἀναττίκῳ καὶ συνήθει χρώμενος λόγῳ, καὶ τοῦ συνήθους οὐδ' ἐν τῇ συντάξει ἀνακεχωρηκώς. Sic enim ibi legendum, non ut vulgo eſt, ἐν Ἀττικῷ. Helladius apud eundem Photium: Ὅτι τῆς θυίας τριβεὺς δοίδυξ μὲν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ὀνο-

μάζεται, ἀλετρίβανος δὲ παρὰ τῇ συνηθείᾳ. Idem: Τὸ δὲ ὠνήμην οἱ Ἀττικοὶ προφέρουσιν, ἡ δὲ συνήθεια διὰ τοῦ α. Nempe ὠνάμην. Inde Phrynichus: ὠνάμην & ὤνασο & ὤνατο πάντα eſſe ἀδόκιμα pronuntiat, cum veteres dixerint ὠνήμην, ὤνησο, ὤνητο. Idem Helladius καρβωνάριον in uſu vulgari fuiſſe notat, pro eo, qui veteribus ἀνθρακεύς: voce nimirum barbara Græcis, & Latina. Ὅτι ἀνθρακεὺς ὁ ἐν τῇ συνηθείᾳ καρβωνάριος. Sic τῷ Ἀττικισμῷ τὸ καθωμιλημένον Photius opponit, id eſt uſu tritum & in conſuetudine poſitum loquendi genus. De Heracliano. Sic & ἡ κοινότης λέξεων apud eundem Photium opponitur τῷ Ἀττικισμῷ, De Marco Monacho: Σαφὴς μὲν ἐστὶν ὅσον ἐπὶ τῇ κοινότητι τῆς λέξεων, εἰ καὶ μὴ πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἀπηκρίβωται τὰ ὅλα γλῶτταν. Nam τὸ κοινὸν idem quod τὸ ἰδιωτικὸν, & ἀδόκιμον. Aliquando tamen accipitur pro ἑλληνικῷ quod eſt proprium κοινῆς διαλέκτου cum Ἕλληνες & Ἀττικοὶ diſtinguuntur, ut infra docebimus. Qui eo tempore ſcribebant Græcè, & periti hujus linguæ videri volebant, à vulgari & trita dicendi conſuetudine abhorrebant, & antiquam affectabant. Idiotæ cenſebantur & vocari ſolebant qui linguam tantum ſui ſæculi norant. Propterea τὸ ἰδιωτικόν quod idem eſt ac σύνηθες vel κοινὸν vel καθωμιλημένον, vel χυδαῖον, vel ἀγοραῖον, quod & Ἀνάττικον appellant, ab Attico ſeparant. Helladius: ὅτι τὸ μάκτραν καλεῖν,

Digitized by Google

λεῖν, ἐν αἷς τὰς μάζας μάττουσιν, Ἀττικὸν καὶ οὐχ ὡς ἔνιοι δοκοῦσιν ἰδιωτικόν. Sed cur vetus lingua Atticorum vel Græcorum melior videbatur illius temporis Scriptoribus & Oratoribus, quam quæ tunc in uſu erat? Qui antiquam magis probabant quam ſuam, cur antiquiſſimam iidem repudiabant? Vetuſtiſſimi Græci πόρκον dicebant pro ſue, inde Latinis *porcus*. At nemo Sophiſtarum illorum fuit & ἀττικιστῶν, quales ſub Antoninis aut ſub Iuliano vixêre, qui cum Atticiſmum Demoſthenicæ ætatis affectaret, antiquius ſed jam antiquatum dicendi genus quod Cecropis tempore vel etiam Solonis invaluerat, æmulari vellet. Idem fatum & Latinitatis fuit. Antoninorum ævo Agellius politiſſime & elegantiſſimè ſcripſit, & prorſus ἀρχαϊκὸν dicendi modum imitatus eſt, non tamen antiquiſſimum, qualis extabat in duodecim Tabularum legibus, aut in libris fœderum, aut Annalibus Pontificum aut in columna Duillii, aut in inſcriptione Scipionis Aſiatici. Si quis autem putat Agellium ſcripſiſſe ut ætas qua vixit latine loquuta eſt, prorſus fallitur. Omnium linguarum conditio eſt, ut corporum & aliarum rerum quæ creſcunt ac decreſcunt, ubi ad ſummum adoleſcendi cacumen venerunt, poſtea retro ferri ac ſublabi ſolent, donec plane decidant atque intereant. Infantia eſt dialectorum, & ſenium. Inter utrumque tempus, quaſi virilis

 earum

earum ætas, ſtatui debet, qua velut in flore ſunt & ἀκμῇ. Nemo ſenex ubi decrepitus factus eſt, infantiam ſuam deſiderat, aut revocari ad illud tempus vellet quo balbutiebat, aut pedibus inſiſtere non poterat. In virum redire optaret, & illius ætatis robur reddi ſibi. Idem eſt de linguis & dialectis. Cum ſenium attigerunt, qui eis utuntur ſentiunt quantopere vis & forma talis linguæ in barbariem præcipitatæ diſcrepet à flore & vigore quo olim pollebat. Præſertim ſi monumenta extent quibus conſignatur quali facie ac nitore fuerit, & habitudine corporis, cum floreret. Si enim nulla extet memoria ex qua deprehendi poſſit differentia veteris & novæ linguæ, ἀκμαζούσης & παρακμαζούσης, illa ſemper optima videbitur, & præſtantiſſima quam uſus præſens commendabit. Reſpublica quæ Tyrannide opprimitur, ſi non meminerit ſe ſub melioribus olim dominis fuiſſe, nec eos requirit, ſed putat ſtatum præſentem præſtare præterito. Juſtiniano regnante, ſi veteris Latinitatis & Græciſmi nuſquam veſtigium ullum conſervatum in libris fuiſſet, tunc temporis homines ita Latine ſcripſiſſent, ut eſt inſtrumentum ſecuritatis nuper editum; atq; ita Græcè μιξοβαρβάρως, ut eſt Conſtantini Porphyrogenetæ liber de Imperio. Quem tamen multo politiorem & Græciorem eſſe conſtat quam fuit illius temporis loquela.

Iuſtiniani

Iuſtiniani ævum haud melius loquutum eſſe nec purius plane liquet. Fateor tamen non multum variare dialectos quantum ad pulchritudinem attinet & excellentiam in ea republica, vel natione quæ nullas ipſa mutationes recipit. Alia dicendi forma fuit ac facultas cum plures rexêre Rempublicam Romanam, quam ubi cecidit in poteſtatem unius. Alia fuit Romæ Latinitas cum nec Grammaticæ, nec Rhetoricæ operam darent Romani, & cum artes optimæ & litteratura in ea urbe locum repererunt. Is fuit flos, ea ἀκμὴ linguæ Latinæ cum Roma habuit præſtantiſſimos Oratores, Philoſophos, Grammaticos, & bonarum artium ſtudioſos. Ab his lingua Latina exculta eſt & ad ſummum decus provecta. Vbi artes & ſcientiæ in contemptum venerunt, ſtudium etiam illius linguæ, qua illæ inſtruebantur & ornabantur, retro labi cœpit & cadere. Quin ipſa etiam lingua tandem deperiit & in aliam formam mutata priori prorſus diſſimilem degeneravit. Barbarorum incurſiones hanc ultimam linguæ ἔκπτωσιν poſt varias ejus μεταπτώσεις maximè effecerunt. In temporibus Demoſthenis ἀκμὴν & florem Atticæ linguæ conſtituere licet, ut latinę Ciceronis ætate. Tum duas illàs reſpublicas litteris, armis, omnibus artibus, maximè floruiſſe certum eſt. Quo minus mirum eſt, ſi & lingua illius ætatis quaſi κανὼν & στάθμη poſterîtati utriuſ-

Digitized by Google

utriuſque Reipublicæ, Græcæ ac Romanæ habita eſt. Ab illa enim ἀκμὴ ſequuta eſt παρακμὴ in utraque Republica, ut artium ſcientiarumque, ita & linguæ. Vt formam dicendi quæ ἀκμὴν præceſſit minus probam duxerunt, uſu melioris utpote prodito, ita quæ poſt ἀκμὴν ſucceſſit, etiam deterior reputata eſt. Uſus tamen ejus ſemper plebi relictus eſt, cum veteris & melioris quamvis deſitæ ac exoletæ φράσιν doctiorem retinerent, & libros ea componerent. Hæc lingua ut dixi eruditorum ſemper habita eſt. Πεπαιδευμένους vocat Phrynichus qui antiquum Atticiſmum & Helleniſmum affectabant & ἀμαθεῖς atque ἰδιώτας vel ἀγοραίους, qui vulgarem & uſu tritum frequentarent. Ὀπωροπώλης, inquit, τοῦτο οἱ ἀγοραῖοι λέγουσι, οἱ δὲ πεπαιδευμένοι Ὀπωρώνης ὡς καὶ Δημοσθένης. Dialectus non eſt iſta eruditorum ac πεπαιδευμένων eloquutio. Vt dicatur propriè dialectus, totam gentem idiotarum & ἀμαθῶν eſſe oportet quæ eo loquendi modo utatur. Docti ejuſdem gentis eandem linguam cum plebe ipſa imperitorum uſurpant. Nam & ipſa doctorum turba, quæ ex libris & magiſtris veterem linguam addiſcit, cum vulgo ſui temporis loquitur. Si enim loquerentur, ut ſcribunt atque ut edocti ſunt, à nemine intelligerentur. Dialectus igitur non docetur, ſed imbibitur, & una cum lacte per nutrices infantibus inſinuatur, ejuſdem gentis

tis indigenis. Alienigenæ certe eam ediſcere coguntur, ſi modo uti volunt. Et hic locum plane habet quod ſcribit Iſidorus IX. Originum ex aliquo antiquo auctore: *Omnem linguam unuſquiſque hominum ſive Græcam ſive Latinam, ſive cæterarum gentium, aut audiendo poteſt tenere, aut legendo, aut ex præceptore accipere. Cum autem omnium linguarum ſcientia difficilis cuiquam ſit, nemo tamen tam deſidioſus eſt, ut in ſua gente poſitus ſuæ gentis linguam neſciat.* Cæteræ linguæ externæ cum labore diſcuntur, aut legendo aut audiendo, aut per præceptorem, ſola vernacula cum lacte ſub nutrice imbibitur. Hecatæus qui Mileſius fuit, & proinde Ionicæ originis & linguæ, ſuam à nutrice Ionicam hauſit, qua & Hiſtoriam conſcripſit. Herodotus qui Dorus erat, Ionicæ dialecti facultatem à magiſtro vel alio modo accepit. Ideo non pura nec meraca, ut Hecatæus, ſed mixta & temperata uſus eſt in Hiſtoria ſcribenda. An alios Magiſtros habuerit Ionicæ linguæ, neſcio. Certe Hecatæum imitatus eſt. Hermogenes: Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος παρ' οὗ δὴ μάλιστα ὠφέληται Ἡρόδοτος. Et paulo poſt: τῇ διαλέκτῳ ὁ ἀκεράτῳ Ἰάδι καὶ οὐ μεμιγμένῃ χρώμενος, οὐ ὁ κατὰ τὸν Ἡρόδοτον ποικίλῃ. Cteſias etiam Doricus, id eſt Cnidius, magis mixta uſus eſt lade quam Herodotus. Democritus proinde Ionici generis, quia Abdera reſtituta ſunt, vetuſtate jam collapſa, à Clazomeniis qui Iones

 erant,

erant, colonia in eam urbem deducta, purio-ri uſus eſt Ionica quam Hippocrates qui Cous fuit, ex Dorica urbe. Tunc vigebat linguæ Ionicæ honos, quia Ionum gens tum ex-tabat, cui ea dialectus peculiaris. Viva igi-tur voce per magiſtrum percipi poterat. At cum Arrianus Indica ſua Ionice compoſuit, nullus erat qui dialectum Ionicam noſſet. Ex libris igitur ac ab auctoribus qui eodem ſer-mone ſcripſerant, haurire eam debuit. Multo minus veſtigium ullum Ionicæ dialecti ſuper-erat cum Praxagoras Athenienſis vitam Con-ſtantini Magni ea dialecto exaravit. Sed nec Attica lingua priſca Demoſthenica vel Ariſto-phanea, eo tempore magis in rerum natura comparebat, quam Ionica. Ideo æque procli-ve fuit illi Praxagoræ linguam Ionicam ad-diſcere eaque libros conficere, quam Atticam. Photius: τὸ δὲ μαργαρίδες παρά τε Πραξαγόρᾳ ἰωνίζοντι ἐν τῇ περὶ τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον δευτέρᾳ ἱστορίᾳ. Notabis ἰωνίζοντα dici hunc Praxago-ram Photio, quod idem eſt atque ἰωνιστήν. Fuiſ-ſe domo Athenienſem iſtum ſcriptorem, pau-lo poſt dicit idem Photius: Ἀνεγνώσθη Πραξα-γόρου τοῦ Ἀθηναίου τῶν κατὰ τὸν μέγαν Κωνσταντῖνον ἱστορίας βιβλία δύο. κέχρηται δὲ καὶ ἰωνικῇ διαλέκτῳ. Scri-pſit ille Ionicè poſt linguam Ionicam jam mortuam, ut & Arrianus. At Hippocrates, Herodotus ac Cteſias ea adhuc vigente ac florente in gente Ionum, Ionicè ſcripſe-runt,

Digitized by Google

runt, & eum ſermonem patrio prætulerunt. Eadem certe ratio eſt linguæ mortuæ, & è rerum natura ſublatæ, cum nulla gens amplius exiſtit quæ ea utatur, & deſitæ vel exoletæ & in aliam formam mutatæ. Cum nulla jam ſit Latina linguæ nec Græca, qui tamen Græce vel Latine diſcunt aut ſcribunt, melioris tantum ſæculi latinitatem & Helleniſmum eligunt quo imbuantur. Idem fecerunt qui viventibus ac ſtantibus adhuc illis linguis, ſed jam deflexis à nativo & priſco nitore res geſtas litteris mandare ſtuduerunt. Spreta ſæculi ſui eloquutione, velut impuriore, eam quæ meliori ætate puritatis florem adepta videbatur, expetierunt atque edidicerunt. Ita Agellius, Solinus, Pacatus, Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Symmachus Latinitatem longe elegantiorem ſectati ſunt, quam quæ ſuo ſæculo obtinuit. Idem etiam factitatum eſt à Græcis ſequioris ævi, qui libros compoſuerunt in quocunque argumento. Sumatur in manus Bibliotheca Photii, & judicium ejus de ſingulis ſcriptoribus quos evolvit, perlegatur, tum intelligere facile fuerit, quali quiſq; idea aut charactere in ſcribendo uſus fuerit. Alii enim ultra χυδαιολογίαν & temporis ſui ἰδιωτισμὸν non aſſurrexerunt, plures Ἀττικισμὸν affectarunt, & quidam etiam ὑπεραττικιζούσῃ λέξει uſi reperiuntur. Nonnulli etiam ἰωνιζούσῃ, cum tamen nec Ionicæ nec Atticæ dialecti veteris

teris ulla amplius extaret memoria, præterquã in libris, ac litterarum monumentis. Quod de Atticiſmo diximus, idem de Helleniſmo planè dicendum conſtat. Vetus Helleniſmus nullus erat tunc, nec in ulla gente cuſtodiebatur. Soli libri eum continebant. Recens autem Helleniſmus multum diſtabat ab antiquo. ἑλληνικὴ dialectus non magis tunc ἐν τοῖς οὖσι fuit quam Ἀττικὴ vel Ἰωνικὴ vel Δωρικὴ atque etiam Αἰολική. Hæc eſt quã κοινὴν διάλεκτον Grammatici illius temporis appellarunt, quæ nec dialectis accenſenda viſa eſt pleriſq; illorum. Et merito ſani. Sed non viderunt aliam cauſam eſſe, quæ vetaret eam adſcribi numero dialectorũ quam quæ ab ipſis adfertur. Quia nullus erat tunc populus qui ea eloquutione uteretur, hęc ratio eſt cur non cenſeri poſſit dialectus. Ἀττικισμὸν & Ἑλληνισμὸν ſępe jungunt auctores. Sed & diſjungunt, quia diſcernunt. Pollux in laudibus Rhetoris ἕλληνα & Ἀττικὸν inter probi oratoris ac δημαγωγοῦ recenſet. ἐπιμελὴς, ἀκριβὴς, ἐσκεμμένος, πάνσοφος, ἕλλην, Ἀττικὸς, & in adverbiis de eodem perito oratore, ἀκριβῶς, ἐσκεμμένως, ἑλληνικῶς, Ἀττικῶς. Inde & ad verba tranſiit, ἐπιμεληθῆναι, ἀκριβῶσαι, ἐσκέψαι, ἑλληνίσαι, Ἀττικίσαι. Ergo ille Rhetor ἕλλην & Ἀττικὸς pro ἑλληνίζοντι & ἀττικίζοντι ab eo ponitur, vel quod idem eſt, pro ἑλληνιστῆ & Ἀττικιστῆ. Sic ἕλλην & ἑλληνιστὴς idem de eo qui religiones ἑλλήνων ſive gentilium ſequitur. Reſidebat

ſidebat

ſidebat tum quidem Atticus aliquis populus, quia ipſæ Athenæ reſtabant. Sed cum mutatus eſſet Athenienſium ſermo qui Demoſthenis ætate vigebat, de alio ἀττικισμῷ intelligebat Pollux quam qui illo in tempore uſurpabatur. Helleniſmi alia ratio fuit ac conditio. Nulli quippe tunc proprie ἕλληνες extabant aut dicebantur quibus adſcribi poſſet ille Helleniſmus. Hac tamen in parte pares Atticiſmus, de quo intellexit Pollux, & Helleniſmus, quod uterque in libris tantum, & penes ſcriptores reperiretur. Phrynichus Cornelianum Rhetorem, cui ſuam collectionem Ἀττικιστὴν inſcripſit, eo nomine laudat & commendat, quod Tribunalia judicum illis temporibus ad priſtinam ἑλληνισμοῦ & Ἀττικισμοῦ formam reducere conaretur. Quod non ſolum ipſe puritatem antiquam Græci & Attici ſermonis affectaret, ſed etiam alios ſui temporis Rhetores ad eandem affectationem & ſtudium compelleret; ἑλληνίζων καὶ ἀττικίζων τὸ βασιλικὸν δικαστήριον. Id eſt, *Hellenica & Attica dicendi conſuetudine & forma imbuens Cæſareum Tribunal.* Ipſe Phrynichus, ut & Thomas magiſter, aliique ejuſmodi Ἀττικισταὶ cum de voce aliqua diſputant quæ extranea videtur & peregrina, ἀνάττικον eam interdum appellant, interdum οὐχ ἑλληνικὴν, & ἀνελλήνιστον. Quaſi ἑλληνισμὸς idem foret & Ἀττικισμός. Vtrumque tamen alibi diſtinguere ſolent, notantes

voca-

vocabula in eadem ſignificatione alia eſſe Atticorum, alia ἑλλήνων. Interdum & eandem vocem in alia notione aliter ἕλληνας uſurpare, aliter Ἀττικούς. Phrynichus: Τάχιον οἱ ἕλληνες οὐ λέγουσι· θᾶττον δὲ. Μᾶλλον μὲν οὖν ἕλληνες τὸ τάχιον, θᾶττον δὲ Ἀττικοί. Ab eo ſumpſit Thomas Magiſter: θᾶττον Ἀττικοὶ, τάχιον ἕλληνες. Idem paulo poſt: Θᾶκος Ἀττικὸν. θρόνος ἑλληνικὸν. Idem Thomas: ἐνέχυρα, Ἀττικοί. ἐνέχυρον ἕλληνες. Mœris Atticiſta quem ſe legiſſe in Bibliotheca ſua teſtatur Photius, & qui hodie extat in multis Bibliothecis Gallicis & Anglicanis, in tota illa συλλογῇ, nihil frequentius notavit quam differentiam nominum Atticorum & ἑλληνικῶν. Qui ſunt illi ἕλληνες qui ab Atticis ſeparantur, & quæ illa ἑλληνικὴ, quæ tanquam diverſa dialectus ab Attica ſtatuitur? Certe vix poteſt eſſe alia quam cui Κοινῆς nomen indiderunt Grammatici. Quidquid igitur non eſt Atticum nec proprium Atticæ dialecti, hoc ad communem pertinet, quæ & ἑλληνικὴ dicitur. Exempli gratia, aliter ὀργὰς appellatur Atticis, aliter cæteris Græcis. Attici hoc nomine vocarunt partem ſoli quod inter Atticam regionem & Megaricam deabus erat conſecratum, Cereri & Liberæ. Communiter vero, hoc & in cætera Græcia ὀργὰς dicebatur omnis terra quæ fructibus gignendis foret apta. Helladius: Ὅτι ὀργὰς μὲν κοινῶς πᾶσα γῆ, ὅση ἐπιτηδεία πρὸς καρπῶν γονάς.

ὀργάδα

Digitized by Google

ὀργάδα ἰδίως ἐκάλουν οἱ Ἀθηναῖοι τὴν ταῖν θεαῖν ἀνειμένην τῆς Ἀττικῆς μεταξὺ καὶ Μεγαρίδος. Hinc multi ὀργάδα poſuerunt pro qualibet terra diis conſecrata. Τὸ ἴδιον proprie pertinet ad dialectum. Nam Διάλεκτος eſt ἰδίωμα, vel ἴδιος χαρακτὴρ cujuſlibet nationis. Quæ vero vox vel dictio communis eſt plurium dialectorum, ea nulli peculiariter tribuitur, & ſpecialem dialectum non facit. Ergo ἡ κοινὴ non eſt dialectus, nec ἑλληνική, cum idem ſit ἡ κοινὴ cum ἑλληνικῇ. Hinc τὸ κοινὸν & τὸ ἑλληνικὸν idem apud Grammaticos, & κοινοὶ vocantur qui ſunt Ἕλληνες. Mœris Atticiſta: Βελβίδες αἱ ἐπὶ τῶν ἀφέσεων βάσεις ἐγκεχαραγμέναι, αἷς ἐπιβαίνοντες οἱ δρομεῖς ἵνα ἐξ ἴσου ἵσταιντο, Ἀττικὸν, ὕσπληγξ τὸ κοινόν. Ideſt ἑλληνικόν. Sic κοινοὶ opponuntur Ἀττικοῖς apud Thomam magiſtrum. ἦλθε κοινόν. ἐλήλυθε Ἀττικόν. Sine dubio illud ἦλθε vocatur κοινὸν, quia commune ſit omnium Græcorum: cum ἐλήλυθε proprium habeatur ſolorum Atticorum. Exemplo ſit & Λίτρον. Ita vocant Attici quod aliis Νίτρον. Nam mutant illi τὸ Ν in Λ, non in hac tantum voce, ſed in aliis. Ἀνδράχλη quippe dicunt, quæ aliis ἀνδράχνη. Quod peccatum nec eſt παρὰ γράμμα, ut vult Helladius, qui putat melius eſſe, ut Attici ſcribebant, Ἀνδράχλη quam ἀνδράχνη. Nam idioma eſt Atticæ dialecti mutantis Lambda in Nun. καὶ ἀντὶ τοῦ ἀνδράχλη διὰ τοῦ λ, οὕτω γὰρ φασὶν οἱ Ἀττικοὶ, λέγουσιν ἀνδράχνη.

Quod

Digitized by Google

Quod παρὰ γράμμα ἡμαρτημένον illi eſſe videtur perperam. Ἀλάβαστρον pro ἀνάβαστρον ab eadem deſcendit dialecto, cum tamen ratio poſtulet magis ἀνάβαστρον. Sic origo vocis νίτρον quæ Hebræa eſt, exigit plane ut dicatur νίτρον. Attici vero pro eo pronuntiabant λίτρον. Cæteri Græci νίτρον. Quod erat melius utpote ad originem magis accedens. Mœris Atticiſta: λίτρον ἀττικῶς. νίτρον ἑλληνικῶς. Quomodo ἑλληνικῶς. Quinam illi ἕλληνες, qui ſic vocabant, præter ſolos Atticos? Certe omnes. Nempè Iones, Dores & Æoles. Sed & Sappho quæ Æolice cantillavit, νίτρον dixiſſe obſervat Phrynichus. Νίτρον, τοῦτο Αἰολεὺς μὲν ἂν εἴποι, ὥσπερ οὖν καὶ Σαπφὼ διὰ τοῦ ν. Ἀθηναῖος δὲ διὰ τοῦ λ. λίτρον. Non tantum Æolicus ita dixerit, ſed etiam Ionicus ac Doricus. Quippe exceptis Atticis qui dicebant λίτρον, cæteri omnes ἕλληνες ſcribebant Νίτρον. Vnde & ἀφρόνιτρον vocabatur non ἀφρόλιτρον. Quod etiam Latini pro ſuo uſurparunt. Martialis: *Græcus es ? Aphronitrum.* Hanc etiam vocem quia non ſit Attica damnat idem Phrynichus, & dici vult λίτρου ἀφρὸν, vel ſimpliciter λίτρον. Ἀφρόνιτρον, inquit, τελέως ἐξίτηλον καὶ ἀδόκιμον. χρὴ οὖν λίτρον λέγειν, ἢ λίτρου ἀφρὸν. Νίτρου itaque cum N littera ſcriptum, quod erat omnium ἑλλήνων commune, exceptis Atticis, ἑλληνικὸν & κοινὸν dici poteſt, utpote ex ἑλληνικῇ ſive κοινῇ dialecto deſcendens. Inde & κοινοὶ

pro

Digitized by Google

pro ἕλληνες illis Magiſtris. Διφρεία, Α᾿ττικοὶ, δίφρευσις κοινοί. Item; τὰ δὲ περὶ τὸ κέρας οἱ μὲν κοινοὶ διὰ τοῦ τ⊙ κλίνουσι, μονοκέρως μονοκέρωτ⊙. οἱ δὲ Α᾿ττικοὶ κατὰ ἀποβολὴν τοῦ σ. Illi κοινοὶ omnino ſunt ἕλληνες. Nam ſi ſolos Atticos excipias, cæteri Græci, & aliæ Græcorum dialecti ita eas voces à κέρας compoſitas declinabant. Omnes dialecti Græciæ, ἑλληνικαὶ vocantur. Cum ergo aliquod vocabulum proprium erat unius dialecti, ſi aliud haberent cæteræ ad eandem rem ſignificandam, aut eodem ſed aliter flexo uterentur, vel cum diverſo accentu, tum ἑλληνικὸν illud dici ſolebat & κοινὸν, ſi omnium aliorum Græcorum eſſet commune. Sic αὔη Attice dicebatur quæ αὔθεσις communiter apud alios Græcos. Mœris: Α῎νθη, Α᾿ττικῶς, ἄνθησις ἑλληνικῶς. Ita in aliis ſexcentis. Illud autêm ἑλληνικὸν vel κοινὸν cum nullius ſit dialecti proprium, ſed multarum commune, non poteſt ἑλληνικὴ vel κοινὴ διάλεκτ⊙ dari cui nomen hoc dialecti proprie conveniat. Non enim ulla gens, ulla natio, ullus populus fuit, qui hoc idiomate uteretur. Hinc Phrynichus qui Atticiſmum ſolum purum probat, & ab omnibus aliarum dialectorum vocibus repurgatum, ſolas, præter Atticam tres dialectos nominat, Æolenſium, Dorenſium & Ionum. Α᾿λλ᾿ οὐ προσίεται, inquit, ὁ Α᾿θηναῖ⊙ ἀλλοδαπὴν διάλεξιν. ὅπου γὰρ ἀνεπίμικτ⊙ καὶ ἄχραντ⊙ βούλεται μένειν τῆς ἄλλης ἑλ-

Digitized by Google

λάδος, Αἰολέων λέγω, καὶ Δωριέων καὶ Ἰώνων, τούτων μὲν τοι συγγενῶν ὄντων, σχολῇ γ' ἂν ἀδόκιμον μιξοβάρβαρον προσοῖτο φωνήν. *Verum Athenienſis non admittit peregrinam dictionem. Si enim purus & incontaminatus ab alia omni Græcia manere vult, nihilque habere commune cum Æolibus, Ionibus & Doribus, quamvis ſibi cognatis, multo minus reciperet verbum improbum, & ſemibarbarum.* Qui Dores, Æoles & Iones nominavit, à quorum dialecto Atticos qui puri putique haberi cuperent, intemeratos manere voluit, cur ἕλληνας tacuit? Nam & alibi ἕλληνας ab Atticis ſeparat, & voces Atticas præfert ἑλληνικαῖς, ut θᾶττον quod erat Atticorum, melius cenſet quam quomodo ἕλληνες dicebant, τάχιον. Alibi pure & eleganter loquendi facultatem ad obruſſam ſermonis Attici exigit, nullas alias voces probans niſi quæ eſſent Atticis & quidem antiquis Atticis uſitatæ. Vt aliquod verbum ſit δόκιμον, Atticum eſſe flagitat, ac Atticis in uſu. οὐ γὰρ, inquit, Ἰωνικῶν καὶ Δωρικῶν καὶ Αἰολικῶν ἐξέτασις ἐστὶν ὀνομάτων, ἀλλ' Ἀττικῶν, ὥσπερ καὶ τὸ δόκιμον τῆς χρήσεως κρινεῖ. *Non enim ſpectantur Ionica, nec Dorica, nec Æolica vocabula, ſed Attica, quemadmodum ex uſu recepto judicantur.* Nec meminit hîc τῶν ἑλλήνων. An ἕλληνες illi idem ſunt cum Atticis? Alio loco clare eos diſtinguit. Ἀνελλήνιστον tamen eſt ubi pro impuro, & minime probo vocabulo uſurpavit, eodem ſenſu quo ἀνάττικον. Sed & ἑλληνίζειν ut ἀττικίζειν in eodẽ ſigni-

ſignificatu ex æquo conjunxit, ἑλληνίζων καὶ ἀττικίζων τὸ βασιλικὸν δικαστήριον. Ergo ὄνομα ἑλληνικὸν ejuſdem pretii & exiſtimationis, cujus Ἀττικὸν, ad Græcæ & probæ eloquutionis normam ſanciendam. Inde ἑλληνισμὸς à Rhetoribus Græcis inter partes oratoriæ facultatis prima ponitur, qua exigitur, ut pura Græcaque ſit oratio. Idem Phrynichus ἑλλήνων φωνὴν aliquot locis nominat, pro lingua puriſſima quæ reſpuit omnes voces extraneas, ac peregrinas, aut è trivio petitas. In voce στηθύνιον, πόθεν, inquit, εἰσεκώμασε καὶ τοῦτο τὸ κακὸν τῇ ἑλλήνων φωνῇ; *Unde irrupit hoc malum vocis in ſermonem Græcorum?* Ergo ἕλληνες ſunt qui lingua utuntur maxime ſincera, à qua ſegregandum ſit quidquid eſt impurum & exoticum. Et paulo poſt: χήμη, πόθεν ἀνεμίχθη τῇ τῶν ἑλλήνων φωνῇ, ἄδηλον. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι κογχύλην λέγουσι τοῦτο. Ad iſtos ἀρχαίους ſemper nos revocat, quoties uſum probæ dictionis commendare vult aut explorare an græca ſit & recta. Nam in prima libri ſui fronte hęc verba propoſuit: ὅστις ἀρχαίως καὶ δοκίμως ἐθέλει διαλέγεσθαι, τάδε αὐτῷ φυλακτέα. Hi ἀρχαῖοι interdum ab eo ἕλληνες vocantur, interdum Ἀττικοί. Hinc idem, cum dialectos enumerat Græciæ, ex quibus ſumptæ voces admiſcendæ non ſint Græcæ orationi quia puritatem ejus inquinant, ἕλληνας inter eos non recenſet, ſed ſolos Æoles, Iones & Dores. Ex quo colligitur ἕλληνας illi eoſ-

dem eſſe cum Atticis. Atqui alibi clare eos ſeparat, cum τάχιον ex loquela ἑλλήνων venire dicit, θᾶττον Atticorum facit proprium. Quomodo igitur hæc conciliabuntur? Ea via quam jam inibimus, aut nulla. Cum ἕλληνας iſti auctores Atticis opponunt, & hos ab illis diſtinguunt, ἑλλήνων nomine certum eſt ab his intelligi reliquarum dialectorum Græcos, excepta Attica. Sic ἄλλην ἑλλάδα ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς quæ etiam ἑλλὰς eſt, diſcernit Phrynichus. ὅπου ἀνεπίμικτος καὶ ἄχραντος βούλεται εἶναι τῆς ἄλλης ἑλλάδος. De Athenienſi & Attico loquitur. Ergo ἕλληνες qui ab Atticis ſeparantur, ſunt οἱ ἄλλοι ἕλληνες. Quos interdum ἄλλους ſimpliciter vocant. Vt Thomas Magiſter: ἀσπαίρω, Ἀττικοὶ, οἱ δὲ ἄλλοι, σπαίρω. Et manifeſtum omnino eſt, ἕλληνας dialectum propriam & ſingularem ibi non facere, ut Attici faciunt. Ergo aliarum dialectorum ἕλληνες intelligi par eſt. Sic etiam ἑλληνικὰ accipienda cum ab Atticis vocabulis diſcriminantur penes hos Grammaticos. Exempli gratia apud Mœridem in Atticiſta Λητουργεῖν διὰ τοῦ η, Ἀττικόν, διὰ δὲ τῆς ει διφθόγγου ἑλληνικόν. Nulla eſt certa aut ſpecialis dialectus quæ λειτουργεῖν ſcribat per diphthongum, cum Attici per η enunciant. Ergo ἑλληνικὸν illud trium aliarum dialectorum commune eſt, Ionicæ, Doricæ & Æolicæ. Sic apud eundem; Μῶν Ἀττικόν. μὴ ἄρα ἑλληνικόν. Illud μῶν ſolorum eſt Attico-

rum

rum proprium, μὴ ἄρα reliquorum Græcorum commune. Item: Οἶς μονοσύλλαβον Α'ττικόν. Πρόβατον ἑλληνικόν. Hoc verbi πρόβατον de ove Græci omnes uſurpant. Παροψὶς Atticis genus eſt μάζας. Reliqui Græci vas hoc nomine appellant, ut & Latini qui à Græcis acceperunt. Juvenalis: *Magnaque paropſide cœnat.* Mœris: Παροψίδα τ̀ ποίαν μάζαν Α'ττικῶς Παροψίδα τὸ σκεῦος ἑλληνικῶς. Hinc & κοινὸν ſæpe appellant pro ἑλληνικῷ, quod nimirum commune eſt aliarum διαλεκτῶν, ut jam ante docuimus. Ita accipi debere hos ἕλληνας cum ab Atticis diſcernuntur, vel illud indicio eſt, quod ſæpe vocabula quædam ἁπλῶς à Græcis in aliquo ſignificatu poni notant, quæ ἰδίως aliam apud Atticos habent ſignificationem. Sic Thomas magiſter pluribus locis loquutus eſt, ut in hoc: Α'λάβαστον δίχα τοῦ ρ Α'ττικόν. μετὰ δὲ τοῦ ρ ἁπλῶς ἕλληνες. Illud ἁπλῶς ſemper opponi ſolet τῷ ἰδίως. Proprium eſt atq; ἴδιον Atticorum dicere ἀλάβαστον, quod ἁπλῶς Græcis, id eſt communiter & abſolute, à ceteris nempe Hellenibus dicitur ἀλάβαστρον. Inde & Latinorum *Alabaſter* vel *Alabaſtrum*. Ita ἁπλῶς accepit Helladius: ὁ αἰγιαλὸν μὲν καὶ ἀκτὴν ἁπλῶς τὰ παρὰ θαλάττῃ πάντα λέγομεν, ἰδιωκώτερον τὴν Α'ττικὴν Α'κτὴν λέγουσιν. Cum vero ſimpliciter ἕλληνες nominantur, non comparatione facta cum Atticis, tum κατ' ἐξοχὴν intelligendi Attici. Nam cum & ipſi ſint ex ἑλλήνων

genere, per antonomaſiam ubi ſoli memorantur ἕλληνες, Attici accipiuntur vel ut præcipui, & eximii inter Græcos, & lingua maxime pura & accurata eruditaque utentes. Inde ille ἑλληνισμὸς Rhetorum qui ante omnia in perfecto oratore exigitur. Inde ἑλλήνων γλῶττα Phrynicho, quæ ab omni labe & colluvie cæterarum linguarum non ſolum barbararum ſed etiam Græcarum aliarum impolluta debet cuſtodiri. Inde ἀμαθεῖς & ἑλλήνων ἄγευστοι magiſtris Græcis dicuntur, qui litteras Græcas & Atticas non attigerunt, politi nitidique ſermonis expertes & idiotæ. In genere quidem omnes illę dialecti vocantur ἑλληνικαί. Et ἕλληνες omnes qui iis utuntur, ſive Iones ſint, ſive Dores, ſive Æoles, ſive etiam Attici. Sed καθ' ἐξοχὴν Attici dicuntur ἕλληνες, ut hodie apud nos cũ plures ſint Gallicæ dialecti quæ & *Francicæ* vocantur, una per Excellentiam appellatur Francica, quæ cenſetur omnium politiſſima, & optima, qua Aulici & eruditi utuntur. Sed de his adhuc infra dicendum erit. Horum ἑλλήνων qui & Attici, non protritus & in vulgi ore volitans à dicendi peritis exigebatur, ſed antiquus, & apud probos & receptæ auctoritatis ſcriptores uſitatus. Ex eo alia emergit differentia τοῦ κοινοῦ. Vt enim idioticum dicendi genus ab eruditorum, qui antiquos legebant ac ſectabantur auctores, eloquutione diſtingueretur, κοινὸν illud vocabant, & ἰδιωτι-

κὸν

Digitized by Google

κὸν intelligebant, communi conſuetudine & uſu vulgari tritum. ἀρχαῖον illud, & Ἀττικὸν, & κατ᾽ ἐξοχὴν ἑλληνικὸν eloquendi genus etiam λογογραφικὸν appellabant, cui opponebatur non ſolum ποιητικὸν, ſed etiam κοινόν. Ut in eadem ſignificatione de eo qui veſtes ſarcit ac reficit, ἀκεστὴς ἱματίων dicitur λογογραφικῶς, ἠπητὴς vero ποιητικῶς, & ῥάπτης κοινῶς. Hinc & κοινοὶ paſſim apud vocabulorum Atticorum & ἑλληνικῶν collectores, iidem qui & πολλοί, & ἀγοραῖοι, & σύρφακες, & ἰδιῶται, & χυδαῖοι. Inde trina illa diſtinctio apud illos Grammaticos, τῶν Ἀττικῶν, τῶν ἑλλήνων, & τῶν κοινῶν. Diximus enim cum ἕλληνες diſtinguuntur ab Atticis, tum accipiendos eſſe cæterarum dialectorum Græcos, ſed veteres, & in libris auctorum conſiſtentes tantum, non in vulgi uſu, & loquela triviali. Quod dicendi genus, κοινὸν ab aliis appellabatur, id eſt ἰδιωτικόν. Mœris aliquot harum diſtinctionum exempla nobis ſuppeditabit. Ἐξίλλειν, inquit, Ἀττικῶς. Ἐξείργειν, ἑλληνικῶς, ἐκβάλλειν κοινῶς. Solis Atticis uſitatum illud ἐξίλλειν. Cæteri Græci pro eodem dicebant ἐξείργειν, id eſt Æoles, Iones & Dores. Communis idiotarum Græciæ quæ tunc temporis obtinebat, loquelæ id erat ἐκβάλλειν. Idem: ἄφημι, Ἀττικῶς· σιγᾷ ἑλληνικῶς καὶ κοινῶς. Hoc in vocabulo conconſpirabat antiqua Græca loquutio cum nova: erudita cum idiotica. Quod in aliis

etiam vocabulis quam pluribus non mirum erat contingere. χέατον, inquit, Ἀττικῶς. ἔχατον ἑλληνικῶς καὶ κοινῶς. εἰ γὰρ Ἀττικῶς, εἴθε γοῦν ἑλληνικῶς καὶ κοινῶς. Plura talia ibidem occurrunt. Nec ex iſtis colligendum, dialectum quæ κοινὴ Grammaticis dicitur, diverſam eſſe ab ἑλληνικῇ. Alio ſignificatu dicitur κοινὴ διάλεκτος cum de Hellenica ſumitur. Κοινὴ φράσις vel λαλιὰ ea vocatur quæ hominum eſt communium & plebejorum ſive idiotarum, quæ & φράσις ἐκ τριόδου appellatur, & πεπατημένη, & καθωμιλημένη, & ἐν συνηθείᾳ. Inde κοινὸν & συνηθὲς ſæpe junguntur ad exprimendam hanc vulgarium hominum eloquutionem. Et opponitur λογάδι, καὶ ἀττικιζούσῃ vel etiam ἑλληνιζούσῃ φράσει. Sic enim eximiam & ſelectam, accuratamque & exactam dicendi formam vocat Photius, quæ ex verbis electis, & compoſitione concinna conſtat. De Philopono: τοῦ μὲν καθαροῦ καὶ εὐκρινοῦς οὐκ ἀποκλίνει, οὐ μέντοι λογάδι καὶ ἀττικιζούσῃ φράσει καλλωπίζεται. Alio loco, idem de Marco Monacho loquens, κοινότητα λόγων opponit τῇ Ἀττικῇ γλώττῃ, hoc eſt veterum & Atticorum dicendi formam, communi & plebeiæ & in conſuetudine vulgi poſitæ. Λέξεις ἐκ τριόδου multis aliis locis nominat, quæ eædem ſunt ac κοιναὶ & συνήθεις. At dialectus illa quæ κοινὴ indigetatur à Grammaticis, non communium tantum eſt, & vulgarium, ſed etiam erudito-

rum

Digitized by Google

rum & rectè loquentium. Imo etiam eloquentium. Quam & ſic dictam volunt quidam, quod communiter omnes ea utantur. Philoponus: ὅτι πάντες αὐτῇ χρῶνται. Corythus κοινὴν definit, ᾗ πάντες χρώμεθα. Ergo communis erat non ſolum loquentium Græcè, ſed etiam ſcribentium. Sed & horum magis propria, quia ex libris hauriebatur, non uſu frequentabatur in ſermone communi. Alia igitur κοινὴ vel κοινῶν λαλιὰ, id eſt plebeiorum & idiotarum ſermocinatio, quæ in ſingulis dialectis ab opificum & ruſticorum fæce celebratur, alia κοινὴ quæ dicitur dialectus, & quinta numeratur, qua communiter omnes Græci illo ævo loquebantur & ſcribebant. In omni dialecto οἱ κοινοὶ, id eſt plebeii & vulgares peculiarem habent loquelam impuriorem & rudiorem, ſordidis conſtantem vocabulis, & ab inſcita & inconcinna compoſitione inconditam & aſperam. Hæc proprias ac ſuas habet voces ac dictiones, à quibus deditâ operâ abſtinent qui recte ac pure loqui ſtudent. Κοινὴν vero διάλεκτον quidam ideo appellatam cenſent communem, quod nihil ferme habeat proprium, ſed omnia pæne communia cum cæteris dialectis quatuor, aut cum pluribus earum. Ea gratia, quod ſit veluti cinnus quattuor dialectorum, comparant eam Tetrapharmaco, quæ compoſitio eſt & commixtio quattuor ſimplicium medica-

 men-

Digitized by Google

mentorum. Quam tamen ſimilitudinem jam ſupra refutavimus & abſurdam falſamque docuimus. Nam ſi quædam habet vocabula communia cum reliquis dialectis, illæ pariter eaſdem voces habent cum iſta communes. Exempli gratia, πρόβατον tres dialecti, nempe Iones, Æoles & Dores dicunt de ove quæ unica ſyllaba Atticis dicitur οἶς. Communis dialectus eam vocem πρόβατον quoque agnoſcit in eadem notione, haud minus quam Æolica, Dorica & Ionica. Hæc vox pariter Ionicæ communis eſt cum reliquis tribus, nempe Dorica, Æolica & Κοινῇ. Sed nec Æolicæ vel Doricæ propria eſt, ſed communis cum reliquis tribus. Ergo propter uſum communem iſtarum dictionum reliquæ dialecti non minus nomen τῆς κοινῆς merentur, quam quæ ſic proprie ab illis Grammaticis nuncupatur. Melius eſt igitur ac veriſimilius dici communem, quia πάντες αὐτῇ ἐχρῶντο. Quod quid ſit, infra explicabimus. Nunc ad alteram rationem accedamus, quæ vel unica poſſit evincere ne Helleniſtica inter dialectos computetur Græcanicas.

Digitized by Google

ALTERA I. QVÆSTIONIS ratio, cur Helleniſtica, ſi ulla fuit, non poſſit videri Dialectus.

SVMMARIVM.

REquiri in dialectis ut invicem differant, in verbis ſingulis, non conjunctis. Λέξις quid ſignificet. Χαρακτὴρ quid. Trifariam intelligitur dialectus, ſecundum totius nominis permutationem, ſecundum partem quandam, ſecundum accidens. Enallage duobus modis fit, aut per litteras, aut per ſyllabas. Additio litteræ, in initio, medio, aut fine. Exempla ſingularum additionum. Demtio literæ totidem modis fit. Trajectio litterarum. Commutatio litterarum. Syllabarum eadem eſt ratio. Philoponi locus emendatus. Mutatio per accidens. Accentus mutat ſignificationem: etiam ſpiritus. Παραγωγὴ quid ſit. Ejus exempla per diverſos caſus. Omnis differentia dialectorum pendet à vocibus ſingulis aliter atque aliter inflexis & diverſimode factis ac finitis, non ex conſtructione ac phraſi. Ejus probatio. Ionica in Herodoto. Æolica in Corinna. Alcæo. Dorica in Megarenſibus ex Ariſtophane: & Laconibus ex eodem. Arrianus expeditionem Alexandri Attico ſtylo condidit. Reſpondetur objectioni in N.T. multa reperiri vocabula nuſquam alibi apud auctores Græcos lecta. Antiquatas voces à multis reſuſcitatas nec propterea aliam Dialecton factam. Exempla veteris linguæ latinæ. Nova vocabula ab idoneis auctoribus reperta. Poëtis præcipue ſemper conceſſum ὀνοματοποιεῖν. Plurimæ linguæ etiam de alienis mutuantur. Cur aliquot voces latinæ origine in N. T. & unde. Romæ aliter vulgus locutum, aliter diſerti. Χυδαιολογία. Scriptores N.T. Idiotæ omnes. Vocum idioticarum exempla. Nullum ferme eſt eorum nominum quæ tan-

quam

Digitized by Google

quam nimis protrita & abjecta loquela improbant Critici, quorum pleraque in V. & N. T. extant, quin apud aliquem etiam veterum auctorum reperiantur. Laertius refertus idiotiſmis. Verbis quoque nova accommodatur ſignificatio. Duplex interpretandi vel vertendi ratio. Vtriuſque ratio explicata; & qua ex eis vitia exiſtant. Graca lingua copia. Verſio verbum verbo reddens. Qui Biblia ex Hebraico in Gracum verterunt, multa finxere vocabula ad formam Hebraicorum. Hebraica lingua inopia verborum laborat; multaque habet πολύσημα. Poſt Macedonum tempora δίγλωττοι fuere Iudai: ſub Romanis cœperunt eſſe τρίγλωττοι. Syriaca multa vocabula habuit & phraſes ex Graco mutuatas. Sylloge earum vocum qua negantur apud alios auctores Gracos reperiri. Plures Latinas voces in N. T. reperiri. Secunda ratio eſt, ne quidem diverſam phraſim, diverſitatem condere dialecti. Συνθήκη vel Σύνθεσις & Σύνταξις. Χαρακτῆρες & loquendi ſive ſcribendi indoles varia. Ἐθνικὸς χαρακτὴρ ita peculiaris eſt cujuſque nationis ut toti communis ſit. Stili diverſitas. Poëticus ſtilus & character. Multa ſunt apud Gracos auctores difficiliora intellectu, quam verſio LXX. Hebraiſans. Iudai qui per totum orbem diſperſi Grace loquebantur, non fecerunt ἔθνος ſeparatum. Voces quas homines in eloquendo profundunt, naturales non ſunt, ſed διδακτοί: Phraſis naturalis eſt: qua in omnibus gentibus & linguis multa communia habet. Exempla varia. N. T. Phráſis, ut multos Hebraiſmos habet, ita etiam non pauca loquendi genera mere Romana. Exempla quadam. In Latino ſermone multa Gracanica reperiri, nec propterea novam dialecton cudi. Ovidii locus correctus. Interpretum mos qui preſſius vertunt. Euangelium Matthai ex Hebr. verſum. Σχῆμα λόγου quid ſit. Ejus exempla in aliquot idiotiſmis. Schemata à Lesbonacte recenſita.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA ratio fuit quam jam explicavimus. Nimirum quod nationem vel populum non habuerit intra cujus fines conſiſteret, neque locum certum in quo uſitata frequentaretur. Sic non habuit ſecundum definitionem dialecti, χαρακτῆρα ἐθνικὸν neque τοπικόν. Altera eſt quam mox explanabimus. Hæc vetat Helleniſticam, ſi ulla fuit, accenſeri Dialectis. Quippe requiri hoc alterum diximus in dialectis, ut invicem differrent. Quod ea differentia in verbis ſingulis, non in conjunctis, nec in phraſi conſiſteret. Atque hoc adeo verum eſt, ut nullæ hodie ſint dialecti ab una matrice lingua inter ſe differentes quæ aliter diſtinguantur, quàm hujuſmodi diſcrimine quod in ſingulis cernitur vocibus. Id enim omnino naturale eſt, ut alio ſono verba pronuncient ruſtici, alio urbani, ut alia ſit pronuntiatio ejuſdem dictionis, & in eadem lingua, huic populo quam alteri familiaris. Alii eaſdem dictiones latius & vaſtius efferunt, alii preſſius & lenius. Quidam eas adſpirant aſperius, nonnulli ſine aſpiratione proferunt. Ecce de Græcis qui dicat μοῦσα. Habebis qui μούση. Non deerit, qui μῶσα. Aderit & qui μῶα dicat. Hæ differentiæ, quæ dialectum à dialecto in quacunque gente diſcernunt, in ſingulis verbis poſitæ ſunt. Definitio dialecti, qua-

lis

lis à veteribus Grammaticis prodita eſt, hoc etiam teſtatur. Definiunt, ut ante vidimus, διάλεκτον eſſe λέξιν ἴδιον τόπου χαρακτῆρα, vel ἴδιον ἔθνους χαρακτῆρα ἐμφαίνουσαν. Illa λέξις eſt vox ſingularis, vel dictio, quamvis interdum pro eloquutione vel phraſi accipi ſciam. Sed hîc aliter ſumitur. Inde λεξικὸν vocabularium, quod hujuſmodi λέξεις, id eſt ſingulas dictiones exponit. Inde & λεξικόγραφοι, qui hæc vocabularia componunt. Hinc λεξιθηρεῖν, voces aucupari, & λεξιθήρης vel λεξιθήρ, vocum venator, qui in ſingulis vocibus conquirendis ac deligendis nimis anxie occupatur. Χαρακτὴρ autem ille ἐθνικὸς, quo variæ gentes dignoſcuntur inter ſe, & idioma earum quale ſit dijudicatur, in vocibus ſingulis exprimitur, non in conjunctis. Vaſconica dialectus hac hodie nota diſcernitur à Gallica, præter multas alias, quod B pro V uſurpat, & contra. Suſpicor eos itaque tum quoque, cum linguam Romanam puriorem uſurparent, *Bitulum* pro *Vitulo* dixiſſe, & *Vellum* pro *Bello*, cujus hodieque pronuntiationis veſtigia expreſſa remansêre in Gloſſariis Latino-Græcis ante mille annos ſcriptis. Vnde colligo, Vaſcones illo etiam tempore, quo lingua Romana apud eos minus corrupta quam nunc eſt, in uſu erat, Latinas voces ſic enuntiare ſolitos. Hic eſt eorum ἐθνικὸς χαρακτὴρ, qui non in connexione plurium verborum, ſed in ſingulis

gulis

Digitized by Google

gulis conſiſtit. Non in hoc diſcrimine ſolùm ἐθνικὸς eorum χαρακτὴρ, quo à Gallis vel Francis diſtinguuntur, poſitus, ſed in aliis multis, quæ tantummodo conſiderantur in ſeparatis vocibus. Διάλεκτος itaque quæ per λέξιν definitur, non eſt idem quod διάλεξις, ne erres, ſed denotat differentem dictionem, τὴν διάλεκτον φωνήν. Nam διάλεκτος non poteſt idem eſſe quod διάλεξις. Adjectivum eſt abſolutè ἐν ἐλλείψει poſitum pro ſubſtantivo, ſicut in aliis pleriſque mos eſt tam Græcorum quam Latinorum. Integrum eſt διάλεκτος φωνὴ vel διάλεκτος λέξις, diſcreta & differens dictio. Abuſivè deinde, quia ſingulæ λέξεις ſolent χαρακτηρίζειν totam orationem, pro oratione vel eloquutione διάλεκτον multi poſuerunt. Certe in illis definitionibus antiquis dialecti, ἡ λέξις non poteſt aliter accipi quam pro ſimplice dictione, quæ characterem proprium gentis aut loci præ ſe fert, & quæ facit ut eloquutio gentis illius ab alterius gentis eloquutione diverſa videatur. Quod & in hac definitione apparet: Διάλεκτός ἐστι λέξις ἐθνικοῦ χαρακτῆρα συμπεπλεγμένη. Impreſſus ſingulis vocibus ἐθνικὸς ille χαρακτὴρ, quaſi quadam peculiari nota inſignitas, gentis ejus proprias eas efficit, cui adſcribuntur. Atticæ gentis χαρακτὴρ quibus in rebus cernitur? An aliis quam in verbis ſingulis? Certè non. Præcipuus eſt in eo ſitus, ut duplex ττ pro duplici σσ

in

Digitized by Google

in ſingulis vocibus ponat, dum θάλατlαν dicit, quæ aliis eſt θάλασσα, & γλῶτlαν pro γλῶσσα. Alios habet χαρακτῆρας & notas peculiares, quæ omnes non minus in ſingulis verbis verſari reperientur. Idem eſt de Æolicæ gentis charactere, de Ionicæ ac de Doricæ, ut patebit legenti quæ de earũ gentium dialectis obſervavêre antiqui Grammatici. Omnes eorum obſervationes circa nominum ſolorum differentias notandas occupantur. ἡ Ἀτθὶς τὰ εἰς δας ὀνόματα διὰ τοῦ ω ἀπὸ γενικῆς ἐκφέρει. Item, ἡ Ἰὰς τὰ εἰς ας λέγοντα ὀνόματα εἰς η τρέπει. Ita in cæteris, paſſim ὀνόματα ῥήματα ac λέξεις nominat, circa quas illa συμπlώματα accidunt, quæ varietates dialectorum conſtituunt. Nolo omnes percurrere. Quot modis intelligatur dialectus, dum iidem explicant, ſatis oſtendunt, differentiam ejus in verbis tantùm ſejunctis verſari totam. Νοεῖται δὲ, inquiunt, διάλεκτος τριχῶς, κατὰ ὅλου ὀνόματος ἀλλαγὴν, κατὰ μέρος δὲ, κατὰ συμβεβηκός. *Trifariam intelligitur dialectus, ſecundum totius nominis permutationem; ſecundum partem quandam; ſecundum accidens.* Illa nominis ἀλλαγὴ nihil mutat in nomine, ſed nomen aliud habet ad aliquam rem ſignificandam, quam altera dialectus à qua differt. Ut ἀλλαγὴ νομίσματος dicitur, cum numus alius pro alio datur, quæ *permutatio* vocatur. Ita dialectus dum verſatur circa ὅλου ὀνόματος ἀλλαγὴν, aliud nomen ſub-

Digitized by Google

ſubſtituit ad aliquam rem deſignandã, pro eo quo dialectus, à qua diſcrepat, utitur. Exempli gratia, quod reliquæ dialecti Græciæ, & communis *κράμβην* vocant, hoc Attici *ῥάφανον* vocabant, Italiotici Dores *βράσκην*. Vnde Latinum *Braßica*. Quod *βαλβὶς* Atticis, hoc reliquis Græcis, *ὕσπληγξ*. Attici *σκίμποδα* lectulum appellabant, Macedones *κράββατον*. Mœris Atticiſta: *Οἶς μονοσυλλάβως ἀττικὸν, πρόβατον ἑλληνικόν*. Monaſyllabum illud *οἶς* de ove Atticum eſt, per diphthongum enuntiatum. At Æoles qui diphthongos non habebant, ſed eas dividebant, *ὄϊς* pro eo dicebant, & inſerta digamma *ὄϐις*. Vnde Latinum *Ovis*. Iidem Attici *δήμους* vocabant, quæ *κώμας* aliis Græcis. Quo argumento uſus eſt Ariſtoteles, inventionem Comœdiæ non eſſe Atticis adſcribendam, ſed Megarenſibus, & Siculis Dorici generis qui *κώμας* appellabant *τὰς περιοικίδας*, hoc eſt vicos urbi circumjacentes, à quibus *Κωμῳδία* nomen erat nacta. *Οὗτοι γὰρ*, inquit, Dorienſes nempe, *κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασιν, Ἀθηναῖοι δὲ δήμους, ὡς κωμῳδοὺς οὐκ ἀπὸ κωμάζειν λεχθέντας, ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεος*. Ita *ποιεῖν* iiſdem Doribus *τὸ δρᾶν*, quod Attici dicebant *τὸ πράττειν*. Hac ratione *τὴν ποίησιν* & *τὰ δράματα* ab illis profecta evincit, non ab Athenienſibus. Infinita talia exempla promi poſſunt. Alia profert

Digitized by Google

Philoponus, quæ apud eum legere in promptu eſt. Omiſit quod non prætereundum fuit, ut diverſa vocabula in duabus dialectis eandem rem ſignificant, quod vocant ἀλλαγὴν τοῦ ὅλου ὀνόματος, ita in diverſis dialectis idem vocabulum res diverſas notare. Quæ poteſt vocari ἀλλαγὴ τοῦ σημαινομένου. Vt ecce παροψὶς genus panis vel μάζης apud Atticos, reliqui Græci eodem nomine vas appellant quæ *paropſis* Latinis dicitur. Multa alia poſſem adferre, ſed hoc exemplum ſufficit. Addit Philoponos κατὰ μέρος ἐναλλαγὴν, quæ dialectum diverſam ſtatuit. Hæc eſt non permutatio nominis, ut ea quæ præceſſit vocata ὅλου ὀνόματος ἀλλαγὴ, ſed mutatio in nomine, & ἐναλλαγὴ potius eſt quam ἀλλαγή. Duobus modis fit hæc enallage, aut per litteras, aut per ſyllabas. Quæ litteris fit, quattuor habet cauſas, litteræ additionem, demptionem, trajectionem, & commutationem. Per πρόσθεσιν quam vocant, littera additur aut initio nominis, aut in medio, aut in fine. Initio ut βρόδον pro ῥόδον apud Æolios. Sed illud β videtur eſſe loco digammæ, quia ῥῶ adſpiratur. Hoc igitur ſcriptum, pro Fρόδον. Quomodo Æoles τὸ ῥόδον pronunciabant. Sed Æoles nihil adſpirabant. Loco enim adſpirationis digamma ponebant. Quod Digamma littera erat, & in numero litterarum ponebatur. Ἐωνησάμην Atticum pro ὠνησάμην. Ἐῶν pro ὤν

Ioni-

Ionicum. Alio modo fit additio in prima ſyllaba, cum poſtponitur primæ litteræ, non præponitur, ut οὖρος pro ὄρος, & εἵνεκα pro ἕνεκα, νοῦσος pro νόσος: μοῦνος pro μόνος Ionica. Non eſt additio. quod Æoles Bœotii οὔμες dicunt pro ὔμες. Æolica quippe eſt pronunciatio qui υ per ου proferebant, ut θουγατὴρ pro θυγατὴρ, πουκνὸς pro πυκνὸς, & ſimilia. Fit in medio, ut θεμείλιος pro θεμέλιος. Hæc παρένθεσις dicitur cum in medio dictionis accidit, ut Ionica ὑμείων & ἡμείων pro ἡμέων & ὑμέων. Ἄεθλον pro Ἆθλον, Ἰάων pro Ἴων. In fine fit, ut οὑτοσὶ pro οὗτος, Atticum. Νυνὶ pro νῦν. Λόγοισι pro λόγοις, tam Atticum quam Ionicum. Nam Attici etiam eo utuntur, vt Ariſtophanes. Et Attica Dialectus olim, ut ſupra notavimus, eadem cum Ionica. Demptio litteræ, quæ ἀφαίρεσις Græce eſt, ſimiliter ut πρόσθεσις, totidem locis accidit, initio, medio & fini. Initio duobus modis, cum prima littera ſyllabæ ſubtrahitur, aut ſecunda. Prima ut Ionicum, ὀρτὴ pro ἑορτή. Secunda ut ἱρὸν pro ἱερὸν, ἴραξ pro ἱέραξ, ſimiliter Ionica. ἄνιγμα pro αἴνιγμα Tarentinum. Demptio quæ de medio tollit, συγκοπὴ appellatur, ut ἀρχάος Bœoticum pro ἀρχαῖος; Ἀλκμάων pro Ἀλκμαίων, ὄπιθεν pro ὄπισθεν, & alia. Demptio quæ tollit ultimam litteram è fine, proprie dicitur ἀποκοπὴ, ut & quæ ſyllabam demit. Æolicum eſt Σωκράτου pro Σωκράτους. Διομήδου pro Διο-

μύδυς, & ſimilia. Eorundem eſt Æolum, Σώκρατη pro Σώκρατης. Πάλι pro Πάλιν, ἄχρι pro ἄχρις Atticum, & μέχρι pro μέχρις. Huic addi poteſt & ὕτω pro ὕτως. Item σφώ pro σφῶε apud Antimachum citante Apollonio Diſcolo Alexandrino, καὶ σφώ γείνατο μήτηρ. Item, Ἀσπασίως ᾗ σφώ ἄγεν οἴκαδε. Nam plenum eſt σφῶε, ut apud Homerum ſæpe occurrit. τίς δ' ἄρ σφῶε θεῶν. ἄρ pro ἄρα, & alia infinita. Ea ſolemnis Æolibus. Demptio quæ eximit litteram è ſyllaba ultima non ultimam, ἐξαίρεσις vocatur, vel ὑπεξαίρεσις. Vt ſollemne in Doribus πάρος pro πάροιδος dicere, & κέρος pro κέρατος. Item λέγεν, φέρεν, γράφεν, pro λέγειν, φέρειν, γράφειν. Quæ verborum terminatio vereor ne primigenia ſit ac antiquior illa quæ φέρειν & γράφειν pronuntiat. Hæc enim flexio propius accedit ad eam, qua verba Scythica tam in Perſica quam in Teutiſca dialecto finiuntur. Inde enim originem Græca quoque traxerunt. Tertius modus quo variantur nomina in dialectis, trajectione litterarum peragitur. Hæc familiaris Æolibus, δείφον pro δίφρον ſcribere ſolitis. Et ὄλχον pro ὄχλον. Inde βολχὸς cum digamma, à quo Latinum *volgus*. Sic pro ἀριθμὸς ἀμιθρὸς dicebant, & ἀμιθρεῖν numerare, pro quo alius Æoliſmus dicebat, ὀμιῤῥεῖν. Nam cum duæ conſonantes concurrebant, priorem

mu-

Digitized by Google

mutabant in ſequentem etiam in disjunctis vocibus, ut ἐτ]αὺ pro ἐς τὰν, ſic ἐτ]ίαν pro ἐςία dicebant, ἀκκὸς pro ἀσκός. Eadem trajectione utebantur & Iones, κϱαδίω dicentes pro καρδία, πέτζατον pro πέταρτον, κϱατερὸν pro καρτερὸν, & θϱάσος pro θάρσος. Quartus modus eſt commutatio litterarum, ἐναλλαγὴ τῶν ςοιχείων vel μεταβολὴ vel ἀλλοίωσις. Hanc prætermiſit Philoponus in enunciandis generibus, quibus dialectus variare intelligitur. Hæc præcipua tamen ratio, qua verba in Dialectis mutantur, & aliam formam induunt, dum littera alia pro alia ponitur, in principio, medio ac fine. Vt Ἔδοντες pro ὀδοντες Æolibus. Μέγαθος pro μέγεθος Ionibus. Ὄρνιξ pro ὄρνις Doribus, & Αἴαξ pro Αἴας. Atque inde Latina *Ajax*, *Tigrix*, *Priſtix*; pro *Priſtis*, & trajectione *piſtrix*. Infinita ſunt quæ mutantur hoc modo in omnibus dialectis Græcis, quorum exempla ſuppeditabunt Grammatici qui de his ſcripſerunt. Quæ per ſyllabas fit, per totidem currit fere genera, atque illa, quam litteris fieri diximus. Adjectione, detractione, trajectione & commutatione in omnibus nominis locis. Adjiciunt fini ſyllabam Æoles qui dicunt, ἔφησθα pro ἔφης, βίηφι pro βίη. Detrahunt Attici qui Ἀπόλλω pronunciant pro, Ἀπόλλωνα, ἀμείνω pro ἀμείνονα, & κϱείττω pro κϱείττονα. Huc referendæ & Dorienſium apocopæ, δῶ pro δῶμα,

 ἔϱι

Digitized by Google

ἔρι pro ἔριον: ὄψ pro ὄψις & ſimilia, quæ per ἀποκοπὴν fieri Grammaticis placet. Inſeritur in medio ſyllaba per Epentheſin, ut apud Iones quibus πυκτάλης dicitur pro πύκτης, unde πυκταλίζω verbum apud Anacreontem, & κλεπτάλης pro κλέπτης. Sic enim legendum apud Philoponum, non κυπέλλης. Ejuſdem generis eſt βήμεναι pro βῆναι Doricum. Item φαγέδαινα pro φάγαινα, & ἐλκεσίπεπλος pro ἑλκέπεπλος ad eandem parentheſin referri debent. At tollitur è medio ſyllaba per ſyncopen apud Æoles, & Dores, qui dicebant, ὐββάλλειν pro ἀποβάλλειν, καββάλλειν pro καταβάλλειν. Vnde καββολικώτερος in Apophthegmate Laconis, qui in palæſtra melius adverſarium ſupplantat, & terræ allidit. Vtuntur & hac Syncope Iones, ut apud Homerum, κάππεσε pro κατέπεσε, niſi potius ex Æolide ſit quam ex Iade. Sic μώνυχες ἵπποι apud eundem pro μονώνυχες. Ad initium dictionis additur ſyllaba, ut in πεποίθησις, quod tamen à Phrynicho carpitur. Πεποίθησις, inquit, οὐκ εἴρηται, ἀλλὰ πεποιθέναι καὶ πεποιθεῖναι. Nulla analogia factum videtur hoc nomen neſcientibus ab Æolico verbo πεποίθω, vel πεποιθῶ formatum: Ita enim ſolent plurima verba deducere à præteritis mediorum verborum. Τετύπω pro verbero à τέτυπα, πεπλήγω à πέπληγα, ita πεποίθω vel πεποιθῶ à πέποιθα. Inde πεποίθησις. Verbum γιγνώσκω factum eſt etiam per πρόσθεσιν

θεσιν ſyllabæ, cum antiquum & primigenium fuerit νώσκω & γνώσκω. Sic πεπαύσομαι Atticum eſt pro παύσομαι, per additionem ſyllabæ. Prænestini detrahentes è principio dictionis ſyllabam, *Coniam* dicebant pro *Ciconiam*. Non ſuccurrit nunc de Græcis dialectis quæ primam ſyllabam nomini adimat, niſi in eo genere poni placet νώνυμον pro ἀνώνυμον, νήλιπον pro ἀνήλιπον. Nam in his pro tetraſyllabo, triſyllabum nomen exit, per ἀφαίρεσιν primæ ſyllabæ. Per ſyllabæ trajectionem immutari ἄμιθρος pro ἀριθμὸς potius videtur, quam per litteram, ut ſupra poſuimus. Nam ρι θ pro μι θ ponitur. Commutatione ſyllabæ etiam multa variant ut κόψιχος Atticum pro κόσυφος, merula. Α'λκηδὼν pro Α'λκυὼν, Æolicum, unde Latinis *Alcedonia*, quæ Α'λκυώνια Græcis. Ποτὶ αὐτὶ τοῦ πρὸς, Æolicum & Doricum, ſed ex una ſyllaba duæ fiunt. Præter has variationes dialectorum quas diximus, aliæ etiam per διαιρέσεις, διπλασιασμοὺς & συναλοιφὰς, πλεονασμοὺς, item per enallagas numerorum, caſuum, generum, modorum, temporum, de quibus cum tractaret Philoponus quot modis dialectorum varietas intelligitur, nihil dixit. Nec enim accurate iſta diſputavit. Tres enim tantum modos recenſuit primum qui fit commutatione totius nominis, ſecundum mutatione in parte nominis, de quibus jam ſatis diximus. Tertium addit, κατὰ

συμβεβηκός. Hæc mutatio quæ fit per accidens, κατὰ προσῳδίαν καὶ κατὰ πνεῦμα fieri explicat. Accidunt quidem nominibus accentus & ſpiritus, ſed nihilo ſecius ita de eſſentia ſunt vocabulorum, ut non minus eorum ſubſtantiam conſtituant, notionemque diverſam inducant, quàm litteræ aut ſyllabæ. Totidem & iiſdem litteris conſtans λέξις, ſi diverſum accipiat accentum aut ſpiritum, aliam etiam ſignificationem habet. Ὦμος cum circumflexo in prima ſignificat humerum, ὠμὸς cum acuto in ultima, crudus eſt. Μῖμος eſt μίμησις, imitatio, μῖμος eſt imitator, mimus. Ὁλὸς cum in ultima acuitur eſt atramentum, ὅλος cum in prima, totus eſt. Ἴον eſt viola, ἰὸν eſt vadens. Βίος cum prima acuta, vita eſt, cum ultima ſimiliter acuta arcus eſt. Edita eſt collectio quæ Cyrillo tribuitur, de dictionibus, in quibus accentus variat ſignificatum. Nec tantum accentus mutat ſignificationem, ſed etiam ſpiritus, ut ὄρος montem, ſine aſpiratione, cum aſpiratione ὅρος terminum ſignificat. Spiritus autem nota in antiquo Alphabeto Attico & Æolico inter litteras locum habebat. Vnde & Latinum Alphabetum utramque habet adſpirationis notam tam Æolicam F. quam Atticam H. Apud eoſdem Atticos per ſe poſita ſola ſignificabat centum, quia prima erat littera nominis ἑκατὸν, cum ſcriberetur HEKATON, *Hecaton.* Hæ duæ res igitur

Digitized by Google

igitur quæ non ſolum accidentia nominum ſunt, ſed partes eorum ſubſtantiæ, dialecti haud minus differentiam inducunt per voces quibus aliter atque aliter apponuntur, quam litteræ aut ſyllabæ. Et hac differentia cognoſcitur, ex qua dialecto verbum ſit, ratione accentus & ſpiritus aliter poſiti. Αἶπαι, inquit Mœris Atticiſta, ὡς ὅσαι Ἀττικῶς βαρυτόνως, αἰπαὶ ὡς ἐνδίαι ἑλληνικῶς παροξυτόνως. Aliquot exempla produxit Philoponus. Δωριεῖς δὲ, inquit, τὸ πάντως παντῶς λέγουσι καὶ οὕτως οὑτῶς, ἅτινα διαιρούμενα τοῖς ἰδιώμασι τῶν κατὰ μέρος διαλέκτων. Ita Iones pro φῖ quod eſt πῖ adſpiratum, ipſum π, ſæpius uſurpant, ἀπίκεσθαι dicendo, pro ἀφίκεσθαι, & ſimilia. Attici adſpirant quæ communis Græca ſine adſpiratione profert. Quidam dicebant ἐφίορκος pro ἐπίορκος. Sic ἐφιάλτης & ἐπιάλτης diverſæ dialecti pronuntiant. Æoles ſine aſpiratione multa efferunt, quæ alii cum ſpiritu ſolent enuntiare. Immo nullam hi vocem adſpirabant. Ex his omnibus liquet, per ea quæ ſolis verbis ſingulis accidunt varietates, ex mutatione litterarum, ſyllabarum, accentuum & ſpirituum, dialectorum conſtare differentias, non per orationem ex pluribus vinctam & conſtructam vocabulis. Idque etiam diſertiſſime teſtatur vetuſtiſſimus auctor Herodotus, dum dialectorum diverſitatem ex formis παραγωγῶν oriri innuit. Sic enim ſcribit

Digitized by Google

lib. I. de Ionibus ac diverſis ejus linguæ characteribus : *γλῶσσαν ἢ οὐ τὴν αὐτὴν οὗτοι νενομίκασι, ἀλλὰ τρόπους τέσσαρας παραγωγέων. Hi linguam non eamdem eloqui didicerunt, ſed quattuor diverſas flexionum in verbis formas habent.* Quos hic τρόπους παραγωγέων vocavit, paulo poſt, χαρακτῆρας γλώσσης appellavit, ut ſuperius docuimus : οὗτοι χαρακτῆρες γλώσσης τέσσαρες γίνονται. Proprie παραγωγὴ flexio ac terminatio dictionis, cujus in ſingulis dialectis variæ ſunt formæ, quæ totidem dialectos conſtituit. Ergo in unaquaque παραγωγῇ impreſſus eſt veluti character ac nota, qua dialectus à dialecto diſcernitur. Alia eſt παραγωγὴ in voce μοῦσαι, alia in μοῦσαι. Alia eſt accuſativi pluralis νύμφας, alia νύμφαις. Non eſt eadem παραγωγὴ genitivi caſus pluralis νυμφῶν, & νυμφάων. Nec dativus ſimilem habet παραγωγὴν, qui deſinit in αις, ut μούσαις, & in αισι, ut μούσαισι. Ἡμεῖς, ἡμέες, ἄμες, ἄμμες, non eodem finiuntur modo, nec eundem τρόπον παραγωγῆς præferunt. Vltima, Æoliorum eſt, penultima Dorienſium, antepenultima Ionum., prima Atticorum & communium Græcorum. Sic ὑμεῖς ὕμες, ὕμμες & οὗμες diverſe efferuntur. In accuſandi caſu eadem παραγωγῆς diverſitas ſecundum dialectos, ἡμᾶς, ἡμέας, ἀμὲ, ἄμμε. Hoc ultimum Æolicum, ut apud Sappho in primo : Ὀπλαῖ ἄμμε. Ac Doricum ἀμὲ, ut apud Sophronem, ἆδ' ἄρ

ἀμὲ

Digitized by Google

ἀμὲ λώβητο. Sic ὔμες Dorum, ὔμμε Æolum pro ὑμᾶς. Sophron in Ἀνδρείοις, apud Apollonium. Ἐμὲ δ᾽ Ἀρχωνίδας ἴαλλε παρ᾽ ὔμε. At ὔμμε Æolicum, ut apud Alcæum in primo: Τὸ γὰρ θεῶν ἴοτητι ὔμμε λαχόντων ἄφατον θήσει γέρας. Ita pro σφὲ communi, Syracuſii Dores dicebant ψὲ, ut Sophron, πῶς ψὲ καὶ γιγνώσκομεν. Æolicum ἀσφὲ, ut apud Alcæum, ὅτ᾽ ἀσφ᾽ ἀπολλυμένους σάως. Niſi mendum ſit pro ὅπαν σφ᾽ ἀπολλυμένους σάως. Diſertè tamen Apollonius, ἀσφὲ notat Æolenſes dicere pro σφέ. Eadem diverſitas in ἐγὼ ἐγὼν, ἐγώνγα, ἐγώνη, ἰὼν ἰώνγα, pro ego. Hæc duo ultima Bœotica, reliqua Dorica varii generis, ἐγὼ Atticum, Ionicum & commune. Sic diverſi τρόποι παραγωγῆς diverſos faciunt linguæ χαρακτῆρας, ac totidem differentes dialectos. Qui cum ἄμες dicunt, οὐχ ὁμολογέουσι κατὰ γλῶσσαν, non in ſermone conveniunt, οὐ κατὰ τωὐτὸ διαλέγονται, non eodem modo ſermocinantur, οὐχ ὁμόγλωσσοι εἰσὶ, non linguam habent eandem. Tot enim loquutionibus expreſſit ibidem Herodotus τὸ ἑτερότροπον τῆς παραγωγῶν, quo diverſi χαρακτῆρες linguæ efficiuntur. Omnis igitur differentia dialectorum pendet à vocibus ſingulis aliter atque aliter inflexis, & diverſimodè factis ac finitis, non ex conſtructione ac phraſi. Quod ut melius certiuſque comprobari queat, ſumantur ex auctoribus aliquot ῥήσεις. diverſis dialectis conce-

Digitized by Google

ptæ, eaſque ſtudeamus exprimere ac reddere communi Græca, tum videbimus clarius, quid ſit illud quod differentiam dialectorum conſtituit, utrum ſimplex ac ſingularis dictio, an complexus plurium, & oratio conſtructa. Herodotus, qui Ionice ſcripſit, ita hiſtoriam ſuam exorſus eſt: Ἡροδότου Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε. Ionica hæc eſſe nemo negat. Utrum Ioniſmus in ſingulis verbis jacet, an in toto complexu? Id apparebit, ſi tollamus ex ſingulis dictionibus characterem & παραγωγὴν Ionicam quam præferunt, nulla in re mutata conſtructione. Sic igitur ſcribamus: Ἡροδότου Ἁλικαρνάσσεως ἱστορίας ἀπόδειξις ἥδε. Nihil jam reſtat in his quod Ionicum dicas, etiam ſi eadem verba remanſerint, & ſimiliter compoſita. Sola forma iis adempta eſt ac παραγωγῆς τρόπος, qui Ionibus peculiaris eſt. Sumamus periodum adhuc magis Ἰάζουσαν. non minus & eam licebit detracta forma Ionica è ſingulis vocibus totam reddere ἑλληνικὴν communem: Τούτους ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τήνδε τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον τὸν καὶ νῦν οἰκέουσι, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσιν ἐπιθέσθαι, ἀπαγινέοντας δὲ φορτία, Αἰγύπτιά τε καὶ Ἀσσύρια, τῇ τε ἄλλῃ χώρῃ ἐσαπικνέεσθαι, καὶ δὴ καὶ ἐς Ἄργος. Nihil mutandum in Phraſi ut hæc pro Ionicis Ἑλληνικὰ fiant, ſed ſola verborum παραγωγὴ charactere ſignanda communi,

dempto

Digitized by Google

dempto ἰωνίζοντι ad hunc modum : Τούτους γὰρ ἀπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς καλουμένης θαλάσσης ἀφικομένους ἐπὶ τήνδε τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον, ὃν καὶ νῦν οἰκοῦσιν, αὐτίκα ναυτιλίαις μακραῖς ἐπιθέσθαι, ἀπάγοντας δὲ φορτία Αἰγύπτιά τε καὶ Ἀσσύρια, τῇ τε ἄλλῃ χώρᾳ εἰσαφικνεῖσθαι καὶ δὴ καὶ ἐς Ἄργος. Fateor quidem in eloquutione tota genium & ἰδέαν conſpici Ionicæ dialecti, languidum, fluxum, molliter & tractius euntem. Sed ex verbis tamen, ex quibus compoſitus eſt, talis exiſtit, ad lentitudinem, mollitiem, & ſuavitatem comparatis. Ναυτιλίῃσι, μακρῇσι, ἀπαγινέοντας, ἐσαπικνέεσθαι, οἰκέουσι, ἀλλήλοισι, βαρβάροισι, βασιλῆες, & alia hujuſmodi. Vt mores eorum, ita & lingua, ita etiam veſtis, longa & redundans, ac fluida. Ἴωνας ἑλκεχίτωνας vocat Homerus. Aſia in quam tranſierunt, eos effœminavit. Vnde & *molles Iones* Martiali, & *motus Ionici* Horatio, cinædici. Et Ἰωνικοὶ κίναιδοι noti. Lingua, ut plurimum ſequitur mores, & verba formam eloquutionis præcipue faciunt. Plures ſunt ἰδέαι ſermonis, ac formæ, de quibus Rhetores multa præcipiunt, & de partibus quæ eas conſtituunt. Quidquid illi doceant; Etſi fatear, argumentum, ſententiam vel ἔννοιαν, tractandi rationem, & compoſitionem cum figuris multum conferre ad conſtituendam orationis formam & λόγου ἰδέαν, certum tamen eſt verba ac dictiones utramque paginam in his facere.

Digitized by Google

cere. Hæc fundamenta ſunt eloquutionis. Verba itaque σεμνὰ, concinnant atq; efficiunt τὴν ἰδέαν quæ σεμνὴ vocatur. Grandiloquum & ſublime eloquendi genus maxime tale redditur per verba quæ Ariſtophanes vocat ὑπέρκομπα καὶ ἱπποβάμονα, qui etiam ſub perſona Æſchyli dicit, neceſſe eſſe, μεγάλων γνωμῶν καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τάγε ῥήματα τίκτειν. Vbi & veſtes fuſiores & ampliores Heroibus convenire ait, quibus & ſermo grandior & elatior tribuebatur.

Κἄλλως εἰκὸς τοὺς ἡμιθέους τοῖς ῥήμασι μείζοσι χρῆσθαι,

Καὶ γὰρ τοῖς ἱματίοις ἡμῶν χρῶνται πολὺ σεμνοτέροισι.

Deductum & tenue dicendi genus, quale Atticum proprie eſſe quidam videri volebant, verba quoque huic ἰδέᾳ convenientia efficere certum eſt, ut ſunt propria & de medio ſumpta. Hoſpes viſus eſt Theophraſtus aniculæ Atticæ, quod verbum in loquendo minus uſitatum uſurpaſſet. Sordidum & humile ac plebeium dicendi genus, ſordentia ac de trivio petita vocabula, qualia ſunt idiotarum, efficiunt. Et omnino verum eſt τὴν ἰδέαν λόγου χαρακτηρίζεσθαι τῇ λέξει. Verba ſunt quæ characterem dicendi generibus imprimunt, & talia efficiunt, qualia ſunt ac dicuntur. Photius de Damaſcio Damaſceno: τὴν μέντοι φράσιν ὁ ἀνὴρ, κατάγε τὸ πλεῖστον αὐτοῦ τῆς λέξεως,

οὐ πόρρω

Digitized by Google

οὐ πόῤῥω τείνει τοῦ σαφοῦς. ἔχει δέ τι καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν, ὅσαι χαρακτηρίζονται ταῖς λέξεσιν, τὴν τε τραχεῖαν φημὶ, δι᾽ ἧς τραχύνεται ἡ ἠχὼ, καὶ δὴ καὶ ὅσαι πλατύνει τὴν φωνήν. Hæc eſt quæ σεμνὴ vocatur, quam & σεμναὶ λέξεις conficiunt. Ea autem ſunt quæ dilatant os in pronuntiando, & implent, ut omnia in alpha terminantia, & Omega, quales ſunt Doricæ voces in α ut plurimum deſinentes, quas & πλατύνειν τὴν φωνὴν dicunt Rhetores. Sed de his non hoc loco tractamus. Hoc volumus, ex λέξεων qualitate ut plurimum dicendi varia genera, quæ in unaquaque dialecto ab unoquoque dicentium formantur, characteriſmum maxime accipere. Dialectorum autem varietatem omnimodò conſtare in differentia ſingulorum verborum, non in eloquutione. De Ionica jam id probavimus, cum eadem Phraſis aliter formata vocabula recipiens, aliam dialectum reddit. Exemplo ſit & Æolica. Corinnæ hæc verba ſunt Αἰολίζοντα apud Apollonium Dyſcolum: Μέμφομαι ἰώνγα τὰν λιγουρὰν Μυρτίδα, ὅτι βάνα φοῦσα ἔβα Πινδάροιο ποτ᾽ ἔριν. *Succenſeo ego ſuaviloquæ Myrtidi, quod mulier nata cum ſit, auſa eſt deſcendere in certamen cum Pindaro.* Servatis iiſdem verbis, & eodem modo conſtructis, ἑλληνικὰ pro Æolicis reddi poſſunt, hoc modo: Μέμφομαι ἔγωγε τὴν λιγυρὰν Μυρτίδα, ὅτι γυνὴ φῦσα ἔβη Πινδάρου πρὸς ἔριν. Hæc Alcæi ſimiliter Æolica citat idem Apollonius, ubi tra-

ctat

ctat de pronomine ἡμέων. Ὅσαι γὰρ παῖδες ἁμέων ἐντὶ, τὸν κιθαριστὰν αἰνέοντι, *Quacumque ſunt noſtrûm puellæ, laudant Citbariſtam.* Hellenica & κοινὰ reformabis ſcribendo, ὅσαι γὰρ παῖδες ἡμῶν τὸν κιθαριστὴν αἰνοῦσι. Apud Ariſtophanem in Acharnenſibus plura afferuntur ex Megarica dialecto, quæ Dorica erat, quæ omnia eodem modo poſſunt in Hellenicam vulgarem converti, ſola detracta forma, & idea ſingulorum verborum quâ μεγαρίζουσι. Ita Megarenſis introducitur apud eum loquens qui natas venditurus urgente fame in forum Athenas venetat:

Ἀγορὰ 'ν Ἀθάναις χαῖρε, Μεγαρεῦσιν φίλα,
Ἐπόθουν τὺ ναὶ τὸν φίλιον, ἅπερ ματέρα.
Ἀλλ' ὦ πονηρὰ κόρια γ' ἀθλίω πατρὸς,
Ἀμβᾶτε ποττὰν μάδδαν, αἴ χ' εὕρητέ πα.
Ἀκούετον δὴ, ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαστέρα,
Πότερα πεπρᾶσθαι χρῄδδετ' ἢ πεινῆν κακῶς.

Adeo nullo negotio transformari queunt in communem & Ἑλληνικὸν ſermonem, ut etiam verſuum ſtructura retineri poſſit integra, omnibus verbis in ſua ſede ac ſtatione manentibus.

Ἀγορὰ 'ν Ἀθήναις χαῖρε, Μεγαρεῦσιν φίλη
Ἐπόθουν σε, ναὶ τὸν φίλιον ὥσπερ μητέρα.
Ἀλλ' ὦ πονηρὰ κόρι[illegible]' ἀθλίου πατρὸς,
Ἀνάβητε πρὸς τὴν μάζαν εἴ χ' εὕρητέ πη
Ἀκούετον δὴ, προσέχετ' ἐμοὶ τὴν γαστέρα,
Πότερα πεπρᾶσθαι χρῄζετ' ἢ πεινῆν κακῶς.

Cætera

Digitized by Google

Cætera quæ ſequuntur & plura ſunt pariter, ea refingere eſt ex Megarica dialecto in Græcam & Atticam. Apud eundem Ariſtophanem in Lyſiſtrata aliquot ῥήσεις ex Laconica dialecto proferuntur, quæ Dorica quidem & ipſa, ſed haud parum à Megarica diverſa. Ἀ'χοτίερ ἄρτεμι σηροκτόνε, μόλε δεῦρο παρσένε σιά, ποτὰς σπυδὰς, ὡς συνέχης πολυῶ ἁμὲ χρόνον. Id eſt ſi ἑλληνικῶς transferas, ἀγροτέρα ἄρτεμι θηροκτόνε μόλε δεῦρο παρθένε θεὰ, πρὸς τὰς σπυδὰς, ὡς συνέχης πολυῶ ἡμᾶς χρόνον. Item: Ταΰγετον αὖτ' ἐρανὸν ὀκλιπῶα μῶα μόλε λάκαινα, πρᾶτον ἁμῖν Κλεῶα τ' ἀμύκλαις Ἀ'πόλλω σιὸν, καὶ χαλκίοικον ἀσάναν Τυνδαρίδης τ' ἀγασὼς τοὶ δὴ παρ' Εὐρώταν ψιάδδοντι. Id eſt totidem verbis & iiſdem Hellenicis, ſola forma characteris Laconici exuta. Ταΰγετον αὖτ' ἐρανὸν ἐκλιποῦσα μοῦσα μόλε λάκαινα, πρῶτον ἡμῖν κλείουσα τ' ἀμύκλαις Ἀ'πόλλωνα θεὸν, καὶ χαλκίοικον Ἀ'θήναν, Τυνδαρίδας τ' ἀγαθοὺς οἳ δὴ παρ' Εὐρώταν, ἐψιῶντο. Hic Laconiſmus in uſu erat ætate Ariſtophanis, multum mutatus ab antiquo qui obtinuit temporibus Timothei, contra quem extat apud Boëthium Ephororum decretum, quo juſſus eſt quatuor nervias de cithara exſcindere, quas de ſuo addiderat, & ſic veterem muſicam immutarat, Chromatico genere utens pro Harmonico. Sic concipi debet priſco Laconiſmo vetus illud decretum. Ἐ'πειδὴ Τιμόθεορ ὁ Μιλήσιορ παραγινόμενορ ἐτὰν ἀμε-

μετέραν πόλιν, τὰν παλαιὰν μῶαν ἀτιμάσδη, καὶ τὰν διὰ τᾶν ἑπτὰ χορδᾶν κισάριξιν ἀποστρεφόμενορ πολυφωνίαν εἰσάγων λυμαίνεται τὰρ ἀκοὰρ τῶν νέων, διά τε τᾶρ πολυχορδίαρ, καὶ τᾶρ καινότατορ τῶ μέλιορ ἀγέννεα καὶ ποικίλαν ἀντὶ ἁπλᾶρ καὶ τεταγμέναρ ἀμφιέννυται, τὰν μῶαν ἐπὶ χρώματορ συνιστάμενορ τὰν τῶ μέλιορ δίεσιν ἀντὶ τᾶρ ἐναρμονίω ποττὰν ἀντίστροφον ἀμοιβάν, παρακληθεὶς δὲ καὶ ἐττὸν ἀγῶνα τᾶρ Ἐλευσινίαρ Δάματρος ἀπρεπέα διαείσατο τὰν τῶ μυσῶ διασκευάν. Τὰρ τᾶρ Σεμέλαρ ὠδῖναρ οὐκ ἔνδικα τὼρ νέωρ διδάκκη, δεδόχθαι φὰν περὶ τούτων τὼρ βασιλέαρ, τὼρ Ἐφόρωρ μεμψάσθαι Τιμόσεον, ἐπαναγκάσαι δὲ καὶ τᾶν ἕνδεκα χορδᾶν ἐκταμόντα τὰρ περιττὰρ ὑπολίπην μόνον τὰρ ἑπτά, ὅπωρ ἕκαστορ τὸ τᾶρ πόλιορ βάρορ ὁρῶν εὐλαβῆται ἐττὰν Σπάρταν ἐπιφέρην τι τῶν ἠθῶν μὴ ποττᾶρ ἀρετᾶρ κλέαρ ἀγόντων. Tolle è verbis ſingulis ἰδέαν λακωνίζουσαν, ſic totam reddideris orationem ad Helleniſmum communem reformatam: Ἐπειδὴ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιος παραγινόμενος εἰς τὴν ἡμετέραν πόλιν, τὴν παλαιὰν μοῦσαν ἀτιμάζει, καὶ τὴν διὰ τῶν ἑπτὰ χορδῶν κιθάρισιν ἀποστρεφόμενος πολυφωνίαν εἰσάγων λυμαίνεται τὰς ἀκοὰς τῶν νέων, διά τε τῆς πολυχορδίας, καὶ τῆς καινότητος τοῦ μέλους ἀγεννῆ καὶ ποικίλην, ἀντὶ ἁπλῆς καὶ τεταγμένης ἀμφιέννυται τὴν μοῦσαν, ἐπὶ χρώματος συνιστάμενος τὴν τοῦ μέλους δίεσιν ἀντὶ τῆς ἐναρμονίου πρὸς τὴν ἀντίστροφον ἀμοιβήν. Παρακληθεὶς δὲ καὶ εἰς τὸν ἀγῶνα τῆς Ἐλευσινίας Δήμητρος ἀπρεπῆ διαείσατο τὴν τοῦ

μύθου

μύθου διασκευὴν, τὰς τῆς Σεμέλης ὠδῖνας οὐκ ἐνδίκως τοὺς νέους διδάσκει, δεδόχθαι ἔφασαν περὶ τούτων τοὺς βασιλέας, τοὺς Ἐφόρους μέμψασθαι Τιμόθεον, ἐπαναγκάσαι δὲ καὶ τῶν ἕνδεκα χορδᾶν ἐκταμόντα τὰς περιττὰς ὑπολιπεῖν μόνον τὰς ἑπτὰ ὅπως ἕκαστος τὸ τῆς πόλεως βάρος ὁρῶν εὐλαβῆται εἰς τὴν Σπάρτην ἐπιφέρειν τι τῶν ἠθῶν μὴ περὶ τῆς ἀρετῆς κλέος ἀγόντων. Non tam emendatum apud viros doctos, qui certatim corrigere ſtuduerunt, quam hîc à nobis poſitum eſt, invenies iſtud decretum. Atqui certarunt illud emendare ex ſcriptis codicibus tres viri præſtantiſſimi, Leopardus, Scaliger, & Caſaubonus. Reddam alibi rationem noſtrarum correctionum. Ita & Cretica, Dorica, & alia quæcumque variis dialectis conſcripta licebit in communem transformare. Nec Ionica porrò tantum & Æolica, Doricave Hellenicis licet hoc, quo dixi, modo mutare, ſed etiam Hellenica in faciem Ionicorum & Æolicorum Doricorumque transformare. Vnus Arrianus Expeditionem Alexandri Attico ſtilo condidit, unde & junior Xenophon cognominatus eſt, & Indica Ionice compoſuit, cum tamen ejus ætate nec Atticiſmus nec Ioniſmus, qualem affectabant ſcriptores, in uſu foret. Idem ille diſſertationes Epicteti communi ſermone Græco compoſuit, qualis tunc in orbe Romano uſurpabatur, multis vocibus & phraſibus Latinis temperatus. Quod genus

Digitized by Google

loquendi Græcum, quamvis & verbis & eloquutione ῥωμαΐζοντα, nemo tamen aliter appellavit quàm Græcum. Pudet tam clara tamque aperta & certa pluribus proſequi. Sed nobis cum ejuſmodi ingeniis rem eſſe meminimus, quibus in medio meridie non lucet. Ex his quæ propoſuimus ſole manifeſtius liquet, ejuſmodi eloquutionem Græcam, quæ nec ullius certæ gentis unquam propria fuit, nec certas habuit notas verbis inhęrentes quibus diſcerneretur ab aliis dialectis, non poſſe videri dialectum, nec teneri definitione dialecti. Nam dialectus idioma eſt linguæ certo in loco uſitatæ, & apud certam gentem uſurpatę, cujus omnis proprietas, qua à cæteris dialectis diſtinguitur, in verbis ſingulis poſita eſt, non in conjunctis. Atqui quam vocant Helleniſticam, ex eorum definitione lingua eſt, quæ verbis Græcis utitur, phraſibus Hebraicis. Ea nulli genti certæ peculiaris fuit, ut iidem aſſerunt, ſed omnes Iudæi exules, qui in Iudæa non habitabant, ea communiter uti conſueverant. Sic per illos duos canones, quos in dialectis diſcernendis adhiberi docuimus debere, Helleniſtica non poteſt eſſe dialectus. Voces, quibus utitur, omnes Græcæ ſunt, & Græcanica forma percuſſæ, nulla quæ diſcrepantem præferat παραγωγῆς τρόπον aut χαρακτῆρα à communi Hellenica. Sed repe-riuntur, inquiunt, in N. T. multa vocabula

nuſ-

nuſquam alibi apud auctores Græcos lecta. Ajunt & phraſes ſimiliter in eo inveniri, apud alios Græcos ſcriptores non reperiundas. Sed de vocabulis primùm videamus, mox & de phraſibus viderimus. Diſpiciendum ergo, an vocabula aliena ab aliquo auctore, linguæ vel dialecto qua utitur admixta, eam linguam ita immutent, ut in aliud nomen tranſeat, & nova inde dialectus exiſtat. Ea vocabula aut antiqua ſunt aut nova, aut peregrina & barbara, aut idiotica, aut ex alia lingua de verbo ad verbum expreſſa per tranſlationem, formam tamen ejus linguæ in qua procuſa ſunt, ſervantia. Antiqua ſunt exoleta verba, quæ, cum antea uſitata eſſent, mox mutato ſermone, ut fit, ab uſu receſſerunt. Si quis ea in uſum revocare ſtudeat ſcriptor, non aliam linguam vel dialectum alio nomine vocandam facere intelligitur, ſed reducere antiquam. Ita Virgilius multa ex Ennio & Pacuvio, Lucretio, aliiſque antiquioribus Poëtis uſurpavit, & poëſi ſuæ immiſcuit. Nemo tamen dixit, Virgilium aliter loqui quam Latine, quamvis *Olli* pro illi poſuerit. *Aquai* pro aquæ. *Cujum pecus*, & alia. Salluſtius antiqui Catonis verba antiquata furatus dicitur, nec ei propterea objectum fuit, quod minus Latinè loquutus eſſet, aut quod diverſam à Latina eloquutionem ſibique ſoli propriam uſurpaſſet. Agellius infinitis vocibus locum de-

 dit

Digitized by Google

dit in Atticis noctibus, quæ noctem potius quàm diem ea in ætate ſaperent, ita obſcura erant ac tenebroſa, & vix illius temporis hominibus intellecta. Apud omnes tamen hodie litteratos pro elegantiſſimo Latinæ linguæ auctore habetur, & olim habitus eſt, paſſimque à Grammaticis tanquam ſcriptor idoneus citatus, à quibuſdam etiam multis in locis ad verbum pæne tranſcriptus. Vt majore & antiquiore teſte nitamur, Homerus quam multas voces vetuſtas ex Græciſmo intermortuo reſuſcitavit, quas & poëtæ poſteriores, ejus auctoritate adducti, non veriti ſunt facere ſuas? Plutarchus inter obſoletas dictiones quibus uſus eſt Homerus, numerat ἄορ καὶ σάκος, illud pro enſe, hoc pro clypeo, cum tamen novæ in uſu tunc eſſent, ξίφος καὶ ἀσπίς. Ποτὲ μὲν δὴ, inquit, ταῖς ἀρχαίαις χρῆται φωναῖς, ὡς ὅταν λέγῃ ἀορ καὶ σάκος, ποτὲ δὲ ταῖς κοιναῖς καὶ συνηθέσιν, ὡς ὅταν λέγῃ, ξίφος καὶ ἀσπίδα. Bene eſt quod hujus generis nullas voces in Novo Teſtamento hodie reperire eſt. De eo igitur nobis non eſt diſputandum. Niſi forte πειθὸν inter vetera & obſoleta reponas, quo uſus eſt Paulus pro πιθανῷ, in his verbis, ἐν πειθοῖς τῆς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις. Quod velut corruptum quidam malè corrigere ſatagunt. Πειθὸς à verbo πείθω, qui perſuadet, ut φειδὸς, qui parcit, ut μιμὸς, qui imitatur, & ſimilia. Latini ſimiliter à verbo Condo nomen

Con-

Condum fecerunt, de eo qui condit, *promum* qui promit. Sed & ἐγκωμβώσασθαι ibidem reperitur ex antiqua comœdia verbum. Alia nonnulla obſervavi quæ nunc non ſuccurrunt. Si antiqua verba dantur in aliqua lingua, oportet & dentur nova. Non enim antiqua ſunt, niſi oppoſita novis. Omnes linguæ intra ſæculum unum novantur. Multa apud nos hodie ſunt in honore vocabula, quæ olim ignota erant. Et quæ antiquitus in pretio fuêre, nunc jacent, ac vilia ſunt. Novitas ſemper vetuſtatem excludit in omnibus rebus. Latinitas exemplum hujus rei præbet illuſtre admodum. Vetus eorum lingua, qua reges utebantur, æque diſtabat ab ea qua Imperatores uſi ſunt, ut dialectus valde diſſimilis ac diſſona differt ab alia dialecto; præcipue in eo mutationis genere quod verſatur κατὰ μέρος λ. Circa terminationes vocum, mutationes litterarum ac ſyllabarum in ſingulis vocibus, inſertiones, detractiones & alia hujuſmodi: *Gnatus*, *gnobilis*, pro nato & nobili. *Laſes* pro laribus. *Quintoper* pro Quinti puero. *Cadamitas* pro calamitas. *Duonus* pro bonus. *Sedum* & *Donicum* pro ſed & donec. *Labrum* pro Lavabro. *Nemini* & *nulli* pro neminis & nullius. *Dingua* pro lingua. *Atventus* pro adventu, & *Aput* pro apud, idque propius ad originem Doricam & Æolicam, ποτὶ, unde *apot* latinum: ut *Alumento* pro Laomedonte. *Caſſantra* & *Alexan-*

Digitized by Google

ter pro Caſſandra & Alexandro. *Tecumeſſa* pro Tecmeſſa. *Alcumaon* pro Alcmæon. *Loucetios*, *Nouncios*, pro Lucetius, Nuncius. *Acna* pro Agna. *Acer Cabinus* pro Ager Gabinus. *Popolus* pro populo. *Dubinus* pro Domino, idque etiam magis originem refert, quæ ex Æolico Δέπποιν@ pro antiquo Græco δέσποιν@, ex quo remanſit in vulgari fœmininum, δέσποινα. *Oetier*, *cœrare* pro uti, curare. *Ellum* pro En illum. *Caſna* pro Cænis. *Caſmena* pro Camenis. *Peſna* pro pennis. *Privoes* pro privis. Vt *Aboloes* pro ab illis. *Nec eſcit* pro nec erit. *Dice*, *fatia* pro Dicam, faciam, quibus & Cato fertur uſus. *Vrgus* pro Orcus. *Cameloi*, *Caproi* pro Camelo, Capro. *Coſentiont* pro conſentiunt in Inſcriptione Scipionis. *Oino* pro unum, & hoc propius origini Græcæ οἶν@ pro unus. *Ploirume* pro plurimi. Aliâs etiam dixerunt *pluſima* pro plurima. *Obinunt* pro obeunt. *Danunt* pro dant. Tædet plura referre, quæ oſtendunt linguam Romanam, qualis erat in Pontificum libris, & Annalibus, magis diverſam fuiſſe ab ea quæ poſtea obtinuit, quàm diſtat ulla dialectus à dialecto, utpotè Attica ab Æolica. Jam verò quod ad illam mutationem attinet, quæ totius verbi ἀλλαγῇ conſtat, non minus & illa linguam veteris ævi Romanorum ab Imperatorio ſæculo ſeparat, quam particulares illæ quæ ſyllabis aut litteris fiunt, mutationes. Extiterunt & ſub Auguſto plures

res antiquarii qui reconditas voces conſectabantur & exoletas, quas ab illo Imperatore æque ac cacozelos ut diverſo genere vitioſos, ſpretos fuiſſe narrat Suetonius in ejus vita. Cacozeli autem ſunt antiquariis oppoſiti, novitatem nempe in loquendo amantes, & novorum verborum fictores. Nec apud Græcos defuêre utriuſque generis vitia amantes, ἀρχαϊσμῷ & κακοζηλίᾳ novarum vocum laborantes. Et ſenſim quidem caſca verba & loquendi genera in deſuetudinem abierunt, novis in eorum locum receptis, populuſque paulatim in aliam ac contrariam priori ſcribendi & pronunciandi conſuetudinem deflexit. Singulis ſeculis multi idonei auctores dignique quos plures ſequerentur multa innovarunt. Vt Scipio Africanus primus *vortices* & *vorſus* in *e* litteram ſecundam vertiſſe dicitur. Vt *Optumus*, & *Maxumus*, & alia ſimilia per *i* litteram ſcriberentur, quæ antea *u* in medio accipiebant, C. Cæſaris inſcriptione factum. Ciceronis ætas *cauſſam* & *caſſus* & *diviſsionem* per diplaſiaſmum litteræ S. ſcribebat. Et ſic de aliis. Nova vocabula quæ eloquutionem non vitiare diximus, nec in aliam dialectum convertere, ea ſunt quæ ab idoneo & magnæ auctoritatis ſcriptore reperta, uſu poſtea convaleſcunt, aut ab ipſo qui opus aliquod compoſuit ficta, & in illo opere primum poſita ſunt, quamvis in uſum populi non tranſeant. Hoc

ſemper licuiſſe optimus auctor Horatius ſcribit, nempe voces procudere novas, dummodo præſenti nota ſignatæ ſint, id eſt formatæ ad exemplum & normam verborum quæ in uſu habentur. Sic Meſſala *Reatum* primus fertur dixiſſe. Vt *Magiſtratus* à magiſtro, ita *reatus* à reo. *Ducatum* etiam poſterior ætas finxit à duce, pro ducis officio. Vnde *ducatum alicui præbere*, pro, ſe ducem præbere. Infima Latinitas haud inſcite, nec ſine analogia ac ratione, *doctoratum* pariter pro doctoris titulo & gradu fecit. *Eliminat* Accius primum finxit, *gradu ſe eliminat*. De quo diſputatum diu fuit inter Pomponium & Senecam, an hoc verbum dici oportuiſſet eo ſenſu. Vetuſtiores etiam *expectorat* dixerant. *Beatitas* & *Beatitudo* Ciceroni dura videntur, & putat uſu poſſe molliri. Ergo recentia tunc erant, & ab ipſo facta. *Syllaturire*, *Fimbriaturire* ſic ab eodem ficta, ut Eſurio, cacaturio, & ſimilia. *Munerarium* primùm Auguſtus dixit de eo, qui munus edit. Dubitatum ait Quintilianus à præceptoribus ſuis, an *piratica* ſic dici poſſet, ut *Muſica* & *Fabrica*. Novum ergo tunc habebatur hoc vocabulum. Teſte eodem Cicero *favorem* & *urbanum* nova credebat. Terentius *obſequium* primus uſurpavit. Poëtis præcipue ſemper conceſſum fuit ὀνοματοποιεῖν, & nova verba fingere, haud minus quàm antiqua in uſum revocare. Nam antiqua ſic in uſum ex

obli-

oblivione ac tenebris retracta quodammodo videntur nova. Novarum ergo vocum uſus, ut & exoletarum eloquutionem non ita poſſunt immutare, ut in aliam linguam & dialelectum ea convertant, quantumlibet crebra inſperſa ſint in aliquo ſcripto. Hoc genere tamen vel vitio non laborat Novum Teſtamentum, ut novis verbis ac recens tum repertis factiſve refertum habeatur. Sunt præterea peregrina ac barbara. Nulla unquam dialectus fuit quæ ſuis ſolis ac nativis vocabulis res omnes expreſſerit, niſi ſi forte in ea gente ac populo qui intra inſulam aliquam concluſus cum nemine commercia agitavit. Alioquin omnes florentiſſimæ linguæ, & gentium præpotentium, quia latiſſimas tenuêre ditiones, multiſque imperarunt populis ἑτερογλώσσοις, & cum multis rem habuêre commerciorum gratia, plurimum de alieno mutuatæ ſunt. Victores quinetiam victique ſæpe in unum coaleſcentes miſcuêre linguas, aut altera alteram perdidit, & cum ſua confudit. Aliæ etiam cauſæ linguas mutant. *Nam vix invenies*, inquit Seneca, *ullam terram quam indigenæ colant, Permixta omnia & inſititia ſunt. Alius alii ſucceſſit. Hic concupivit quod alii faſtidio fuit. Ille unde expulerat, ejectus eſt.* De Corſicæ incolis idem ibi dicit, *totum ſermonem* eorum *converſatione Græcorum Ligurumque à patrio deſciviſſe.* Romani porro multa peregrina vocabula ex di-

verſis gentibus receperunt, ex Gallis, Hiſpanis, Pœnis, vicinis Sabinis, Prænestinis, Tuſcis, aliiſque. *Benna*, *Eſſedum*, *Covinnus*, *Rheda*, *Petoritum*, *Mappa*, *Canthus*, *Gurdi*, *Ploxenum*, *Caſnar*, *Maſtruga*, *Rheno*, *Bracca*, partim Gallica ſunt, partim Hiſpana, partim etiam Britannica ſunt, & Sarda, quibus non puduit uti olim etiam ſummos Latinitatis purioris auctores. Lucillius Vettium inſectatus eſt, Quintiliano teſte, quod Prænestinorum ſermone uteretur. Quam multa iidem ex Græcis mutuati ſunt! *Pyctas* pro pugilibus, *pygam* pro natibus, *authepſam*, *paropſidem*, *toreuma*, *pytiſma*, (hæc enim vera apud Iuvenalem lectio, quidquid inepti & ſcioli contra dicant) *Emblema*, *malagma*, *emplaſtrum*, *monopolium*, & alia quæ numero carent. Lucillius ipſe qui alios carpſit, quod uterentur peregrino ſermone, huic eidem culpæ affinis alii Satyrico ſe deridendum præbuit, quod nimis frequenter Græca Latinæ orationi insereret, veluti Falerni vini notam Chio miſceret. Græca porro non minus Latinis peregrina ſunt, quam Sarda aut Gallica. Ipſæ inter ſe Græcorum dialecti variæ, quamvis ex una matrice veniant, haud minus invicem ſunt peregrinæ & hoſpitæ. Nam qui una earum ſcribens mutuatur ex alia voces, eas ex peregrino & alieno ſolo accipere cenſetur. Sic Homerus fecit, quem Plutarchus non ſolum ξέναις vocibus plurimis uſum eſſe teſtatur,

nar, ſed etiam antiquis. Per ξένας intellexit aliarum dialectorum præter communem φωνάς. Ita enim ſcribit in libro de Dialectis Homeri, οὕτως μὲν οὖν τὰς ἁπάντων ἑλλήνων φωνὰς ἀθροίζων ἀπεργάζεται τὸν λόγον, καὶ χρῆται ποτὲ μὲν ταῖς ξέναις, ὥσπερ εἰσὶν αἱ προειρημέναι, ideſt, Atticæ, Ionicæ, Doricæ & Æolicæ, de quibus præceſſit, ποτὲ δὲ ταῖς ἀρχαίαις, ὡς ὅταν λέγῃ, ἀὸρ καὶ σάκος· ποτὲ δὲ ταῖς κοιναῖς καὶ συνηθέσιν. Quod etiam reliqui poëtæ qui eum ſequuti ſunt, obſervarunt, apud quos infinitas γλώσσας, id eſt voces Exoticas repertas fuiſſe Grammatici & Critici notarunt. Græca vetus nonnulla à Perſis accepit, Recens infinita à Latinis, donec in barbariem decidit. Syriaca, quæ diu Græcos habuit regionis ſuæ dominos, multas ab illis accepit dictiones, & viciſſim dedit. Ægyptii quoque, ut fidem facit verſio Novi Teſtamenti Coptico ſermone ſcripta qui eſt Ægyptiacus. Tertia pars linguæ Perſicæ hodiernæ Arabica eſt. Nec pauciora fere Perſica in Arabicam transfuſa ſunt, in qua Arabica non pauca etiam Græca vocabula reperiri ſciunt qui linguam illam vel primoribus labris deguſtarunt. Sed Arabica propter admixtionem Perſicorum & Græcorum non excidit nomine ſuo, nec in alterius dialecti appellationem tranſiit. Nec Perſica nomen ſuum mutavit, ob Græca quoque quæ habet plurima, & Arabica plura admixta. Latina non

Digitized by Google

non deſiit appellari eo nomine propter Græcas aliquot voces aliaſque peregrinas, ſuis immixtas. Nec etiam Græca vetus perdidit id quod erat ac dicebatur, nec magis recens, illa ob aliquot Perſicarum, iſta ob Latinarum vocum infinitarum quas admiſerat, communionem. Jam vero nemo ambigit quin Græcus ſermo quo conſcriptæ ſunt Novi fœderis tabulę multas inſiticias voces Romanas habeat, σουδάριον, φραγέλλιον, λέντιον, κουστωδία, τίτλος, ἀσσάριον, κοδράντης, δηνάριος, κῆνσος, & aliæ plures de eo quemquam dubitare non ſinunt. An igitur Romana illa vocabula pauca, quibus nonnihil variegatus eſt textus Novi Teſtamenti, efficere poſſunt, ut Græcus non dicatur ſermo, quo conſcriptum eſt, ſed aliud nomen adſciſcat? Quomodo appellabimus? An Helleniſticum? Ergo voces Latinæ eæque non multæ grandiori volumini Græcè exarato inſperſæ, nomen illi ſuum adiment, & ne Græcum ſit videri facient, ſed in aliam linguam tranſcribent, quæ Helleniſtica ſit appellanda. Si hoc concedamus, totus certe Græcus ſermo illius temporis & in illis uſurpatus locis Helleniſtici appellatione cenſeri merebitur. Non enim credibile eſt, auctores Novi Fœderis voces illas Latinas eſſe commentos, aut ex Latinis eſſe mutuatos, cum apud Græcos qui loca illa habitabant, non forent uſitatæ. Sed cum Græco ſermone vulgari qualis

Digitized by Google

lis ibi in uſu erat, uterentur, promiſcuè etiam uſurparunt Latinas plurimas voces quas Græci eorum locorum vulgo frequentabant. Nec aliter potuit fieri in provincia Romanis negotiantibus referta, & à Romano præſide gubernata, quin plures irrepſerint loquutiones ex populo dominante in dialectum populi ſubjecti.' Ob eamdem rationem Græcus antea fere totus ex Syriaco factus fuerat, quo tempore Græci Macedones in Syria dominabantur. Quorum ſucceſſores in ea Dominatione Romani, haud mirum, ſi plurimas ex ſua lingua voces immiſcuerunt Syro-Græcæ, præſertim cum tam multi ibi eſſent qui Romane loquerentur. Si peregrina & extranea vocabula non ſufficiunt ad unam dialectum tranſmutandam ac tranſcribendam in alterius dialecti cenſum & appellationem, an idiotica id præſtabunt? Multo certè minus. Nulla unquam natio extitit, quin varii generis homines habuerit, doctos, imperitos: rudes, politos: urbanos, ruſticos: infantes, diſertos: pauperes, divites. Quædam etiam aulicos habuêre, ſcholaſticos, monachos, & quid non? Sic in eadem dialecto & lingua ejuſdem nationis, multi quoque characteres, & variæ ſpecies & proprietates ſermonis reperiuntur, quæ totidem ſunt idiomata pro cujuſque qualitate & conditione vel inſtituto differentia. Summa, harum proprietatum diviſio in doctos

ctos & idiotas, honeſtos & plebeios. Aulicos denique, ſi qua ibi aula ſit, & aliud vulgus. De verbis hîc agimus, nondum de phraſi. Ergo ſua verba ſunt Aulæ, foro, doctrinæ propria. Sua fæci opificum, Ruſticorum & reliquæ idiotarum plebeculæ. In omnibus gentibus & linguis hæ differentiæ verborum in ſermone γενικῷ notatæ ſunt. Aliis uti ſolet vulgus, aliis honeſtioris ordinis viri, aliis etiam ordo doctiorum. Nam & qui ſcribunt, delicatiores ſunt, & multa vitant chartis mandare, quæ etiam aulicis in ore natant. In Latino ſermone multas ejuſmodi idioticas voces ac de trivio ſumptas notarunt critici, quorum uſus interdictus eſſet doctioribus. Et certum eſt, Romæ aliter vulgum loquutum fuiſſe, aliter ſcripſiſſe diſertos. Tota Theatra ſæpe barbare exclamaſſe tradit Quintilianus. Hujus idiotici ac barbari ſermonis in vocibus quamplurimis veſtigia non rara extant in antiquarum inſcriptionum opere, quia pleræq; illæ monumentorum veterum ἐπιγραφαὶ ab Idiotis poſitæ fuêre. Vt alia omittam, occurrit frequens in illis, *Sevivus poſuit*. In aliis corruptius, *Se vius* pro *ſe vivo*. Remitto lectorem ad Indicem, in quo multa inveniet ejus notæ quam dixi. Infinita ejuſmodi idiotica vocabula in Gloſſis veterum occurrunt, quæ cum apud idoneos auctores non extent, & cum Gallica plerumque noſtratia ex his derivata ſint, liquet inde

ple-

Digitized by Google

plebeii ea tantum uſus fuiſſe, non doctorum indaginis. Talia ſunt, *ſtrunibus* pro ſtercore rotundiore. *Matta* pro tegete, nunc *nattam* dicimus. Item *ſtorea* pro eodem. *Sculna* pro ſequeſtro. *Scordalus* pro feroce, quo uſi ſunt Seneca & Petronius. At illi trivialis ſermo & plebeius à Criticis objectus eſt. *Cocio* & *arillator*, pro negotiatore. *Viſſire* pro flatum à parte poſtica emittere. Cujus verbi mentio apud Lucillium. —*Viſſire minutim*

Per commiſſuras rimarum, noctï nigrore.

Item *mannari* pro furari. *Manna* pro manipulis. *Elutriare* pro lavare, quo tamen uſus eſt Plinius. Non pauca ejuſmodi ſordentia vocabula Laberium uſurpaſſe Gellius notavit, quæ apud eum videri poſſunt. *Cimuſſa* pro σιρᾷ. *Gerdius* pro textore. Inexhauſta ſeges eſt harum vocum idioticarum, quas hîc colligere & explicare non decrevi. Hæc ad exemplum ſufficiant. In Græcis pariter innumera poſſunt obſervari, quæ ab antiquis Criticis, dum purum ab impuro, & doctum ab indocto & idiotico ſermone ſegregant, annotata ſunt. A Phrynicho, & Thoma magiſtro talia plurima recenſita ſunt, & nota cenſoria compuncta, quæ non excerpam, cum legentibus obvia ſint. Horum vocabulorum frequens uſus χυδαιολογίαν facit, in quod plerique vitium inciderunt, qui ad ſcribendum acceſsêre parum doctrina inſtructi, nec in legendis vete-

Digitized by Google

rum ſcriptis, à quibus purior loquendi forma hauritur, ſubacti. Tales omnino fuêre omnes Novi Teſtamenti auctores, in Græco ſermone rudes & imperiti, atque ut ipſi de ſe dicunt, ἰδιῶται. Sic enim Paulus ſcribit in ſecunda ad Corinthios cap. I X. Εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τῇ γνώσει. *Si enim imperitus ſermone, at non ſcientia.* Et nemo certe eſt veterum patrum Eccleſiæ, quin idiotas & ruſticos ſermone Apoſtolos agnoverit, ac λόγους eorum ἰδιωτικούς. Infra teſtimonia ipſa auctorum adducemus. Nec mirum idiotis adnumerari opifices, nautas, piſcatores, portitores, quales fuêre quorum operâ uſus eſt Chriſtus ad verbum ſuum prædicandum. Non etiam porro mirandum, ſi Græci ſermonis adeo rudes in idiotiſmum, & χυδαιολογίαν ſæpe lapſi ſunt, tam verbis quàm tota eloquutione. Pauca exempli gratia ſubjiciemus ex vocibus idioticis quæ frequentes occurrunt in novo Teſtamento. Εὐχαριστεῖν pro gratias agere, Ἀττικίζων auctor, & exacte ἑλληνίζων nunquam dixiſſet, ſed χάριν εἰδέναι. Phrynichus: Εὐχαριστεῖν οὐδεὶς τῶν δοκίμων εἶπεν, ἀλλὰ χάριν εἰδέναι. Item ἀποτάσσεσθαί τινι, pro valedicere, & ſalutare dum quis proficiſcitur aliquo, barbarum planè & idioticum. Atqui hoc ſenſu uſurpatum reperitur in Novo Teſtamento. Idem Phrynichus: ἀποτάσσομαί σοι, ἔκφυλον πάνυ. χρὴ γὰρ λέγειν ἀσπάζομαί σε. οὕτω γὰρ οἱ ἀρχαῖοι

διείσκον-

Digitized by Google

παρείσκονται λέγοντες, ἐπειδὰν ἀπαλλάττωνται ἀλλήλων. Hujus notæ eſt & κράββατος pro lectulo quem σκίμποδα dicebant è Græcis qui idiotice non loquebantur. Idem Phrynichus: Σκίμπους λέγε, ἀλλὰ μὴ κράββατος. Rhinton tamen Comicus eo uſus fertur, ut notat Pollux in Telepho. Eum vide. Πεποίθησις pro confidentia & ſecuritate, Græcum non eſt, niſi idioticum quod legitur apud Paulum, damnatum à Phrynicho. Πεποίθησις, inquit, οὐκ εἴρηται, ἀλλ' ἤτοι πιστεύειν, ἢ πεποιθέναι. Non dicitur apud rectè & pure ἑλληνίζοντας, ſed apud idiotas. Sic enim accipiendum illud apud Phrynichum: οὐκ εἴρηται. Idem improbat παραθήκην dici, etſi quidam auctores eo uſi verbo proferebantur, pro, παρακαταθήκη. At παραθήκη etiam legitur apud Paulum pro depoſito. Στρηνιᾷν pro τρυφᾷν, laſcivire, & καταστρηνιᾷν, in deliciis & luxu vivere, plebeium vocabulum, quo & Paulus uſus eſt. Et reperiebatur apud novos Comicos, qui multa è trivio vocabula uſurpare ſoliti, teſte Phrynicho, qui & hoc verbum eo ſenſu impenſe damnat. Στρηνιᾷν. τούτῳ ἐχρήσαντο οἱ τῆς νέας Κωμῳδίας ποιηταί, ᾧ οὐκ ἂν μὴ μανεὶς τις χρήσαιτο, παρὸν λέγειν, τρυφᾷν. Ita apud eum ſcribendum. *Quo nemo niſi inſanus utatur, cum ad manum ſit dicere,* τρυφᾷν. Paulus in priore ad Timotheum de junioribus viduis, ὅταν καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσι. Pro quo Atticus dixiſſet, ὅταν

Digitized by Google

τοῦ χρυσοῦ κατατρυφήσωσι, vel ἐντρυφήσωσι τῷ χρυσῷ. Antiquiores & meliores Græci εὐσχήμονα de honeſto ac moderato viro dixêre, idiotiſmus poſterioris Græciæ pro divite, & honorato & in dignitate conſtituto eam vocem uſurpavit. Et ſic intelligendus εὐσχήμων βουλευτὴς in Euangelio Matthæi de ſenatore ſpectabili & honorato vel divite. Phrynichus: Εὐσχήμων. Τοῦτο μὲν οἱ ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ πλουσίου, καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντος τάττουσιν. οἱ δ' ἀρχαῖοι ἐπὶ τοῦ καλοῦ καὶ συμμέτρου. *Hanc quidem vocem* Εὐσχήμων *idiotæ ponere conſueverunt pro divite, & eo qui in honore conſtitutus eſt. Antiqui verò de honeſto ac moderato.* Et recte vetus interpres Latinus *Nobilem decurionem* reddidit. Sine dubio ea notione quam notavit Phrynichus εὐσχήμων illius interpretis ætate ſumebatur. Scio τὸ εὔσχημον apud Paulum etiam pro honeſto ſumi. Sed Paulus legerat Poëtas & Oratores antiquos. Et præterea non novum eſt, ut idem verbum aliter atque aliter ponatur in diverſis auctoribus. Cum in uno eodemque auctore in diverſa ſignificatione plerumque eadem vox poſita legatur, ut apud Paulum εὐχαριστία pro gratiarum actione & pro venuſtate vel urbanitate. De quo alibi. Sed melius forte εὐσχήμων apud Matthæum pro divite accipietur. Nam & Marcus in eadem hiſtoria narranda, πλούσιον βουλευτὴν appellavit. Ergo εὐσχήμων idem quod πλούσιος. Cujus notionis

hæc

hæc ratio eſt. Σχῆμα in idiotiſmo veſtem denotat. Vnde & *ſchema* Plauto pro veſte, & *ſervilis ſchema*. Hinc εὐσχήμων pro bene veſtito, & cui bonum ſchema. Tales ut plurimum ditiores, qui ex veſte bona dignoſcuntur. Sed & εὐπατρίδαι & nobiles plerumque etiam ſplendidius ornati. Qua ratione & εὐσχήμων nobilem poteſt denotare. Verum de his alibi. Ὀρθρίζειν pro mane ſurgere. Vnum hoc verbum eſt ex illis, quæ nolunt Helleniſticarii alibi uſpiam reperiri, præterquam in ſacris libris. Et videri poteſt expreſſum ex Hebræo שכם. Atqui obſervavit Mœris in Atticiſta ſuo, ὀρθρεύειν eſſe Atticum, ὀρθρίζειν vero ἑλληνικὸν, id eſt commune Græcum. Sane ὀρθρεύεσθαι dixerunt antiquiores Græci pro mane ſurgere. Nam Phrynichus id notat, qui etiam differentiam nos docet Helleniſmi illius ævi in ſignificatione vocis ὄρθρος & ὀρθρεύεσθαι, & anterioris. Nam veteres ὄρθρον de tempore illo accipiebant quo nondum lucebat, & poterat adhuc quis lucerna uti. At illo ſæculo ὄρθρον vulgo ponebant de diluculo quod præcedit Solis exortum cum dies jam eſt, ſed nondum Sol emerſit. τοὺς πολλοὺς ſua ætate ita uſurpaſſe hanc vocem monet Phrynichus. Et in vulgari illa ſignificatione accipi ſolet, ut videtur in Actis V. Εἰσῆλθον ὑπὸ τὸν ὄρθρον εἰς τὸ ἱερόν. De die prædicabat in templo Chriſtus. Ideo turbæ templum ingrediebantur ſimul

ac dies erat. Quod Lucas dicit ὑπὸ τ̀ ὄρθρον, cum ſatis clarum eſſet mane, ut lumine non indigerent viatores, qui ſub id tempus iter faciebant. At veteribus Græcis ὄρθρος tempus eſt auroræ proximum, ſednondum dilucidum. Vnde βαθὺς ὄρθρος Platoni, ſummum mane, cum nondum luceſcit, ſed adhuc nocteſcit. Xiphilinus in vita Severi. Ε᾽περιῆλθε ἦ πάντας νυκτὸς ὑπὸ τ̀ ὄρθρον, Nocte ſub matutinum tempus. Σύσσημον inter illa recenſet verba Phrynichus, quæ Atticus non audeat uſurpare, & Menandrum eo nomine graviter incuſat, qui eo uſus ſit, ut & pluribus aliis ejuſdem κόμματος, ut ſunt, γῦρος, ὀψώνιον, ὀψωνιασμὸς, δύσεργος, παρένθυρος, καὶ ἄλλα, inquit, κίβδηλα, ἀναρίθμητα, ἀμαθῆ. Tales multas voces Menander, qui ſub Macedonibus vixit, ut & alii Novæ Comœdiæ Græci auctores, ex Macedonum dialecto & communi Hellenica in fabulas ſuas transfuderat. Sane & ὀψώνιον pro ſtipendio, & σύσσημον pro ſigno occurrit in Novo & Veteri Teſtamento ab eadem dialecto Syromacedonica. Inde eſt & λήθαργος pro oblivioſo, cum ἐπιλήσμονα pro eo dicerent Attici, ut Ariſtophanes, σὺ δ᾽ ἐπιλήσμων, καὶ βραδύς. Idem Phrynichus: λήθαργος, οὕτω Μένανδρος, οἱ δ᾽ ἀρχαῖοι Α᾽θηναῖοι ἐπιλήσμονα καλοῦσιν, οἷς τις... Meleager qui Syrus fuit Gadarenus, eodem ſenſu λήθαργον poſuit in Epigrammate, οὐδ᾽ ὁ λήθαργε φιλοιῦτων,

λοιώτων, *Immemor amantum.* Ariſtoteles Alexandri Macedonis præceptor, & in aula Macedonica diu verſatus δύσεργον, quod damnat Phrynichus, pro alſioſo dixit. γῦρος pro orbe vel gyro reperitur in ſacra ſcriptura ac περιήγητος. Item μεσοπορεῖν pro media via incedere, ut cum Dioſcorides dixit, Μεσοπορούσης τῆς ὀπώρης, id eſt adulto autumno, & medio. Quod Græcum pariter, id eſt Atticum negat Phrynichus. Κατηχηθῆναι pro inſtrui, & imbui rei alicujus auditione, non habemus ex Græcis qui dixerit, excepto auctore operis de fluminibus, quod tribuitur Plutarcho. Crebrum eſt apud ſacros Scriptores. Ita etiam uſurpavit Lucas in Euangelii præfatione: Ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Simpliciter accipiendum, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων, de quibus ſermonibus auditione accepiſti. Male interpretati ſunt nuperi enarratores. Sed de eo nos ad locum plura. Inde & κατήχησις, & κατηχούμενος de his qui fidei verbum audiverunt. Ὑπόδειγμα verbum eſt Bibliorum, pro exemplo, quod rectum eſſe non vult Phrynichus, cum παράδειγμα verum ſit ac genuinum. Reperitur etiam apud alios. Ὀρθρινὸς pro ὄρθριος impurum Ἀττικίζουσι καὶ καλῶς ἑλληνίζουσι, ſed Biblicum & Macedonicum, ut & ὄψιμος pro ὄψιος. Quæ veteribus & γνησίοις Ἕλλησι fuit βελόνη, id eſt acus, hæc ῥαφὶς dicta non rectè loquentibus, ut eſt au-

Digitized by Google

ctor Phrynichus. Quod reperitur & in Novo Teſtamento. Γλωσσόκομον pro γλωσσοκομεῖον, Novi Veteriſque Teſtamenti vox, cum illud Græce & vetuſtè loquentium fuerit. Γενέσια non recte dici pro die natalicio adnotat Phrynichus, à quo monemur Græce dicendum eſſe γενέθλιον ἡμέραν, vel γενέθλια. At Matthæus more illo qui improbatur ab Atticiſta, loquutus eſt. Non Atticorum hæc erat loquutio, ſed Macedonum. Ἔκπαλαι & ἀπόπαλαι idem auctor repudiat, pro quibus Græcè oportet dici, ἐκ παλαιοῦ vel ἀπὸ παλαιοῦ. At ἔκπαλαι legitur apud Petrum. Solœciſmum eſſe idem obſervat cum dicitur Græce, ἀνέῳγεν ἡ θύρα, pro ἀνέῳκται, aperta eſt janua. Hoc ſolœciſmo uſus eſt Paulus in prima ad Corinthios, cap. XVI. Θύρα γάρ μοι ἀνέῳγε μεγάλη καὶ ἐνεργής. Eo tamen modo & alios conſtat auctores loquutos, qui Atticè ſcripſiſſe exiſtimati ſunt. Ῥάπισμα vulgare verbum, quod in uſu non erat apud elegantis ſermonis ſectatores, de eo cui os plana & aperta manu perciditur, in utroque Teſtamento occurrit. Athenienſes pro eo ſoliti dicere, ἐπὶ κόρρης πατάξαι. Alii tamen auctores etiam idonei, eo uſi reperiuntur. Non probat παροψίδα pro vaſe poni Phrynichus, cum Atticiſtis aliud ſignificarit, ita ſumitur apud Matthæum. Nec minus damnat νοσσὸς & νοσσίον abſque ε enuntiari, cum Græci νεοσσοὺς & νεόσσια dicerent. Matthæus

τὴν

τὴν νοσσιὰν dixit, & paſſim hoc verbum, & quæ ab eo derivantur, in veteri Teſtamento ſcribi ſolent, ut νοσσίον. Quod non ulli peculiari Helleniſtarum dialecto imputandum, cum è contra Helleniſtæ, id eſt οἱ ὀρθῶς ἑλληνίζοντες, aliter hæc uſurparent. Vt ecce τὸ ἀναπεσεῖν non recte pro recumbere ad cibum ſumendum, poni notant Critici Helleniſmi, quia ἀναπεσεῖν pro *mente concidere*, & *animum deſpondere* id ſolerent ſumere vere ἑλληνίζοντες. Phrynichus: ἀναπεσεῖν οὐ καλῶς ἐπὶ τοῦ ἀνακλιθῆναι τίθεται, ἐὰν ᾖ ἐπὶ τοῦ τὴν ψυχὴν ἀθυμῆσαι, καλῶς. Οἷον, ἀνέπεσεν ἄνθρωπος, αὐτὶ τοῦ τὴν ψυχὴν ἠθύμησεν. At ἀναπεσεῖν pro ἀνακλιθῆναι in Novo Teſtamento non ſemel legendum offertur. Πτῶμα abſolute poni pro cadavere damnavit Phrynichus, qui dicendum autumat, ut antiquiores & idonei loquuti ſunt, πτῶμα νεκροῦ. Matthæus ita uſus eſt hoc vocabulo, pro quo in eadem re commemoranda Lucas poſuit σῶμα alio idiotiſmo. Sed de his in Notis noſtris ad N.T. Ἐξυπνίζεσθαι non eſſe Græce dicendum pro è ſomno expergiſci & excitari iſti auctores tradunt, qui regulas bene dicendi præcipiunt, ſed ἀφυπνίζεσθαι. At illud ſcriptores Novi Fœderis uſurpant, quod non rectum eſſe illi aſſerunt. Iidem notarunt βασίλισσαν de Regina nemini antiquiorum dictum, ſed βασίλειαν, aut βασιλίδα. Prima enuntiatione legitur apud Mat-

Digitized by Google

thæum, & in Apocalypſi. Nec ſecius apud alios auctores exoticos. Multi enim ſunt etiam ex probatiſſimis, qui non refugiunt uti hujuſmodi vulgo receptis vocibus. Ita Καμάρειν vulgare verbum auctorem quamvis Ἀττικιστὴν Agatharchidem non veritum eſſe uſurpare notat Photius. Ad formam quam habet βασίλισσα, barbarum Latinitatis ſæculum multa finxit alia ejuſdem generis, ut *Ducissa*, *Principissa*, *Comitissa*. Ita & Græci Ἡρώισσαν dixêre & Ἥρωισσαν, ab Heroë *Heroissa*, ut Callimachus, Ἡρῷσσαι Λιβύης. Alii dicere maluerunt Ἡρωίνας, & contracte Ἡρῷνας. Hæc forma magis placuit Belgis, qui eam adfectarunt in hujuſmodi fœmininis. Σικχαίνομαι nauſea revera dignum nomen idem Phrynichus pronuntiat, quotieſcumque aliquid cum tædio, faſtidio, & quaſi nauſea refugimus ac deteſtamur, quod Attici dicebant βδελύττομαι. Vulgare tum Græcorum fuiſſe vocabulum eo ſenſu oſtendunt Gloſſæ veteres, & reliqua quæ ab eo derivantur, ut σικχαντὸς, & alia. Eo uſus erat Aquila in verſione Bibliorum pro quo poſuerant Septuaginta βδελύττομαι. Barbarum prorſus eſſe καμμύειν, pro καταμύειν, adfirmat Phrynichus. Mallem Æolicum dixiſſet aut Doricum. Sic enim καππεσεῖν dixêre & κακκείειν, pro κατακείειν & καταπεσεῖν. Reperitur autem καμμύειν apud Matthæum & in veteri Teſtamento. De cujus verbi uſu ita pronuntiat

Digitized by Google

tiat ille Rhetor: Τοσαύτη κακοδαιμονία περίπ-
νας ἐπὶ τῆς βαρβαρίας, ὥστε ἐπειδὴ Ἄλεξις κέχρηται τῷ
καμμύειν ἠμελημένως ἐσχάτως αἱρεῖσθαι καὶ αὐτὸς
οὕτω λέγειν, δέον ὡς οἱ ἄριστοι τῶν ἀρχαίων καταμύειν.
In utroq; Teſtamento, ἀποκεφαλίζειν ponitur
pro caput abſcindere, vulgaris uſus verbum &
nemini veterum uſurpatum. Æque plebeium
& ſordidũ videtur Phrynicho τὸ κεφαλοτομεῖν.
Cum veteres & probè loquentes dixerint καρατομεῖν.
Illud tamen κεφαλοτομεῖν Theophraſtus
uſurpaverat. Et ſanè nullum ferme eſt eorum
nominum, quæ tanquam nimis protritæ,
& abjectæ loquelæ improbant Critici, quorum
pleraque in Vetere Novoque Teſtamento
extant, quin apud aliquem etiam veterum
auctorum reperiatur. Quod ſi quædam
non alibi inveniantur præterquam in ſacris
litteris, cauſa in eo eſt quod non omnes
habemus auctores qui Græcè ſcripſerunt. Vix
milleſima pars reſtat eorum, qui aliquid commentati
ſunt. Si omnes extarent, nulla vox
tam μονήρης in nova & vetere pagina reperitur
quin χρῆσις ejus ex aliquo auctore qui periit,
confirmari poſſet. Præcipue ſi illi extarent,
qui plebeio ſtilo & idiotico res ac vitas privatorum
ſcripſerunt. Ex his eſt apud profanos
Laertius Diogenes qui vitas Philoſophorum
litteris mandavit, & refertus eſt idiotiſſmis
tam in ſingulis vocibus quam in Phraſi. De
Eccleſiaſticis talis eſt Lauſiacæ Hiſtoriæ ſcri-

ptor

ptor & Epiphanius. Multos alios ſimilis farinæ ſe legiſſe commemorat in ſua Bibliotheca Photius, quibus ταπεινὸν λόγον tribuit, & quos πεπατημένας καὶ ἀγοραίους καὶ ἐκ τριόδου λέξεις uſurpaſſe ſcribit. Μὲν οὖν, & μὲν οὖν γε in principio orationis poſitum, σόλοικον eſſe conſtat, atque ita traditur à Criticis. Non minoris eſt enim vitii ita ſcribere, μὲν οὖν γε τοῦτο πράξω, quam ſi quis Latine diceret, *Autem ego ſic faciam*, pro, *Ego autem ſic faciam*. Eo tamen modo conſtructum frequens in Novo Teſtamento occurrit. Locos non afferam qui obvii ſunt. Γογγυσμὸν & γογγύζειν etiam improba eſſe & ἀδόκιμα Phrynichus teſtatur. Quod tamen in utriuſque fœderis Tabulis ſæpe poſitum legitur. Si quis diceret, non alibi reperiri quam in ſacra pagina, revinceretur teſtimonio ejuſdem Phrynichi, qui unicum Phocylidem citat eo uſum, qui Mileſius fuit. Ea propter Ἰακὸν eſſe hoc verbum iſto ſenſu, & Ionibus relinquendum eſſe præcipit.

Καὶ τόδε Φωκυλίδεω. χρή τοι τὸν ἑταῖρον ἑταίρῳ
φροντίζειν, ὅσσων περὶ γογγύζωσι πολῖται.

Sic legendi hi verſus apud Phrynichum. Pro γογγύζειν Attici, & καλῶς ἑλληνίζοντες τονθορύζειν & τονθορυσμὸν dicere ſolebant. Ἐσχάτως ἔχειν legitur apud Marcum cap. VII. quod recte vertit vulgaris Latinus interpres *in extremis eſſe*. Nam & ἐν ἐσχάτοις εἶναι, de eo qui in extremis eſt, etiam dixerunt, qui λοίσθια πνε-

ουσι.

σιᾷ. Vitium non eſt in phraſi, ſed in voce ἐσχάτως ita ſumpta. Εὖ ἔχειν quippe, & κακῶς ἔχειν eodem modo, ſed rectè, dicuntur. Ergo ſolus barbariſmus hæret in verbo ἐσχάτως, quod ibi ponitur pro periculo quod pæne extremum eſt. Vt de ancipiti & periculoſo morbo quo ad extremam regulam perducebatur ęger, dicebat vulgo fæx plebis, ἐσχάτως ἔχειν. Prynichus: ἐσχάτως ἔχει ἐπὶ τοῦ μοχθηρῶς καὶ σφαλερῶς, πάττουσιν οἱ σύρφακες. Ita poſuit, ut dixi, Marcus cap. V. ὅτι θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει, ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας, ὅπως σωθῇ, καὶ ζήσεται. Ad quem locum notat vir eruditiſſimus, Hebraicè hoc eſſe dictum. Atqui Hebraice neſciebat Agatharchides, ut puto, Cnidius qui eadem loquutione uſus eſt. Nec Zoſimus qui ἐσχάτως μαστιγῶσαι, ad necem cædere dixit, id eſt eò uſque; donec ad extrema redigeretur qui cædebatur virgis. Aliter ea voce ἐσχάτως uſos eſſe veteres Ἀττικίζοντας docet ibidem Phrynichus, nempe de re quæ ad ſummum pervenit, ut ἐσχάτως πονηρὸς, ἐσχάτως φιλόσοφος, *ſummè malus, ad perfectum modum philoſophus*. Stoici vulgaribus, & è trivio ſumptis vocabulis uti plerumque amabant. Hi & περίστασιν, ut plebs ſumebat, pro malo euentu & calamitate in ſcriptis ſuis ſæpe uſurparunt. Nec aliter ſacri omnes Scriptores. Περίστασις vero antiquis auctoribus, ut & Comicis Tragiciſque turba eſt quæ advolat, & concurrit ad aliquod

quod novum ſpectaculum, aut tumultum, & circulum facit. Vt apud Teleclidem Comicum:

Τίς ἥδε κραυγή; τίς ἡ καὶ περίστασις;

Sic legendus hic verſus apud Phrynichum. Alibi hanc vocem pluribus explicavimus. In Euangeliis σαπρὸν δένδρον & σαπρὸς καρπὸς opponuntur καλῷ δένδρῳ, & καλῷ καρπῷ. Mala vel turpis arbor, pulcræ & bonæ arbori. Sanè ideo quia vulgus tum σαπρὸν uſurpabat de re turpi & mala. Cujus vocis uſum comprobare teſtimonio Pherecratis Comici laboravit olim Theo Grammaticus. Sed fruſtra, ut oſtendit Phrynichus. Nam loci omnes, quos adduxerat, de vetere ac putrido accipi docebant. Σαπρὸν, οἱ πολλοὶ ἀντὶ τοῦ αἰσχρόν. Θέων φησὶν ὁ γραμματικὸς εὑρηκέναι παρὰ Φερεκράτει ληρῶν. ἅπαντα γὰρ φέρει μαρτύρια ἐπὶ παλαιοῦ καὶ σεσηπότος εὑρημένα κείμενα. Vox μεγιστᾶνες de proceribus & magnatibus, videtur ſumpta à Macedonibus & in uſum apud Græcos introducta. Non enim habet analogiam nec terminationem Græcam. Nec exemplum ſuppetit vocabuli ſic Græce formati. Perſico prorſus modo & ſono terminatum eſt. Apud Jeremiam in verſione Græca reperitur. Menander qui in deliciis fuit Demetrio & aliis Macedonicis Regibus, ea uſus fuerat. Poſt eum Antiochus Sophiſta, teſte Phrynicho, qui validè eam damnat, ut pote nulli veterum uſitatam. ἡμεῖς

γὰρ, inquit, οὐ μεγιστᾶνας ἑπόμενοι τοῖς ἀρχαίοις ἀνδράσιν, ἀλλὰ μέγα δυναμένους λέγομεν. Eoſdem Macedonas dictionem Κανδύταλιν invexiſſe ſcribit Pollux lib.x. Qua & uſum Menandrum eſſe ait. Erant involucra veſtis, cui nomen Κάνδυς. Verba Pollucis. Κανδύταλις, οὗ μέμνηται καὶ Μένανδρος καὶ Δίφιλος ἐπιδικαζομένῳ. ὁ δὲ Κανδύταλις οὗτος, τί ἐστι, καὶ τί δύναται; ἐμοὶ μὲν δοκεῖ σκεῦος Περσικὸν ἀπὸ κάνδυος κληθὲν, εἰς χρῆσιν δ' αὐτὸ ἤγαγον Μακέδονες. Plura alia introduxerunt in linguam Græcam communem quæ à pluribus recepta fuerunt, multum contra renitentibus Criticis, qui ad antiquitatem Atticam ſubinde revocabant Græcè loquentes, nihilque probabant niſi quod à ſcriptoribus mere Atticis antiquitus uſurpatum fuiſſet. In his nùmerare licet & ἀγωγὸν pro canali vel aquæ ductu, & δεξαμενὴν pro ciſterna vel lacu, & Παρεμβολὴν pro exercitu vel caſtris, & βουνὸν pro tumulo vel colle terreo, & innumera alia, quorum mentio occurrit in verſione Septuaginta Seniorum. Quorum pleraque vetuſtiſſima fuêre & ab Hellenum priſcorum ſive Macedonum ac Theſſalorum lingua arceſſita. Quæ quia Attici ſcriptores non admiſerunt, repudiata ſunt ab illis qui puritatem ſolam Atticam in Græce loquendo aut ſcribendo ſectabantur. Vt de illa voce βουνὸς Phrynichus notavit, ὀθνεῖαν τὴν φωνὴν τῆς Ἀττικῆς, peregrinam vocem Atticæ,

Digitized by Google

ticæ, quæ nec intelligebatur Atticè loquentibus. Inde in Comœdia quadam cum quidam dixiſſet:

Βουνὸν ἐπὶ ταύτῃ καταλαβὼν ἄνω τινά.

Alter reſpondet:

Τίς ἐσθ' ὁ βουνὸς, ἵνα σαφῶς σου μανθάνω;

Æolice mutatum hoc nomen ad gentes pleraſque barbaras Europæas tranſiit, Germanos, Belgas, Gallos, qui *Dunum* vocant ex Æolico δουνὸς pro βουνός. Sic ὀδελὸν pro ὀβελῷ dixerunt. Ita ex voce Græca τεῖχος, *Digam* fecerunt iidem populi. Verum de his alibi. Vox βουνὸς Atticis non intellecta, ut peregrina, legitur in verſione Septuaginta interpretum. Et hac re minus Helleniſtica illa verſio, ſi ἑλληνίζειν ſumamus, ut tunc accipiebant, pro ὀρθῶς διαλέγεσθαι, id eſt Ἀττικῶς & vere Ἑλληνικῶς. Tota enim illa lingua communis Hellenica Macedonum, qua vulgus tunc Græciæ promiſcuè utebatur, ſi comparetur cum Attica, quæ omnium dialectorum puriſſima ac rectiſſima cenſebatur, idiotica fuit, ac rudis, utpote collata cum politiorum & elegantiorum lingua, qualem Atticam habebant. At in illa ipſa Hellenica dialecto quam Macedones totius Græciæ & Aſiæ domitores communem omnium Græcorum fecerant, diſcrimen fuit Aulicæ linguæ & plebeiæ vel idioticæ. Nam, ut veriſimile eſt, aliter in Aula Philippi & Alexandri, aliorumque ſucceſſorum Macedonia-

rum

regum loquebantur homines : aliter ruſtico-
rum & opificum reliquorumque idiotarum
turba. Admixta autem talia verba idiotica
Orationi Græcæ in aliud genus dialecti eam
minime convertere ſatis certum eſt. Nam in
una eademque dialecto, ut jam ſubinde de-
monſtratum eſt, alius aulicorum ſermo eſt at-
que eruditorum, alius idiotarum & imperito-
rum, non tamen diverſas in ea dialectos con-
dunt. Præter ἰδιωτικὰ vocabula, & ξενικὰ, &
novè facta, & ἀρχαϊκὰ, atque exoleta, ſunt
& alterius generis quæ nequeunt in prædi-
ctorum claſſes redigi. Haud ineptè tamen poſ-
ſent in nove factorum cenſum referri, quam-
vis alio modo facta videantur. Non enim tam
verba de novo fiunt in hoc genere, ac procu-
duntur,) quamvis & hoc quoq;) quàm jam fa-
ctis nova accommodatur ſignificatio. Hæc
novatio quà vocum quà ſignificationum fieri
ſolet ab his, qui ſcripta alicujus linguæ in
aliam transferenda ſuſcipiunt, ut qui Hebrai-
ca in Græcum ſermonum vertere ſtudent, aut
Græca in Latinum. Duplex eſt de alia in aliam
linguam transferendi modus. Aut enim ſen-
ſus ſenſu redditur, aut verbum verbo. Cum
ſenſus ex ſenſu transfertur, nihil mutatur nec
in Phraſi nec in verbis ejus linguæ, in quam
alia lingua per paraphraſim transfunditur.
Græcis verbis & eloquutionibus, (exempli
gratia,) Hebraicę voces ac phraſes exprimun-

tur. In ea vero interpretatione quæ verbum ex verbo ſolet transferre, ſemper phraſis ipſa illius ſermonis qui vertendus ſumitur, in alio ſermone repræſentatur. Sola verba commutantur Hebraica utputa Græcis, vel Græca Latinis, ipſa phraſis manet Hebraica vel Græca. Interdum vero & in hoc genere tranſlationis quo phraſis peregrina retinetur, etiam ſic verba convertuntur, ut non ſolum vim eorum imitetur interpres in iis verbis quæ reponit, ſed etiam faciem ipſam exhibeat. Hoc fit præcipue cum tranſlatorem voces deficiunt propriæ, quibus reddere poſſit, quas vertere aggreſſus eſt. Quod uſu ſolet evenire impetitioribus & male diſertis, & inopia verborum laborantibus. Idque ſæpius contingit in iis dictionibus, quæ in aliqua lingua duplicem habent ſignificationem. Exempli gratia, ut μόσχος quæ & *vitulum* apud Græcos ſignificat & *ſtolonem*. Inde μοσχεύματα in veteri Teſtamento, *vitulamina* verterat vetus interpres, quem Hieronymus correxit, faciem ipſam Græci verbi reddere Latine conatus, non vim & ſignificationem. Sic vetus interpres Conciliorum Latinus ἀλογευομένους ad verbum reddiderat *irrationabiliter viventes*, cum ſint qui cum ἀλόγοις, id eſt jumentis rem habent. Talia infinita in veteribus verſionibus Veteris ac Novi Teſtamenti, Conciliorum Græcorum, & Irenæi reperire eſt. Plerumque

que

quæ non propter imperitiam, ſed ob nimiam religionem eo modo peccatur à tranſlatoribus, dum anxiè nimis adhærere volunt phraſi & verbis auctoris, quem transferendum ſuſceperunt. Hoc familiare fuit Bibliorum Septuaginta interpretibus, & aliis qui in eodem labore deſudarunt. Hinc ſcribit Philo, Septuaginta Seniores in vertenda ſacra Scriptura verba excogitaſſe commoda, quibus ἐμφαντικῶς exprimerent vim Hebraicarum vocum, formamque adeo ipſorum pænè redderent. Sic enim ſcribit lib. 1. de vita Moſis, de tranſlationis modo quo Biblia verſa ſunt à Septuaginta Senioribus tractans: ὅπερ ἐπὶ ταύτης τῆς νομοθεσίας, οὔ φασι συμβῆναι, συνενεχθῆναι δ' εἰς ταυτὸ κύρια κυρίοις ὀνόμασι, τὰ ἑλληνικὰ τοῖς Χαλδαϊκοῖς, ἐναρμοσθέντα εὖ μάλα τοῖς δηλουμένοις πράγμασιν· ὃν γὰρ τρόπον οἶμαι γεωμετρίας καὶ διαλεκτικῆς τὰ σημαινόμενα ποικιλίαν ἑρμηνείας οὐκ ἀνέχεται, μένει δ' ἀμετάβλητος ἡ ἐξ ἀρχῆς τεθεῖσα, τὸν αὐτὸν ὡς ἔοικε τρόπον καὶ οὗτοι συντρέχοντα τοῖς πράγμασιν τὰ ὀνόματα ἐξεῦρον, ἅπερ δὴ καὶ μόνα τρανώσειν ἔμελλεν ἐμφαντικῶς τὰ δηλούμενα. *Id negant uſu veniſſe in vertendis his legibus, ſed in unum quaſi conveniſſe propria nomina propriis reddita, Græca cum Chaldaiis, exactè adaptata & reſpondentia rebus ſignificatis. Quemadmodum enim Geometria & Dialectica negotia non admittunt varietatem interpretationis, ſed manent eadem ſicut à principio fuerunt poſita, & immutabilia,*

 eodem

Digitized by Google

eodem modo & hi congruentia rebus invenerunt nomina, quæque ſola valerent explicare ſenſum eorum quæ erant exponenda. Dixerat in præcedentibus Philo, eam eſſe copiam linguæ Græcæ, ut unum variis modis enuntiare poſſit atque pluribus formis explicare, nunc has, nunc alias phraſes iiſdem rebus accommodando. ἡ γὰρ ἑλληνικὴ, inquit, διαφερόντως πλουτεῖ, καὶ ταυ τὸν ἐνθύμημα οἷόν τε ἐστὶ μεταφράζοντα καὶ παραφράζοντα σχηματίσαι πολλαχῶς, ἄλλοτε ἄλλας ἐφαρμάζοντα λέξεις. *Et Græca inter alias linguas eximiè eſt locuples, adeo ut promptum ſit eamdem ſententiam variis per metaphraſim vel paraphraſim modis, Græcè explicare, & figuris pluribus variare, nunc has, nunc illas dictiones aptando.* Potuiſſe itaque dicit, Septuaginta interpretes, ſi voluiſſent, ſacram Scripturam ita in Græcum ſermonem transferre, ut paraphraſi propior eſſet verſio, ſenſum ex ſenſu tranſlatum reddenti, quam genus illud tranſlationis uſurpare, quod verbum è verbo exprimit. Genus hoc verſionis ita idem Philo deſcribit, quod ſequuti ſunt Septuaginta ſeniores: καὶ λογισάμενοι παρ' αὑτοῖς ὅσον εἴη τὸ πρᾶγμα θεσπισθέντας νόμους χρησμοῖς διερμηνεύειν μήτ' ἀφελεῖν τι, μήτε προσθεῖναι, μήτε μεταθεῖναι, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἰδέαν, καὶ τὸν τύπον αὐτῶν διαφυλάττοντας ἐσκόπουν τὸ καθαρώτατον τῶν περὶ τὸν τόπον χωρίων, ἔξω τῆς πόλεως: *Et cogitantes quanta eſſet molis acceptas oraculo leges interpretari, ita ut nihil demi, nihil adjici, nihil mutari*

Digitized by Google

tari oporteret, ſed primitivum characterem eorum ac nativam formam cuſtodire eſſet neceſſe, viderunt de ſuburbano aliquo ſeceſſu, qui foret maximè ab omni turba vacuus. Eam tranſlationem, qua leges oraculo datæ in aliam linguam converti deberent, comparat ei verſionis generi, quo Dialecticæ aut Phyſicæ inſtitutiones, vel Geometricæ præceptiones de alia in aliam linguam transferrendæ eſſent. Non enim παραφραστικῶς, nec per circuitus converti eas oporteret, ſed ſervata verborum ſingulorum ut proprietate, ita etiam facie. Ita olim ab iis factitatum qui libros philoſophorum Græcos Latinè tentarunt reddere. Omnia artis vocabula non ſolum conati ſunt interpretari, ſed imitari, & ad Græci nominis formam transferre. τὸ ὂν ſi quis reddat, *id quod eſt*, Latinè loquitur, ſed verbum pro vocabulo ponit, nec faciem nominis Græci repræſentat. Hoc facit, qui *Ens* vertit. Ex Græco formatum eſt. Hoc Sergius Flavius uſus eſt, cum Philoſophiæ præcepta Latinis traderet. Quintilianus, lib. VIII. *Multa ex Græco formata nova, ac plurima à Sergio Flavio, quorum dura quædam admodum videntur, ut Ens, & eſſentia, quæ cur tantopere aſpernemur, non video, niſi quod iniqui judices adverſum nos ſumus, idèoque paupertate ſermonis laboramus.* Sic οὐσίαν reddiderunt *eſſentiam* vel *entiam* potius. Etiam *ſubſtantiam* pro eo dixerunt, quod vel inde manifeſtum eſt, quia οὐσίαν cum pro facultatibus

Digitized by Google

ſumitur, *ſubſtantiam* quoque Latinè appellarunt. Vt alia ergo οὐσία eſt in vita communi, alia in libris philoſophorum, ita apud Latinos etiam, *ſubſtantia* dicitur de facultatibus & cenſu, quia Græci hoc ſenſu οὐσίαν vocant. Iidem *ſubſtantiam* quoque ſic uſurpant, ut ſolet à philoſophis Græcis οὐσία dici. Ita aliud ſignificant apud Latinos *accidentia*, ſi philoſophicè hæc vox accipiatur, quæ συμβαίνοντα ſunt Græcis, aliud notat cum ſumitur, ἀντὶ τῶν συμφορῶν. Sic enim *accidentia* ſæpè poſuit Quintilianus in Declamationibus. Barbari philoſophi Latinitatis infimæ longè plura novarunt, & ex Græco formarunt, etiam duriora. *Qualitatem* & *quantitatem* antiquiores procuderunt, ex ποσότης & ποιότης. Quæ poſtea in uſum communem tranſierunt. At *quidditatem* barbarum ſæculum introduxit, & alia ſordidiora, quæ ſtilus Latinus reformidat. Εὐθυμίαν Græcorum qui *tranquillitatem* Latinè vocaverit, vim Græcanicæ vocis exprimit, non formam exhibet. Qui *bonanimitatem* fingere vellet, ipſam faciem Græci vocabuli repræſentaret, non Latinè loqueretur. Nam ut εὐθυμεῖν ſignificat bono animo eſſe, inde εὐθυμία: ita Latinè dici poſſet *bonanimitas*, ut *æquanimitas* dicitur. Συγχρονεῖν dicuntur, qui eodem tempore vivunt. Græci verbi vim reddit qui dicit *eodem tempore vivere*. Faciem ipſam referret, qui dicere auderet *contemporare*. Ita & σύγχρονος dici poſ-

ſet

ſet *contemporaneus*. Hieronymus tamen maluit *Synchronum* latine vocare. Παραδειγματίζειν eſt quod antiqui Comici dixere, *Exempla in aliquem edere*, id eſt, ita aliquem punire, ut exemplum ſit. quod Demoſthenes dixit, ζῶντα παράδειγμα ποιῆσαι. Aliquando tamen etiam accipitur pro ludibrio publice habere, & ſicut vertit vulgaris interpres Matthæi, *traducere*. Sic enim ejus ætate illud verbum accipi conſueverat. *Exemplare* qui Latinè verteret, de verbo ad verbum non ſolum redderet, ſed ipſius verbi ἰδέαν exprimeret. Paribus exemplis infinitis poſſem id quod dico comprobare. Sed quæ retuli, ſufficere opinor. Ita ergo qui Biblia ex Hebraico in Græcum verterunt, multa finxêre vocabula ad formam Hebraicorum, ut ſic quam proxime exprimerent Hebraicarum dictionum vim. Sic εὐδοκεῖν Hieronymus à Septuaginta interpretibus confictum tradit. Nec audio virum eruditiſſimum qui vult ſolam conſtructionem ab his inventam, εὐδοκεῖν ἐν τινὶ, pro εὐδοκεῖν τινὶ. Qui pleonaſmus præpoſitionis ἐν ex idiotiſmo eſt illius ævi. Puto tamen εὐδοκεῖν verbum eſſe Macedonicum, nec à LXX. confictum, ſed ex illa dialecto ſumptum. Significat propriè in eo acquieſcere quod quis probavit. Inde εὐδοκία pro decreto quod barbari dicunt *beneplacitum*. Sed non dubium eſt, quin multa talia commenti ſint vocabula, vel ex uſu populari ſumta

Digitized by Google

paulum deflexerint ad exprimendam propius poteſtatem ac vim vocabuli Hebraici. Ita ἀφορίζειν, ἀνάθεμα, ἀναθεματίζειν, κοινὸν profanum, κοινῶσαι profanare, & polluere, μάστιγα pro graviori malo, προσήλυτον, & προσηλυτεύειν, χαριτῶσαι, σπλαγχνίζεσθαι, μακροθυμεῖν, & alia ſexcenta, quæ de verbo ad verbum expreſſa ita faciem referunt, non vim tantum appellationis Hebraicæ, ut ſi quis χρονίζειν quod eſt *morari*, Latine redderet *Temporare*. Hoc enim *Temporare* pro χρονίζειν factum, ſic ἰδέαν verbi Græci ad vivum effigiaret, ut illa Græca, quæ poſuimus, genium vocum Hebraicorum, & indolem habent. Non pauciora Aquila fabricavit quam LXX. in ea verſione quam adornavit, immò etiam plura, quatenus & preſſius Hebraico textui adhæſit, & formam verborum ejus dialecti de proximo imitari & cum iiſdem lineamentis exhibere tentavit. Præterea ut lingua Hebraica valde paupertina eſt & inopia verborum laborat, hinc fit ut voces quibus utitur, πολύσημοι ſint. Cum difficile itaque eſſet, reperire aliquod verbum in Græca lingua, quod examuſſim reſponderet voci Hebraicæ ad ſignificationem exprimendam quam ſententia loci poſtularet, idcirco fingenda interpretibus vocabula fuerunt, aut ex medio ſumenda, quæ viderentur magis convenire ad Hebraicos ſenſus reddendos. Hinc quoque difficile evaſit perſpicere, quo ſenſu quod-

que

Digitized by Google

que verbum Græcanicum ab his poſitum ſit, quia plerumque latet, quæ mens ſit verborum Hebræorum, aut quam ipſi mentem habuerint, quidve ſequuti ſint in iis interpretandis. Ea gratia & verba de trivio interdum elegiſſe videntur, quia melius exprimerent ſententiam Hebraicorum, & quod uſitatiora eſſent in illis locis. Præterea idiotæ erant qui verſiones illas curarunt, ideoque plebeiæ pulpæ loquelam, id eſt, ſuam, magis uſurparunt. Hinc tam multa Latina vocabula in Novo Fœdere legimus, quæ & in Rabbinorum illius ævi ſcriptis reperiuntur. Poſtremò ex quo Græciſmus in Syria per Macedones propagatus eſt, Iudæi qui à teneris utramque linguam addiſcebant, vernaculam Syriacam, & Græcam, alteram altera corrumpebant, & phraſes Syriacas verbis Græcis in loquendo enuntiabant, & verba Græca ad formam Hebraicorum plerumque fingebant. Quod & hodie facere Iudæos Germanos compertum eſt. Nuſquam puro Germanico ſermone utuntur, ſed paſſim voces Hebraicas immiſcent ut viciſſim Germanicas inſerunt Hebraicis inter ſcribendum. Nec ſecus de Italis Iudæis, & Luſitanis. Nihil etiam cauſæ eſt. cur cogitemus aliud fuiſſe in Iudæis græcis, quales erant tunc non ſolum in media Græcia nati, ſed etiam in Syria Palæſtina, quæ illo tempore propter diuturnum Macedonum imperium tota Græciſſabat. Δίγλωττοι tum

fuêre Syri, Græcè & Syriacè loquebantur. Sub Romanis porro cœpere eſſe τρίγλωττοι, & Romanam duabus illis prædictis adjunxêre linguam. Sic nullam puram uſurpabant, ſed omnes inquinatas. Syriaca multa vocabula habuit & phraſes ex Græco mutuatas, & etiam nunc libri ea lingua ſcripti non pauca præferunt Græcanica. Ipſæ vocales quibus utuntur, ex Græcis quinq; vocalibus imitatę & expreſſę ſunt. Syriacum ſermonem tot vocibus Græcis adulteratum in aliam dialectum tranſiſſe, & nomen aliud proinde adoptaſſe nemo diceret. Cur volunt Græcum ſermonem quo ſcripta ſunt ſacra volumina, degeneraſſe in nomen ac cenſum alterius dialecti propter immixtas quaſdam dictiones exoticas ac peregrinas? Age concedamus illis fuiſſe dialectum aliquam Helleniſticam. Ex ea dialecto multas voces in Vetus ac Novum Teſtamentum irrepſiſſe. An dicent omnem ſacræ Scripturæ contextum, quem non poſſunt negare longe maxima ex parte Græcum eſſe, propter pauca quædam Helleniſtica admixta, vocari debere Helleniſticam? Quæ enim ſunt illa, quibus propriè competere volunt Helleniſticorum appellationem? Ea ſunt, ſi benè eos capio, quæ in ſola ſacra Scriptura inveniuntur, non apud alios auctores qui Græcè ſcripſerint, reperiunda. Ex Novo Teſtamento pauca proferunt talia, ut ἱκανόω, χαριτόω, ἐνωτίζομαι, ὀρθρίζω,

πιστόω

πιςεύω εἰς τὸν θεὸν, εὐλογητὸς κατ᾽ ἐξοχὴν θεὸς, & alia quædam. Druſius aliquot alia numero pauca promit, quæ pro Helleniſticis habenda ſint, κοιναῖς χερσὶ pro pollutis, χάρις pro gaudio, διαθήκη pro fœdere & pacto, ἀνάγκη pro vexatione, ἕτοιμος pro firmo. Triplicetur per me licet, immò quadruplicetur hic numerus, ſpondeo me illis plura ex Novo Teſtamento prolaturum Latina vocabula, quàm ipſi inde depromere poterunt verè Helleniſtica. Magnam enim partem eorum quæ pro Helleniſticis obtrudunt, Græca eſſe & à Græcis uſurpata, ſed idiotica, poſſum illis oſtendere. At non negabunt merè Latina eſſe quæ pro talibus oggeram. Si plures igitur Latinæ voces in Novi Teſtamenti tabulis quam Helleniſticæ, ſicut demonſtrare paratus ſum, cur non potius Latino ſermone ſcriptæ dicentur, quàm Helleniſtico? Si illud non poteſt dici, multo hoc minus. Ex his ergo quæ prædiximus conſtat, nec peregrina vocabula, nec antiqua, nec novè facta, nec modo ullo alio ficta, corpus orationis quod ex verbis contextum ſit alicujus dialecti propriis, ſi illa pauciora diverſi generis admiſceantur, poſſe in illud genus commutare & nomen, quo ea pauciora cenſentur. Nulla enim lingua eſt, ut jam diximus, quin multa admixta habuerit peregrina vel ex commercio longinquo, vel ex vicinarum gentium converſatione. Sed non propterea paucorum

corum admixtio nomen mutavit totius dialecti, quo plura habuerit ſibi propria ac peculiaria. Sic Græca Latino ſermoni inſerta, non Græcum eum reddiderunt, nec Latina Græco, Latinum. Syriaca non evaſit Græca ex Græcarum vocum colluvie. Tertia pars Arabicorum in Perſicam adſcita non eam Arabicam fecerunt, nec Arabica ex Perſicis, quæ habet plura, deſiit eſſe Arabica. Ægyptiaca quoque vetus non ſolùm litteras accepit Græcas, ſed etiam voces non paucas, & tamen ſic manſit Ægyptiaca quæ *Cophtica* nunc appellatur. Ita ergo nec Græca nomine ſuo exciderit, nec in appellationem Helleniſticæ tranſierit propter Helleniſticarum dictionum paucarum, (etiamſi detur aliqua Helleniſtica dialectus,) adjectionem. Atqui nullam fuiſſe Helleniſticam dicemus. Plorent igitur Helleniſticarii. Poëtæ, ut Homerus, & qui eum deinceps ſunt imitati, mutuantur ex omnibus dialectis multas voces, non ſolum ſignificatione differentes, ſed etiam flexione, quæ propria eſt dialectorum differentia. Caſſandra Lycophronis referta eſt vocibus non ſolùm antiquis, & exoletis, ſed etiam ex variis dialectis petitis, nec tantum Græcanicis, ſed etiam Barbaris, ut *μαμέρτης* pro Marte, & aliis. Doſiadas in Ara ſimiliter multa ex antiquitate repetit Græca vocabula deſita, & ex aliis dialectis arceſſita uſurpat. Nec veritus eſt præterea, & Perſicas

voces

voces inſerere, ut τηγχρὸν pro auro. ὅτι τηγχροῦ πλίνθοις, οὐδ' Ἀλύβης τηγχρῶτα βώλοις. Neque hoc refugerunt etiam caſtigatiſſimi poëtarum, & hoc ipſo peccantes quod nihil peccent, ut Callimachus & Apollonius. Vterque ψίας ex Sicyoniorum dialecto uſurparunt pro calculis, & alia infinita quę notantur ab eorum Scholiaſtis. Nemo tamen unquam prodidit ex antiquis Criticis aliter eos fuiſſe loquutos quàm Græcè. Sed nec diverſam & novo nomine nuncupandam ab his proditam dialecton quiſquam ſcripſit. De verbis ſingulis viſum eſt. Nunc videndum, cum ſingula verba pauca ex alieno ſumpta, & pluribus aliis ejuſdem generis immixta differentiam dialecti nullam conſtituant, an verba conjuncta eam faciant, & an, ubi nullum aliud diſcrimen extat, poſſit phraſis, cum diverſa eſt, diverſitatem condere dialecti. Certum eſt, omnem eloquutionem duabus rebus conſtàre, materia & forma. Materia in verbis eſt: forma in tractatione, quæ poſita eſt in collocatione verborum. Duplex ea porro collocatio, neceſſaria, quam regula ſermonis in omni dialecto exigit, & ſpecioſa, quæ ad ornatum tantum ſpectat. Illa σύνταξις propriè dicitur, hæc συνθήκη vel σύνθεσις. Hæc certis numeris pedibuſque decurrit, qui rotundiorem & concinniorem compoſitionem faciunt, qualem adhibent oratores, & alii periti loquendi artifices.

ſices. Hæc ἐναρμόνιος σύνθεσις dicitur, & ornatus ſive κόσμος orationis in ea præcipuè conſiſtit. Hac compoſitione artificiali diſtat eloquutio peritorum ab Idiotarum loquendi genere. Hi enim verba componunt, ut in buccam veniunt, ſine ulla arte, & inconditè. Quin plerumque nec ad regularem conſtructionem attendunt, quæ σύνταξις eſt, quam qui non obſervant, contra leges ſermonis peccant, & ſolœciſmos faciunt. Verba ipſa quibus utuntur loquendi artifices, alterius ſunt generis, quam quæ in loquendo adhibent idiotæ. Quemadmodum enim in eadem vena, ſive metallo, varii ſunt generis lapides, alii viliores, alii potiores & ad ſtructuram ornatiorem faciendam aptiores: ita in omni dialecto ſelectiora, & ornatiora verba ſunt, item ſordidiora & viliora. Vt ſimiles habent labra lactucas, ita vulgus ſordidas, & inhoneſtas voces ad eandem rem enunciandam magis amat uſurpare: honeſti vero & docti ad convenientes ſibi voces inter loquendum & ſcribendum decurrunt. Ruſticus ut maceriam vineæ faciat, lapides fortuito ſumptos ex trivio congerit, eoſque inordinatè, & ſine ornatu & arte temere conſtruit. Cæmentarius artifex ut murum elegantem in ædificio ſtruat, non ſolùm delectum habet lapidum, ſed etiam eos ad normam & libellam collocat, nec id tantùm laborat, ut firma ſit ſtructura, ſed etiam ut

ſpecioſa

Digitized by Google

ſpecioſa & oculis grata. Ita in fabricis parietum, duæ ſunt partes, conſtructio & venuſtas. Haud ſecus & in eloquutionis ſtructura totidem ſunt. Materia, ut dixi, orationis, in verbis eſt, ut ædificii in lapidibus, & lignis. Cæterùm quod lapis à lapide differt, lignum à ligno, id non præſtat conſtructio ædificii, ſed vena vel metallum ex quo lapides exciſi ſunt, & ſylva ex qua ligna ſunt cæſa. Alia vena eſt lapidis Tiburtini, alia tophi, alia lapidis molaris. Alia ſylva pinea, alia roborea, alia fraxinea. Similiter ut dialectus à dialecto diverſa ſit, non verborum conſtructio & compoſitio efficit, ſed gentes linguis diſſonæ, à quibus variæ procedunt dialecti. Quacunque forma ædificium ex Tiburtino lapide ſtruxeris, Tiburtini nomen manebit, & ex Tiburtino condita illa ædificatio dicetur. Si ſimili forma duo muri fabricentur, ex Tiburtino & molari, nihilominus materia diverſa cenſebuntur ſtructi, quia diverſi generis erunt lapides. Multo magis ejuſdem latitudinis & altitudinis parietes, ex luto, ligno & lapide ædificati inter ſe differunt, quamvis cætera ſpecie non diſtent. Vt cæmentarius faber in ſua poteſtate habet, ex eodem lapidum genere alia atque alia forma murum moliri; ita ex iiſdem verbis aliter atque aliter collocatis, quaſi differentis formæ ædificia, poëma condet Poëta, orationem Rhetor texet, Epiſtolam amicus

detor-

detornabit, colloquium inter duos congerrones deproperabitur. Totidem hinc exſurgunt χαρακτῆρες, & loquendi ſive ſcribendi indoles. Ἰδιωτικὸς χαρακτὴρ, qua plebeii, & vulgares homines inter ſe confabulantur & garriunt. χαρακτὴρ ἐπιστολιμαῖος, qua Epiſtolæ familiares conſcribillantur. χαρακτὴρ ῥητορικὸς, qui oratorum proprius eſt, & χαρακτὴρ ποιητικὸς, quo poëtæ utuntur. Super hos omnes characteres maximè generalis eſt, quo univerſa gens vel natio uti conſuevit, qui ἐθνικὸς χαρακτὴρ, nuncupatur. Omnis lingua quæ cujuſque gentis aut nationis peculiaris eſt, ita vocatur. Inde χαρακτῆρα non habere dicitur, ſi qua gens nutibus aut ſignis ſoniſve quibuſdam vel geſtibus loco ſermonis, animi ſui ſenſa exprimere novit. Quod de natione quadam tradit Agatharchides, quam χαρακτῆρα negat habere, id eſt dialectum vel ſermonem, quo res quas enuntiare vult, ſignare queat. Τῶν δὲ εἰθισμένων, inquit, ἀνθρώπῳ πρὸς ἄνθρωπον, οὐδὲ τὴν ἐλαχίστην διδόασιν ἔννοιαν. Ὅθεν ἔγωγε νομίζω μηδὲ χαρακτῆρα διάγνωστον ἔχειν αὐτοὺς, ἐθισμῷ τε καὶ νεύμασιν ἤχοις τε καὶ μιμητικῇ δηλώσει διοικεῖν πάντα τὰ πρὸς βίον. Dicit eos nòn habere χαρακτῆρα διάγνωστον, id eſt loquendi formam intelligibilem, & articulatam, in qua ineſt χαρακτὴρ ſive nota qua dialectus à dialecto diſcernitur. ἰδέαν vocat Philo. De hujuſmodi aliqua gente, quam caput caninum habere

veteres

veteres finxêre, & latrare non loqui, ſcripſit Apollonius:

Τῶν μὲν θ' ὥστε κυνῶν ὑλακὴ πέλε, οὐδέ τι τοίγε
Ἄλλων αἰ γνώσκουσι βροτῶν ὀνομάκλυτον αὐδήν.

Hæc αὐδὴ ὀνομάκλυτος quæ ſingula nomina ſingillatim & articulatim exprimit, χαρακτῆρα habet ſpecialem impreſſum, quo dignoſcitur, & diſtinguitur ab alterius nationis charactere, ſive dialecto. Hic ἐθνικὸς χαρακτὴρ, ita peculiaris eſt cujuſque nationis, ut toti communis ſit. Ideo ἴδιον καὶ κοινὸν τοῦ ἔθνους χαρακτῆρα definiunt Grammatici veteres. Cum ergo communis ſit totius nationis, in verbis ſingulis tantum conſiſtit. Alioquin communis eſſe non poſſet. Nam ſi in phraſi conſiſteret, haud eſſet communis omnium, qui ex ea gente ſunt, cum unuſquiſque quantum ad eloquendi modum, ſuum idioma habeat. Verba igitur quibus dialectus gentis alicujus cenſetur, & in quibus χαρακτὴρ ille ἐθνικὸς cernitur, communia ſunt omnium hominum, qui ea dialecto utuntur. Vnuſquiſque autem pro libitu & arbitrio ea collocat, & ex iis more quo vult modoque conſtructis, proprium characterem ſive loquendi formam componit, qui ἰδικώτατος eſt χαρακτὴρ ſingularum perſonarum. *Stilum* Latini vocant, Græci ἰδέαν & χαρακτῆρα. Alius enim ſtilus eſt Salluſtii, alius Livii: Alius Ciceronis, alius Cæſaris, alius Taciti, alius Senecæ, & ita de aliis. Non enim in

duobus quamvis eodem ſæculo viventibus, idem ſtilus deprehenditur, quamvis alter alterum imitari & exprimere contenderit. Multo minus reperietur in iis qui diverſo ſæculo vixerint. Tacitus Salluſtium imitatus dicitur. Quid tam diſſimile? Exceptis quibuſdam dicendi generibus ac phraſibus, quas Tacitus à Salluſtio mutuatus eſt, totus ſcribendi character alius eſt. Ita & Catonem Salluſtius compilavit potiùs quam imitatus eſt. Nam verbis aliquam multis antiquis ab eo acceptis aliam induit formam. Cujuſque ſæculi ſua ac propria dicendi forma eſt, generatim accepta, quæ tamen in ſingulis qui eadem ætate vixerunt, variat, unuſquiſque quippe propriam habet. Sic in genere poëtæ omnes præcipuè σύγχρονοι, communem habent characterem, qui ποιητικὸς appellatur. Inter illos tamen poëtas qui omnes communiter poëticam ſcribendi formam conſectari & affectare debent, ſinguli ſuam, & ab aliis diſſidentem habent ἰδέαν. Nec ſecus eſt de Oratoribus. Cultus & character orationis omnium ſic communis eſt qui oratores haberi volunt, ut ſingulis ſuus ſit ac proprius. In Attico dicendi genere, quam diſſimilis eſt Lyſias Demoſtheni? Ipſi illi Atticiſtæ ſequioris ævi quamvis omnes ad exemplar properent antiquorum Atticorum, quaſi ad unum ſcopum collineantes, quam diverſi inter ſe ſunt? Iam verò dicendi formas & genera

cum temporibus mutari quis neſcit? Verba etiam ipſa in quibus ſpeciatim gentilis ſive nationalis loquendi character ſitus eſt, cum temporibus mutantur, dum alia ab uſu abeunt, alia nova in uſum vocantur. His poſitis & conſtitutis quis dixerit phraſin Ἑβραΐζουσαν vel Συριάζουσαν verbis merè Græcis expreſſam alium ἐθνικὸν χαρακτῆρα condere præter eum quem verba ſingula denotant & χαρακτηρίζουσι? Alium quidem characterem facit talis eloquutio, ſed qui ſit hominis alicujus ſingularis proprius, non generalem, nec gentilis dialecti peculiarem. Hic enim in verbis ſingulis totus eſt poſitus, non in phraſi. Si poëticus ſtilus & Græcus, quamlibet longiſſime diſſitus à ſermone vulgari, Græcus tamen appellatur, non Helleniſticus, multo minus in aliud nomen tranſeat oratio Græca qua verſa ſunt Biblia, licet Hebraicis phraſibus referta. Longius quippe abit à conſuetudine vulgari ſermo poëticus, & difficilius intelligitur, quam ſermo Græcus ἑβραΐζων Septuaginta Seniorum, & aliorum interpretum qui Sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt. Auſim ego affirmare Græcè mediocriter eruditis multo faciliores intellectu eſſe libros Novi Teſtamenti, quam, non dico Apollonium vel Callimachum, ſed ipſum Demoſthenem ac Thucydidem. De Apollonio certè hoc dixerim, cum profectum aliquem in Græ-

cis litteris feciſſem, me magis cum ad eum legendum acceſſiſſem, de intelligendo eo laboraſſe, quàm de Novo Teſtamento. Etiam facillimorum poëtarum phraſis moleſtior moroſiorque illis accidit, qui pedeſtres ſcriptores tantum evolverunt, quam auctorum lectio qui novum Fœdus conſcripſerunt. Nulla Hebraica phraſis à communi magis abſcedit, quam hæc Euripidea ex principio primæ ejus, quæ nunc mihi occurrit, Tragœdiæ:

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας
Λιπὼν ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

Hæc omnino poëtica ſunt, quibus in proſa oratione locus non eſſet, *νεκρῶν κευθμὼν, σκότου πύλαι, ἵνα ᾅδης χωρὶς θεῶν ᾤκισται.* Sic *ἀΐδαο πύλας* Homerus dixit, alius poëta *θανάτοιο πύλας.* Citatur ab Ariſtotele, ex poëta vetere, neſcio an Theodecte, de ſole lucente, *σπείρων θεοκτίσταν φλόγα.* Nullus Hebraiſmus eſt qui longius recedat à vulgari & humano dicendi genere, *Serens à Deo conditam flammam.* Apud Matthæum *ᾅδου πύλαι οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.* Poëtis etiam familiares compoſitæ voces quas nullus πεζογράφος uſurpavit, *ἀργυροδίνης ποταμὸς, ἀργυρόπεζα Θέτις, εὔσφυρος & καλλιπλόκαμος puella. Πασίγαμος meretrix,* & infinita talia. Apud illum Euripidem, *ἀκλῆς κυμοδέσμιος πύλας.* Præterea innumeræ tam dictiones quam loquutiones poëtarum peculiares fuêre. De quibus à nonnullis propria Λε-

ξενικὰ ποιητικὰ condita ſunt, ut ab aliis ῥητορικὰ de vocibus & phraſibus Rhetorum peculiaribus. Nam & oratores ſua habuêre verba & loquendi genera, quæ vulgus hominum in ſermocinando non ſoleret uſu frequentare. Quinimmò ſinguli hiſtorici vel oratores etiam idiomata ſua tam in verbis quibuſdam ſolis ſibi uſitatis quam in phraſibus, privatim conſuetis, retinuerunt, quæ cum aliis auctoribus ejuſdem ſæculi & profeſſionis communia non habuerunt. Horum etiam Gloſſaria & λεξικὰ ab antiquis Grammaticis confecta olim fuêre, quorum & quædam extant, ut Ἱπποκρατείων λέξεων ab ipſo Galeno & Erotiano: Ἡροδοτείων ab alio anonymo. Dionyſius Halicarnaſſeus librum ſcripſerat περὶ ἰδιωμάτων Θουκυδίδου. Multa obſervavit Harpocration de vocibus apud ſolum Iſocratem repertis. Quid oratores, quid poëtas in genere, vel ſigillatim loquimur? Omnis oratio figurata, metaphorica, metonymica, longius diſtat à ſimplice & recta, quæ propriis non tranſlatis utitur verbis, quam ἰβερίζουσι. Illud Comici quis intelligeret, niſi qui ſciat quid ſit μετωνυμία, *Sine Cerere & Libero friget Venus?* Symbolica omnia præcepta longe etiam magis à Græciſmo vulgari recedunt quam quæ Hebraiſmos in phraſi Græcè concepta præferunt. Quæro nunc, utrum difficiliora explicatu ſint Græce ſcientibus Symbola Pythagoræ, an præcepta Moſaica, ut in

Decalogo habentur ex verſione Septuaginta Seniorum? Quid etiam dicent de omni Ænigmatica ſcriptura, ut eſt Caſſandra Lycophronis? Ara Doſiadæ, Simniæ ovum, Syrinx Theocriti, & alia hujuſmodi antiqua opuſcula αἰνιγματώδη, quæ hodie nemo intelligeret, quamvis Grȩcè ſcripta nemo negat, niſi ego ea expoſuiſſem & enodaſſem. Poëticus ſtilus etiam non Ænigmata ſcribens, non tantum phraſi, ſed etiam verbis à communi differt. At Helleniſticus quem vocant, ſermo ſola phraſi diſtat, quæ dialecti differentiam non facit, ut ante oſtendimus. Nemo tamen dixit poëtas peculiarem dialectum habere, & diverſam ab oratoribus, nec oratores à vulgariter loquentibus. Nam & oratores non ſolum eloquendi genere, ſed etiam innumeris vocibus, quas habent peculiares, diſſident ac diſſonant à ſermone plebeio & idiotico. Ariſtophanes tamen γλῶσσαν Ὁμήρου appellavit genus loquendi poëticum, quo uſus eſt Homerus, qui ſtilus eſt potius, & ἑρμηνεία Homerica quam dialectus vel γλῶσσα. Pollux lib. II. citat hunc ex Ariſtophane verſum: πρὸς ταῦτα λέξον, Ὁμήρου γλώττας τί καλοῦσι κόρυμβα. *Ad hæc dicito, quid vocetur lingua Homeri*, κόρυμβα. Niſi legendum ſit, ut vulgo ſcribitur, Ὁμήρου γλῶττα. id eſt, *Homeri gloſſa*. Nam γλῶσσαι vocantur ſingulares dictiones auctoribus antiquis uſitatæ, quæ in uſu communi

non

non ſunt. Ita κόρυμβος, Homeri γλῶσσα eſt. Sed potuit Ariſtophanes comicè ludens Ὁμήρου γλῶσσαν appellare ſtilum Homeri poë-ticum. Aliàs γλῶσσα non dicitur niſi de ἐθνικῇ dialecto, qua gens à gente differt, & invicem ἑτερόγλωττοι populi fiunt, aut ὁμόγλωττοι qui eodem ſermonis charactere, id eſt eâdem dialecto utuntur. Obtendent hîc fortaſſe qui-dam ex Helleniſticariis, magnum Scriptorum numerum, qui litterati ac ſacri orbis gens quę-dam videri poſſit, peculiaris ſignificationis voces ac phraſes habere, ac proinde definitio-nem dialecti, quam ſupra attulimus, conveni-re poſſe linguæ Helleniſticæ, quæ hoc modo rectè definiatur, ἐθνικὸς χαρακτήρ. Sed ſcri-ptores illi ſacri quos Helleniſticè ſcripſiſſe contendunt, non magis gentem unam finibus certis circumſcriptam poſſunt efficere, quam oratores aut poëtæ. Quis autem oratoribus aut poëtis, Græcis vel Latinis, peculiarem ac propriam dialectum adſcripſerit, alio nomine vocandam quam quo appelletur lingua populi vel loci in quo nati ſunt, & quam habent ver-naculam? Quod magnum numerum volunt eſſe ſacrorum auctorum qui Helleniſtica uſi ſunt, vellem calculo poſito id ſupputari, ut vi-deatur an comparandi ſint cum turba poëta-rum vel oratorum Græcorum, quorum ſcripta extant, ne illi comprehendantur, qui extite-runt. Ea uſos eſſe ariolantur poſt Septuaginta

interpretes Aquilam, Theodotionem, Symmachum, item auctores apocryphos, omneſque adeo Judæos, qui Græco ſermone quid conſcribebant, excepto Philone, & Ioſepho. Quæ quam ridicula ſint & falſa, nos infra demonſtrabimus. Cæterùm poſito, quod illi omnes, quos volunt, Helleniſtica lingua imaginaria uſi ſint, non tamen ſequitur, omnes illos Iudęos, qui per totum orbem diſperſi Græcè loquebantur, ἔθνος ſeparatum, & propriis finibus circumſcriptum feciſſe, quę propria eſt ἔθνους ſignificatio, cui convenit dialecti vera definitio. Non enim ἐθνικὸς χαρακτὴρ tantum definitur, ſed etiam τοπικὸς, nempe λέξις ἴδιον τόπου χαρακτῆρα ἐμφαίνουσα. Oportet igitur certum eſſe locum vel regionem, quæ illo ſermone utatur, ut ille ſermo dialectus ſit. Hæc ratio fecit, ne, quæ κοινὴ appellatur, in numerum dialectorum relata ſit ab antiquioribus Grammaticis. Cum enim communis eſſet omnium Græcè loquentium, & mixta ex cæteris dialectis, ideo non viſa eſt nec habita dialectus. An pauciores dicent fuiſſe qui κοινῇ uſi ſint inter Græcos, quàm qui ἑλληνιστικῇ? Si ſani ſunt, hoc non ſunt dicturi. Si communis ſermo omnium Græcè loquentium non fuit dialectus, multò minus erit Iudæorum certo modo & ſibi proprio Græcum ſermonem uſurpantium. Nec ergo gens poëtarum, aut oratorum qui & ipſi privum & peculiare

loquendi

loquendi Græcè genus habuerunt, tam phraſi quam verbis ſingulis à communi Græciſmo diverſum, putandi ſunt, dialectum condidiſſe alterius nominis ac generis, non communis futuri cum dialecto, quâ ſuæ nationis homines vulgo uterentur. Gens ipſa artificum eadem ratione videri poſſet, & diſtinctam ab alio genere hominum dialectum habere. Nam in ſuo quæque genere opificum collegia & corpora infinitas habent voces τεχνικάς, quæ nec aliis artificibus in uſu ſint, nec aliis hominibus quamvis ejuſdem gentis ac loci. Ipſi bubſequæ & opiliones, cum ad paſtum pecora ducunt, certis vocibus ea compellant, quæ ſibi ſolis notæ ſunt. Etiam agricolæ inter arandum boves cum certis vocibus extimulant & ſonis, quibus pigritiam eorum caſtigant. Vnde poëta:

Illis conſuetas edidicique minas.

Item:

Verbaque aratoris Ruſtica diſcit amor.

Præterea cum ſola phraſi differre Helleniſticam ab Hellenica ſive Græca communi velint, ne omnia quidem quę ad phraſim Hebraicam referunt, ejus propria reperiuntur. Verba & voces, quas homines in eloquendo profundunt, naturales non ſunt, ſed διδακταί. Ideo tot gentes diſſonæ linguis inveniuntur. Vnaquæque ſuam habet, diverſis conſtantem vocabulis & ſonis. At phraſis quam διάνοια humana

mana concipit & quaſi conſuit ex verbis multis invicem conjunctis, ut quod vult eloqui exprimat, naturalis eſt. Hinc evenit, ut in multis toto genere differentibus dialectis, & voces in totum diſſonas proferentibus, ſæpè eædem phraſes & loquendi genera non diſſimilia exiſtant. Sic ex diverſis lignis apud omnes gentes eadem forma arculæ, naviculæ, & alia utenſilia lignea fiunt. Nec ergo mirum, ſi ex ſono & flexione differentibus vocabulis, quæ materiam eloquutioni ſuppeditant, apud diverſas & ἑτερογλώττους gentes, eædem concinnantur loquendi formulæ, & phraſes. In Gallica lingua, multos Græciſmos reperiri utriuſque ſermonis periti pridem adnotarunt. In Hebraica & Græca non paucas eaſdem phraſes deprehendi etiam à doctis obſervatum eſt. Participia pro verbalibus nominibus frequenter uſurpant Hebræi. Hoc etiam Græcis Latiniſque familiare eſſe docuimus: ut μεταβαλλόμενοι Xenophonti pro μεταβόλοις. Sic Latinis *negotiantes* pro negotiatoribus. στρατευόμενοι & militantes, pro στρατιώταις & militibus. Plura alibi notavimus. Tempus præſens, item præteritum pro futuro ponere, ſollenne eſt Hebræis. Exempla hujus ἐναλλαγῆς docti viri ex Græcorum antiquiorum ſcriptis multa produxerunt. Nomē quod collectivum vocant, ſingulare conſtruitur cum verbo plurali tam apud Hebræos quam Græcos & Latinos,

nos, ut *Turba ruunt*, & ſimilia. *Furere furorem*, μανίαν μαίνεσθαι, λῆρον ληρεῖν, non magis Græcorum, & quidem Atticorum, Latinorumq;, quam Hebræorum, Syrorumque communia. Non ergo Syriacum magis eſt quam Græcum quod dixit Matthęus ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην. Quid plura commemorem, quæ in Notis ad Novum Teſtamentum fuſius & exactius obſervabuntur? Non igitur Hebraicæ vel Syriacæ omnes phraſes ſunt, quæ videntur, ſed pleræque ex his etiam cum Græcis communes. Demus eſſe Hebraicas, vel Syriacas puras putas omnes, nullam Græcanicam. Quid tum? An conſequens erit, Helleniſticam eſſe quæ phraſes adhibet Syriacas, cum verbis Græcis, id eſt ἑλληνικοῖς? Quam ergo differentiam conſtituent, inter ἑλληνικὸν & ἑλληνιστικόν? An ἑλληνιστικὴ phraſis erit, quæ omnia verba habet ἑλληνικά? Cur igitur à verbis non potius ea dialectus ἑλληνικὴ nominabitur, quam à phraſibus ἑλληνιστική? Sed cur ἑλληνιστικὴ dicitur quæ phraſes habet Hebraicas, non ἑλληνικαί? Cur non potius ea vocabitur ἑβραϊστική? Poſſunt ne ſpecificam aliquam, ut ſic cum ſcholis loquar, afferre differentiam ἑλληνικῆς & ἑλληνιστικῆς dialecti? Si ulla eſt, erit pariter in religione, ut in lingua. Non ignorant ἕλληνας dici & ἑλληνιστὰς qui ἑλληνισμὸν profitentur, hoc eſt θρησκείαν ſive ſuperſtitionem Græcorum, qui idololatræ fuerũnt. Ea θρησκεία quam ex æquo

ἕλληνις

ἕλληνες & ἑλληνισταὶ dicti colunt, quo nomine cenſebitur? Si ab ἑλληνισταῖς deducetur, dicetur ἑλληνιστική. Si ab ἕλλησιν, ἑλληνική. Nihil ergo diſcriminis; quantum ad religionem attinet, inter ἑλληνικὴν & ἑλληνιστικὴν θρησκείαν. Quæ ratio poſtulat, ut cum de ſermone agitur, cum ἕλληνες & ἑλληνισταὶ ſint qui Græcè loquuntur, ut alia ſit ἑλληνικὴ quàm ἑλληνιστική? Si Hebraica vel Syriaca phraſis, reddita vocibus Græcis, linguam facit Helleniſticam, quid faciet Latina phraſis iiſdem vocibus Græcis contexta? Si Latina lingua differt ab Hebraica, non æquum videtur, ut idem nomen ſortiatur ea oratio, quæ verbis Græcis Latinas phraſes expediet, & quæ Hebraicas. Euangelii phraſis, ut multos Hebraiſmos habet, ita etiam non pauca loquēdi genera exhibet, merè Romana. Hoc ſaltem diſtabit Helleniſtica Novi Teſt. ab Helleniſtica veteris, quod hæc ſolas Hebraicas phraſes habeat, illa etiam Latinas. Hinc συμβούλιον λαβεῖν, *conſilium capere*, καλῶς ποιεῖν, & ἀγαθοποιεῖν, *bene facere*, & *bonum facere*: Unde *beneficus*. Ποτήριον ψυχροῦ, *poculum frigidæ*. ἱκανὸν ποιῆσαι, *ſatisfacere*, vel *ſatisdare*. ἐργασίαν δοῦναι, *operam dare*, ἐν τούτῳ κρέμαται, *In hoc*, vel, *ab hoc pendet*. ἰσχύοντες, id eſt, *valentes* pro ὑγιαίνοις. Nam Latinis *valere*, ſanum eſſe ſignificat, & viribus pollere. Hoc Græcis eſt ἰσχύειν, non illud. E contra & ὑγιεινοὺς quidam ἰδιωτικῶς uſurparunt, pro fortibus & ἰσχυροῖς. Hinc τῶν γιγάντων ὑγιεινό-

τατοι

Digitized by Google

ςατοι apud Stephanum, *Gigantum validiſſimi, & robuſtiſſimi.* Ἀπέχει, quod nemo adhuc notavit, purus putus eſt Latiniſmus, eo ſenſu quo Latini optimi auctores *Habet* abſolutè poſuerunt. Nam ἀπέχειν eſt *habere. Habet, peractum eſt.* Quod apud Iohannem dicitur, τετέλεσαι. Sic apud Marcum interpretandum eſt quod cap. XIV. legitur, ἀπέχει, ὥρα ἦλθε. Alii paſſim Latiniſmi occurrunt in libris Novi fœderis, ut ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν, *habeo neceſſitatem exeundi.* Item, ἔχε με παρῃτημένον, *Habe me excuſatum.* Ἐν τούτῳ κρέμανται νόμοι καὶ προφῆται, *In hoc*, vel *ab hoc pendent leges ac propheta.* Φωνῆσαι τὸν ἄνδρα, *clamare virum*: ut apud Martialem: *Et venit ablatis clamatus verna lacernis.* ὕδωρ ἁλλόμενον, *aqua ſaliens*, apud Iohannem, πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον, *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Plura ſunt ejuſmodi, de quibus monebimus alio loco, ſi Deus vitam. Si appellationem porro Græci ſermonis immutarunt phraſes Hebraicæ aut Latinæ Græcis verbis conceptæ, quod nomen dabitur ei loquendi generi Latino, in quo phraſes Græcanicæ reperientur? In Græco Hebraicæ ac Latinæ Helleniſticam pepererunt, in Latino Græcæ quam dialectum dabunt? Sanè quærendum. Et miror de eo nihil dum providiſſe ſummos viros Helleniſticarios. Nam hîc, ſcio, hærebunt. An *Latiniſticam* fabricabunt? Ex analogia debent. Si Græca oratio cum Latinis phraſibus eſt Helleniſtica,

leniſtica, Latina cum Græcis, debebit eſſe Latiniſtica. Ergo Latiniſticus poëta fuerit Propertius, qui totus ſcatet Helleniſmis. Præter infinita dicendi genera ex Græco expreſſa, non dubitavit dicere *Dryaſin* pro Dryadibus. *Thyniaſin* pro Thyniacis. *Hamadryaſin* pro Hamadryadibus. Δρυάσιν, Θυιάσιν, Ἁμαδρυάσιν. Nec Ovidius timuit *Troaſin* dicere pro Troadibus, in Epiſtola quadam. *Troaſin invideo*. Sic enim ex libris ibi legendum docuimus, non ut vulgo eſt *Troadas invideo*. Quod Latinum non eſt. Innumeros Græciſmos paſſim in ſcriptis poëtarum etiam eximiorum Grammatici veteres notarunt. Vt *Nuda genu*, *Cætera Grajus*. *Vrbem quam ſtatui veſtra eſt*. *Exigor portorium*. Mitto Lucillium, quia de eo jam dictum eſt. In Digeſtis ipſis multa loquendi genera Græca reperiri obſervarunt Antonius, Auguſtinus, & Briſſonius. Quorum ſcrinia non compilo. Plura adhuc reperiuntur in Iuliano Anteceſſore, qui Novellas Iuſtiniani de Græco tranſtulit. Et hic omnium mos eſt interpretum qui de alia lingua in aliam opera vertunt, ut ſi preſſius adhæreſcant ei linguæ quam interpretari volunt, phraſes ejus alieno ſermone imitentur ac reddant. Ideo in Matthæi Euangelio, quod ex Hebræo Græcè verſum conſtat, plures Syriaſmos deprehendere eſt, quam in illis auctoribus qui Græcè primitus ſcripſerunt. Inde eſt quod in XV. Matthæi Χανα-

Digitized by Google

ναία vocatur quæ apud Marcum Σύρα Φοίνισσα dicitur, vel uno verbo Συροφοίνισσα. Hoc omnino Græcum eſt. Illud ex Hebræo expreſſum ad verbum, in quo fuiſſe videtur, כנענית. quod eſt Χαναναία. Hebræi Cananæos in genere vocant, qui Græcis Φοίνικες, vel Συροφοίνικες, qui nempe ex Syria Phœnice ſunt. Nam qui putant Συροφοίνικας à Græcis dictos ut diſtinguerentur ἀπὸ τῶν Λιβυφοινίκων, toto cœlo errant, ut alibi oſtendimus. Sexcentis aliis exemplis ſuo loco & tempore probabimus, manifeſtum eſſe ex frequentibus Hebraiſmis, Matthæi Euangelium Hebraicè fuiſſe ſcriptum, Græcè verſum. Et ſanè latiſſimus differentiæ limes intercedit inter libros ex Hebræo à Iudæis in Græcum ſermonem converſos, & eos qui ab iiſdem Græcè ſcripti ſunt. Stilus ipſe differentiam oſtendit, in Græcè ſcriptis purior Græcus, in tranſlatis ubique τῇ ἑρμηνείᾳ ἑβραΐζων. Quod & in omni genere tranſlationum conſpicuum eſt. De Hebraicis hoc aliquot locis animadvertit Hieronymus. Primum Macchabæorum apud Hebræos reperiri ſcribit. Verſio igitur eſt ex Hebræo Græca, quæ propterea plures habet Hebraiſmos. *Maccabæorum*, inquit, *primum librum Hebraicum reperi. Secundus Græcus eſt, quod ipſa quoque phraſi probari poteſt.* Hæc ejus verba ſunt ex præfatione ad libros Regum. Idem ſtili ac phraſeos diſcrimen inter librum Syracidæ qui Panæretos

inſcri-

Digitized by Google

inſcribebatur, & eum qui Salomonis Sapientiæ titulo prænotabatur. Priorem ſe apud Hebræos reperiſſe teſtatur idem Hieronymus, & conſtat ex Hebræo in Græcum tranſlatum. Hæc itaque verſio tota paſſim ἑβραΐζει, βαρβαρίζει, σολοικίζει. Quod habent ferè omnes ex Hebraico factæ Græcæ tranſlationes, aliæ tamen magis, aliæ minus, prout ſunt peritiores utriuſque linguæ ex qua vertitur, & in quam, aut imperitiores earum interpretes. De eo libro Salomonis qui Sapientia inſcribitur, *apud Hebræos nuſquam eſſe, & ipſum ſtilum Græcam eloquentiam redolere, & nonnullos veterum hunc eſſe Iudæi Philonis affirmare.* Hæc vult nimirum, ex ſtilo clare liquere non eſſe ex Hebraico verſum. Magna etiam differentia eſt inter ea Iudæorum Græca opera quæ ab imperitis linguę Græcæ conſcripta ſunt, & quæ à Græcè doctis Iudæis prodierunt. Rudes & impoliti præ inſcitia linguæ Græcæ, dum quid eo ſermone concipere volunt, inopia verborum laborantes in ea lingua quam minus norunt, animi ſui ſenſa exprimunt eo eloquio quod à pueris didicerunt, eoque melius ſciunt. Quæ ſcripta ſunt à Philone & Ioſepho ut peritiam Græci ſermonis ſummam fatentur, qua major nec in Græcis ipſis Atticiſve eluceſcat, ita maximam ejuſdem linguæ paupertatem oſtendunt, quæ ab Apoſtolis ſunt edita. Dum pauca iis ad manum ſelecta occurrunt Græca verba, plura

idiotica

Digitized by Google

idiotica & de trivio prȩſtò ſunt, & dum in mente præconceptæ phraſes ex vernacula penitius propter aſſuetudinem ejus loquelæ inhærent, ſic Græcis vulgaribus & è medio petitis vocibus induunt Syriacas ſententias. Nec quærenda alia origo aut cauſa linguæ, cui tam inepté nomen *Helleniſtica* dederunt, quam ipſi ejus dialecti quam commenti ſunt, imperitos ſe eſſe teſtantur. Quamvis autem ex iis, quæ docuimus, ſatis conſtet, non phraſin, ſed verba ſingula, ac voces ſolitarias, diſcrimen facere inter dialectos, nihilominus certum eſt, quaſdam συντάξεις & συνθήκας λόγου magis peculiares uni alicui dialecto fuiſſe quam alteri. Immò unamquamque dialectum non ſolum ex γλωσσικῆς, ſed etiam ex τοπικῆς habuiſſe propria aliquot loquendi genera, quæ alia dialectus non haberet. Quod in pauciſſimis tamen contigit, nec adeo dignis quæ differentiam inducerent dialecti ab ea quæ talem Syntaxin non haberet familiarem. Nam & auctores ipſi extra dialectum, quæ ipſis erat vernacula, ſæpè multos affectarunt eloquendi modos & Syntaxes ſolis ſibi proprias, non aliis etiam qui eâdem dialecto uterentur. Eas diverſas συντάξεις & peculiares ſingulis dialectis Rhetores appellarunt σχημάτα λόγου, & unam tantum aut alteram in unaquaque dialecto obſervant. Et σχῆμα λόγου ita definiunt, πλοκὴν τῶν τοῦ λόγου μερῶν κατά τινα διάλεκτον, *complexum orationis*

 partium

Digitized by Google

partium ſecundum aliquam dialectum. Hæc eſt quam σύνταξιν vocant Grammatici. Exempli gratia, Εὐβοϊκὸν appellant, quod Euboiæ inſulæ incolis fuit familiare, qui ſubſtantivum neutrius generis cum adjectivo maſculo jungebant, hoc modo: ἡδὺς παιδῶν βαδίζων. Nam ut docet Leſbonax, οὐδετέροις ὀνόμασι συντάσσουσιν ἀρρενικὸν καὶ θηλυκὸν ἐπίθετον καὶ μετοχάς. Nec Euboenſes ſoli hoc genere Syntaxeos uſi ſunt, ſed etiam nobiliſſimi quique & Attici ſcriptores poëtæ & πεζογράφοι. Nam & Homerus ita loquutus eſt, δῶρον τοι ἐγὼ, τέκνον φίλε, τοῦτο δίδωμι. Ab auctoribus, ut dixi, etiam petunt exempla hujuſmodi σχημάτων λόγου. Nam Ἰβύκιον idem Leſbonax notavit, qua ille poëta ſubjunctivo uſus eſt pro ὁριστικῷ, ut λύχνος φαίνησι, pro λύχνος φαίνει, λαμπρὸν παμφαίνησι, pro παμφαίνει. Sed à dialecto ſua hoc hauſerit σχῆμα Ibycus, ut & Pindaricum dicitur, quod etiam Thebaicum vocabatur, quia Thebani, unde erat Pindarus, eo utebantur. Hoc ita ſe habet, ut eſt, Λακεδαιμόνιοι πολεμεῖ Ἀθηναίοις, pro Λακεδαιμόνιοι πολεμοῦσι. Et διήγεται αἱ σάρκες, pro διήγονται. Eo uſum & Homerum volunt, cum dixit, δοῦρα σέσηπε νεῶν, pro σεσήπασι. Θηβαϊκὸν, inquit Leſbonax, ἐστὶ καὶ ἄλλο σχῆμα ἀπὸ Βοιωτίας, ὃ δὴ καὶ Πινδαρικὸν λέγεται, ὅτι πολλάκις αὐτῷ κέχρηται. Conſtruebant, ut vidimus, nomen plurale cum verbo ſingulari. Sicuti dicebant τῇ ἱερείᾳ, pro

παρὰ τῆς ἱερείας. Quaſi ſi quis Latinè diceret, *Accepi ſacerdote*, pro *accepi à ſacerdote*. Et hoc Σικελικὸν σχῆμα reperiri apud Homerum teſtâtur hoc verſu, Θέτιδι καλλιπαρήῳ Δῶκε δέπας, pro παρὰ Θέτιδος καλλιπαρήου. Clazomenium ſchema erat quo σὺν præpoſitio pro εἰς uſurpabant Iones urbis Clazomeniarum cives. Sic enim dicebant, πορεύομαι σὺν ἀγῶνι, *eo cum certamine*, pro εἰς ἀγῶνα, *ad certamen*: cujus exemplum loquutionis adfert ex Antiphonte idem Leſbonax, σὺν πατρίδι ἔβη, pro εἰς πατρίδα. Chalcidiacum fuit, quod nunc in idiomate noſtro plurimi eſt uſus, & apud infimam Latinitatem percrebuit, quo vèrba indicativi modi, temporis præſentis reſolvuntur in participia, cum verbo ſubſtantivo *Sum*. Vt Σωκράτης ἀπολογούμενος ἐστὶν, pro Σωκράτης ἀπολογεῖται. Eo etiam utitur Homerus, ut in hoc verſu:

Αἰεὶ γὰρ ῥίγιστα θεοὶ τετληότες εἰμέν.

Colophonii dativum caſum pro genitivo ſumebant, dicentes, χάλινον τῷ ἵππῳ, ἀντὶ τοῦ ἵππου, ἡ κεφαλὴ τῷ ἀνθρώπῳ. *caput homini*, pro *caput hominis*, κεφαλὴ τοῦ ἀνθρώπου. Homerus etiam uſurpavit iſtud σχῆμα vel hanc σύνταξιν, hoc verſu, νηὶ παρὰ πρυμνῇ, pro παρὰ νηὸς πρυμνῇ. Familiare & nobis hoc Colophonium ſchema cum dicimus, *la Vigne à Monſieur*, pro *la Vigne de Monſieur*. Ionicum σχῆμα vocat idem Leſbonax, quo dicebatur, ὁ Ἀλέξανδρος ἵππος, *Alexander equus*, pro τοῦ Ἀλεξάνδρου ἵππος,

Digitized by Google

Alexandri equus, cujus exemplum refert ex auctore antiquo, *συνέβη τεθνηκέναι τὸν Ἀλέξανδρον ἵππον.* Cui paria eſſe vult apud alios auctores, *γυναῖκα μαζὸν*, pro *γυναικός*. Ἕλληνα ςραῖὸν, pro ἑλληνικόν. Talia *σχήματα* duo & viginti enumerat, quorum & exempla adducit, ſed omnia hîc referre piget. Tractatum ipſum Leſbonactis aliquando fortaſſe in lucem edet Eruditiſſimus & præſtantiſſimus Iſaacius Voſſius, ſummo viro parente digniſſimus filius, qui ex Florentina Bibliotheca deſcriptum nuper ad me eum ſubmiſit. Hæc ſunt porro *σχήματα* à Leſbonacte recenſita, Εὐβοϊκὸν, Κορίνθιον, Ἰβύκιον, Χαλκιδικὸν, Ἀλκμανικὸν, Κλαζομένιον, Κολοφώνιον, Σικελικὸν, Νησιωτικὸν· Τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ἑλλήνων, Ἰωνικὸν, Ἀττικὸν, Θηβαϊκὸν, Ἰωνικὸν καὶ Δώριον, Δώριον τῶν ἐν Πελοποννήσῳ Δωριέων, Ἀττικὸν, ἄλλο Ἀττικὸν, περιηγηματικόν. Ἄλλο Ἀττικόν. Ἄλλο πολλοῖς εἰρημένον. Ῥοδιακὸν καὶ Ἀσιανόν. Mirum cur Ἑλληνιςικοῦ non meminerit. An nondum tunc erant nati Helleniſtæ? Ita ſanè eſt. Hodie tantum atque heri videntur in lucem prodiiſſe. Sed nec ſi Ἑλληνιςικὸν aliquod σχῆμα commemoraſſet, ex eo ſequeretur Ἑλληνιςικὴν linguam unam fuiſſe ex κοινῆς Græciæ dialectis. Licet enim peculiarem in aliquot loquendi formulis ſyntaxin habuerint dialecti à Leſbonacte recenſitæ, non tamen hoc tantulum diſcrimen, ut differrent inter ſe hæ dialecti, effecit. Sciunt omnes,

Digitized by Google

omnes, quantopere differat Wallonica hodie lingua à pura Gallica ſive Francica, & quid ſit quod differentiam inter utramque conſtituat. Cum Wallo rogat an ſit quid facturus, ita loqui ſolet, *Volone hoc facere?* pro *An vis hoc faciam?* Quæ ridicula eſt loquutio. Rogat an velit, qui melius ſcit quid ſuæ ſit voluntatis, quam ille qui rogatur. Sed & plerumque qui ſic interrogat, non habet in ſua poteſtate, utrum velit an non id facere, quod petit an velit. Hoc Wallonicum planè σχῆμα eſt, quod & Burgundi mei frequentant, immò & univerſi Belgæ. Non tamen in hoc conſiſtit differentia, quæ inter linguam Gallicam & Belgicam ſive Wallonicam intercedit, quam non phraſis conſtituit, ſed ſola verba ſingula, vel eorum pronuntiatio. Tot rationibus & argumentis convicti, quibus demonſtravimus nullam fuiſſe Helleniſticam dialectum, fortaſſean opponent ejus aſſertores auctoritatem veterum, qui aliquam fuiſſe teſtati ſunt. Hoc igitur ſequenti capite quærendum erit.

Digitized by Google

AD II. QVÆSTIONEM, an plures quam quinque dialectos Græci noverint, & an Helleniſticæ inter dialectos meminerint.

SVMMARIVM.

Nullus auctor meminit plurium dialectorum quam quatuor. Strabonis teſtimonium. Mixta accipiebant nomen ab ea cujus plurimum habebant. Iſidori teſtimonium. Fuit & olim ἑλληνικὴ *in numero dialectorum: ſed poſtea nomine dialecti excidit. Plutarchus, Apollonius Diſcolus, tantum quatuor: Philoponus & Corinthus quinque dialectos agnoverunt, Clemens non plures numerat quam quinque. Præter eas fuerunt* ἰδιώτικαὶ *&* τοπικαί. *quæ* τοπικαὶ *ſint. Nomen Helleniſtica apud nullum auctorem reperiri.*

HOc nunc igitur hic quærendum, an plures quam quinq; dialectos Græcis tribuerint veteres auctores. Inde enim promendum eſt telum, quo quidquid diximus evertendæ, & ad nihilum redigendæ ejus linguæ ὑπάρξιν, ſubpernari poſſit. Victi ſumus, ſi ullus auctor datur qui plurium quam quinque dialectorum meminerit. Plerique meliorum & vetuſtiorum auctorum quattuor tantum numerant, expuncta ex hoc manipulo ea ipſa quæ Κοινὴ vocatur, propter eas quas ipſi afferunt, & quas ſupra retulimus cauſas. Strabo lib. VIII. quattuor

tuor per omnem Græciam dialectos viguiſſe, nec plures tunc notas fuiſſe aut ab antiquis traditas ſcribit. Plures ibidem in Græcia non fuiſſe nationes tradit, ſed antiquitus totidem tantum, quot eo tempore cognitæ eſſent dialecti, nempe quattuor. Verba ejus hæc ſunt; *Ἐπὶ τούτοις μὲν οὖν πολλὰ ἔθνη γεγένηται. τὰς δ᾽ ἀνωτάτω τοσαύτας, ὅσας καὶ διαλέκτους παρειλήφαμεν. Τούτων δὲ αὐτῶν τεσσαρῶν οὐσῶν καὶ τὴν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμέν.* Olim quattuor tantum gentes quæ Græciam incolerent extitere, Æoles, Dores, Attici & Iones. Totidem ab his dialecti proditæ. Poſtea plures gentes in Græciam ſe effuderunt, non plures tamen dialecti factæ. Sed ex earum mixtura temperatæ aliquot, perinde ut magis aut minus ad aliquam earum primogeniarum quattuor accederent, ita nomen ejus ex qua plus acceperant, mutuabantur. Mixta ex Æolide & Doride, ſi plus Æolidis haberet, cenſebatur Æolis. Quæ amplius ex Doride traxerat, Doris vocabatur. Ita de cæteris. Hoc eſt quod Iſidorus ex meliore quam ipſe eſt auctore ſumptum ſcribit lib. IX. Originum cap. I. *Initio,* inquit, *quot gentes, tot linguæ fuerunt. Deinde plures gentes quam linguæ, quia ex una lingua multæ gentes ſunt exortæ.* Idem fuit in Græcia. Ab initio tot gentes in ea fuere, quot linguæ. Deinde plures gentes quam linguæ, quia ex una lingua multæ gentes emerſerunt. Nam, exempli gra-

tia, cum quattuor per Græciam eſſent gentes, quot nimirum erant & dialecti, poſtea plures gentes extiterunt, quæ una dialecto uterentur. Plures quippe populi Doride, plures Æolide, item Attica & Ionica plures uſi ſunt, qui Iones & Attici non eſſent, nec Dores, nec Æoles à prima origine. Fuit & olim Ἑλληνικὴ in numero ac cenſu Dialectorum Græcarum, τῶν Ἑλλήνων propria, quamdiu Ἕλληνες dicebantur propriè qui Theſſaliam & Macedoniam tenebant. Vbi communicari hoc nomen cœpit omnibus Græciæ populis, & per Macedones diſſeminata & propagata eſt in univerſa Græcia lingua Ἑλληνικὴ, tum perdidit id quod erat ac definitione dialecti excidit, communis facta omnium, non jam, ut ante, unius gentis peculiaris. Tum maximè demum τῆς Κοινῆς appellationem accepit, ubi cæteræ dialecti abolitæ ſunt. Qua re moti illius temporis Grammatici, qui quattuor dialectos ab antiquis traditas ſcirent, viderentque vigere ubique locorum in Græcia linguam illam quæ Κοινὴ vocabatur, hanc quintam addidere quattuor antiquis dialectis, quæ propriè non eſt dialectus. Dicit Strabo, ἃς παρειλήφαμεν, *quas accepimus*; & quattuor tantum eſſe vult. Plutarchus in Tractatu de dialectis Homeri non plures recenſet, Apollonius Diſcolus, qui ſub Marco Antonino vixit, quattuor tantum commemorat, qui librum de his compoſuerat, te-

ſte

Digitized by Google

ſte Suida. Is tamen etiam Κοινῆς meminit, non tanquam Dialecti, ſed ut linguæ quæ apud omnes promiſcuè, & præcipuè apud eos, qui ſcribebant, in uſu erat. Sic enim in Libro de pronomine ſcribit, ἡ τεὸς Δωρικὴ τῇ σὸς ὁμω-νυμεῖ, καὶ κοινῶς μὲν τευ φησὶν ὁ ποιητὴς, σὸς δέ τευ ἔκφυγε κῆρας ἀδελφεὸς, Δωρικῶς δὲ τὸ, πατρὸς τεός. Sic Plutarchus, cum quattuor dialectos nominatim commemoraſſet quarum voces in ſua poëſi Homerus inſeruiſſet, addit etiam ἀρ-χαίαις, item κοιναῖς καὶ συνήθεσι φωναῖς uſum eſſe frequenter. Philoponus ex recentioribus, & Corinthus adhuc recentior non plures quam quinque dialectos Græciæ agnoverunt, ſi quis τὴν κοινὴν in hunc numerum adgreget. Si aliqua alia fuit, cur iſtis nota non erat? Cur ſextam non fecere cum communi, aut quintam ſine illa? Sed fuerit fortaſſean notior auctoribus Chriſtianis. Atqui Clemens Alexandrinus, verè pro Varrone habendus inter Græcos ſui ſæculi, non plures nominat, nec illam Helleniſticam magis novit quam quod nuſquam eſt, nuſquam fuit. Ita enim ſcribit, lib. 1. Stromateon, Φασὶ δὲ οἱ Ἕλληνες διαλέκτους εἶναι τὰς παρὰ σφίσι πέντε, Ἀτθίδα, Ἰάδα, Δωρίδα, Αἰο-λίδα καὶ πέμπτην κοινήν. Vbi ſexta Ἑλληνιστική? Cur nec omniſcius Origines eam in mundo eſſe ſcivit? Potuitne latere aut fugere adeo omnium linguarum prudentem virum, lingua tam celebris, & per totum Orientem atque

univerſam Græciam diffuſa, utpote quæ Iudæis omnibus exulibus, & Græcè ſcientibus eſſet familiaris? Talis lingua æque bono jure adjungi meruit numero dialectorum ac κοινὴ, qua vulgo omnes utebantur Græci. Spectata Iudæorum multitudine qui Aſiam Europamque incoluerunt, quique in Oriente pæne dominabantur, quos *Helleniſtas* omnes fuiſſe & *Helleniſtica* communiter uſos eſſe volunt, nulla dialectus æquè ἐθνικὴ extitit. Eas ἐθνικὰς διαλέκτους ſeptuaginta duas in totum fuiſſe ſcribit ibidem Clemens. Ergo unam ex illis ſeptuaginta duabus ἐθνικαῖς hanc ἐθνικωτάτην fuiſſe oportet. Atqui totidem gentibus dialectos illas tribuunt auctores, quas & nominatim recenſent. Nulla autem inter illas gentes memoratur Ἑλληνιστική. Ἕλληνες certè in eo catalogo nominantur, quorum omnium unica ponitur ἐθνικὴ διάλεκτος, in quinque ἰδικὰς diviſa, quas ſupra memoravimus. Quid igitur? Aut ἐθνικὴ fuit Helleniſtica dialectus, & ſic locum habere debuit inter illas ſeptuaginta duas ἐθνικὰς, aut ἰδικὴ, quo nomine accenſenda fuit quinque Græciæ dialectis. Atqui nec his nec illis eam antiqui auctores adnumerarunt? Vbi ergo conſiſtet? An inter barbaras linguas, quas numero comprehendi non poſſe idem Clemens cum aliis tradit, quas nec διαλέκτους eſſe dicendas, ſed γλώσσας aſſeverat? Vix tamen inter Barbaras reponenda

da videtur quæ tota verbis Græcis conſtat, & quam ſcriptores omnes ἑλληνίδος & ἑλλάδος γλώττης appellatione dignantur. Quis enim veterum non dixit, Græcorum Latinorumque Biblia converſa fuiſſe à Septuaginta interpretibus in Græcum ſermonem, εἰς ἑλληνίδα διάλεκτον? Si tranſlatio illa Helleniſtica dialecto conſcripta eſt, quam auctores conſentiunt Græcè & ἑλληνικῶς eſſe ſcriptam, ſanè inter ἑλληνικὰς dialectos referri debet Helleniſtica. Sexta igitur debuit aliarum quinque numero adjici. Cur hoc non factum eſt? An omiſerunt auctores? An obliti ſunt? An neſciverunt? Hoc potius. Ideo autem neſciverunt, quia ſcire id quod nuſquam erat, non potuerunt. Præter illas quinque dialectos Græciæ, fuere & aliæ ἰδιωτικαὶ, & τοπικαὶ, ſingularum nempe civitatum, populorum, & inſularum. Vt Cretenſium, Siculorum, Tarentinorum, Theſſalorum, Cypriorum, Pamphyliorum, Cilicum, Carum, Pergæorum, & aliorum quorum Gloſſas citat & explicat Heſychius. Τοπικὰς vocant, quia certis locorum finibus incluſæ ultra illius regionis vel territorii limites notæ non eſſent. An poteſt una harum videri Helleniſtica? Non poteſt. Nec enim τοπικὴ vel certo loco ac regione concluſa fuit, ſed per Iudæos omnes diffuſa, toto orbe diſperſos. Præterea nulla earum localium dialectorum non ab aliquo loco vel gente fuit nuncupata.

Quod

Digitized by Google

Quod etiam in generalibus obtinuit, quæ omnes ab aliqua gente nomen habuerunt. Et Clemens in ſeptuaginta quinque illis dialectis memorandis, quas ex Ephori auctoritate refert, ἔθνη ἢ γλώσσας nominat, quia cujuſque ἔθνους ſua γλῶσσα propria. Sic neque in generalibus neque in ſpecialibus locum habuit Helleniſtica, nec dialectus ulla fuit Græciæ præter illas quas antiqui Scriptores recenſuerunt. Sed fortaſſe quamvis res ipſa non fuerit, nec ulla dialectus nota in Græcia præter quinque prædictas, nomen tamen ipſum ἑλληνιστικῆς, licet ſine re, veteribus cognitum fuit. Hoc igitur etiam quærendum. Nihil enim obſtat quin ἑλληνιστικῆς meminerint Græci auctores, ut memorarunt, Proteas, Empuſas, Hippocentauros, Chimæras, Pegaſos, Tritonas, Faunos, Oreadas, Sphingas, Gryphes, & alia quæ in rerum natura nunquam fuerunt. Fieri ergo potuit ut etiam Ἑλληνιστικὴν aliquam nomine tenus confinxerint, quæ nunquam tamen extiterit. Hoc ſi eſt, ſi ulla mentio Helleniſticæ apud ullum auctorem Latii vel Græciæ uſpiam extat, etiam de re confitebor cum nomine ſimul extitiſſe. Helleniſtica, inquiunt, dictio eſt Septuaginta ſacræ Scripturæ interpretum. Cur igitur, cum ex ea tranſlatione verba aliqua adferunt & exponunt antiqui Gloſſographi, non etiam addunt ea eſſe ex Helleniſtarum dialecto? Heſychius pluri-

plurimas voces ex ea interpretatione τῶν LXX explicavit. Apud Suidam quoque non paucæ inde explicatæ reperiuntur. Vidi integrum lexicon ſatis craſſum Anonymi manuſcriptum, quo Veteris & Novi Teſtamenti voces exponuntur, quod & totum percurri, nec ullam ἑλληνιστικῆς nec Helleniſtarum in eo mentionem inveni. Thomas magiſter etiam aliquot locis dictiones ac phraſes ex eadem verſione Septuaginta allatas interpretatur, qui Helleniſticam eam tranſlationem nuſquam nominavit, nec *Helleniſtas* ejus auctores. Quæri etiam dignum cur ſcriptores Græci, qui verſorum Bibliorum meminere, nunquam aliter verſa dixere quam *εἰς ἑλλάδα γλῶτταν*, aut *εἰς ἑλλάδα*. Ibi locus erat Helleniſticæ nominandæ, ſi in Helleniſticum tranſlata fuit ſacra Scriptura, ut iſti pertendunt. Non aliter tamen, ut alibi oſtendimus, quam ἑλληνικὴν illam verſionem vocant. Quid ſi ex affinitate ſoni latuit ſub Hellenica, vel Hellenide, Helleniſtica? An ergo obtendent? Tam ſtultos eſſe non puto. Verum eſto, aliquid objiciant, quid Latinis auctoribus reſpondebunt, qui Græcè vel in Græcum verſa dixerunt? An Græca lingua eadem cum Helleniſtica? Ita oportet, ſiquidem Helleniſtica dictio eſt Biblicæ tranſlationis, quam Græcam eſſe inter omnes priſcos auctores convenit. Iſidorus lib. VI. Originum de Ptolemæo Philadelpho: *Hic*

etiam

etiam & ab Eleazaro Pontifice, ſcripturas petens Veteris Teſtamenti, in Græcam vocem ex Hebraica lingua per Septuaginta Interpretes transferre curavit. Et paulo poſt: *Fuerunt & alii interpretes, qui ex Hebraica lingua in Græcam ſacra eloquia tranſtulerunt.* Si quis magis idoneum requirit auctorem, en tibi Hieronymum in præfatione ad librum Paralipomenon: *Si Septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt Editio permaneret, ſuperflue, mi Chromati, Epiſcoporum ſanctiſſime & doctiſſime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino ſermone transferrem.* Idem ibidem: *Cæterum memini Editionem ſeptuaginta interpretum olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtris.* Ergo Editio Septuaginta interpretum Græca, non Helleniſtica. Et alio loco: *Vtraque autem Editio, & Septuaginta juxta Græcos, & mea juxta Hebræos in Latinum meo labore tranſlata eſt.* Alibi paſſim Græca volumina, Græcos Codices, Græca exemplaria, vocat libros tranſlationum tam Septuaginta interpretum quam aliorum. Nec aliter Auguſtinus, nec omnino alii Latinorum patres verſiones illas vocant quam Græcas. An tanti viri neſcierunt quid eſſet diſcriminis inter Græcam linguam & Helleniſticam? An quod Helleniſtico ſermone conditum eſſet, præ imperitia, errore craſſiſſimo, Græcè conſcriptum eſſe putarunt? Credibile vero eſt Origenem, cum Hexapla ſua contexeret ex ſex Editionibus Græcis, ignoraſſe non

eſſe

eſſe Græcas illas tranſlationes, ſed Helleniſticas? Id etiam ignotum fuerit Hieronymo, qui *Græcorum Hexapla* vocavit, quæ debuit appellare *Helleniſtarum*? Non enim Septuaginta tantum interpretationem Helleniſticam eſſe contendunt Helleniſticarii, ſed etiam Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & quintam præterea cum ſexta, eodem ſermone Helleniſtico exaratas fuiſſe volunt. Ineptè igitur Epiphanius & inſcitè τετραπλᾶ, quæ contexta erant ex quattuor editionibus Helleniſticis, ἑλληνικὰ appellavit in libro de Ponderibus & Menſuris. Τετραπλᾶ γὰρ, inquit, εἰσὶ τὰ ἑλληνικὰ, ὅταν καὶ τοῦ Ἀκύλα, καὶ τοῦ Συμμάχου, καὶ τῶν ἑβδομήκοντα δύο καὶ Θεοδοτίωνος ἑρμηνεῖαι συντεταγμέναι ὦσιν. Hieronymus quoque Originem exemplaria compoſuiſſe quattuor prædictarum Editionum dicit, *è regione ſingula verba deſcribentem, ut unus diſſentiens ſtatim à ceteris inter ſe diſſentientibus arguatur*. Hæc igitur τετραπλᾶ ἑλληνικὰ, non Helleniſtica, ex quattuor Græcis Editionibus compoſita, quibus additæ binæ paginæ Hebraici textus Grçcis litteris, & Hebraicis, Hexapla reddebant. Alio loco Epiphanius in Hæreſi nempe Origenianorum, Hexapla ex Editionibus contexta fuiſſe ab Origine ſcribit, quibus additi duo textus Hebraici, τὰ ὀκταπλᾶ efficiebant. Sed nuſquam Hieronymus quintæ & ſextę Editionis meminit, & cum Hexapla vocitat, intelligit Tetra-

pla

pla Græcanica, cum Diplis Hebraïcis quæ Hexapla faciebant. Verum de his alibi. Illa Hexapla ex ſex tranſlationibus concinnata, ὥστε εἶναι μὲν ταῦτα καὶ καλεῖσθαι ἑξαπλᾶ ἐπὶ τὰς ἑλληνικὰς ἑρμηνείας, δύο ὁμοῦ προσθέσεις τῆς ἑβραϊκῆς φύσει δι' ἑβραϊκῶν καὶ ἑλληνικῶν γραμμάτων. Miſere erravit auctor ille vetus qui ἑλληνικὰς ἑρμηνείας vocaverit, quas appellare debuit ἑλληνιστικὰς, Hieronymus in his Hexaplis, quæ & Græcorum appellat, ſolas quattuor editiones ſuperius memoratas comprehendit, in præfatione ad Iobum: *Et non imitantur Græcorum ſtudium qui poſt Septuaginta interpretum tranſlationes, jam Chriſti Euangelio coruſcante, Iudæos & Ebionitas legis interpretes, Aquilam videlicet & Symmachum, & Theodotionem, curioſè legunt, & per Origenis laborem in Hexaplis Eccleſiis dedicarunt*. Præfatione in Ioſue: *Vt pro Græcorum Hexaplis, quæ & ſumptu & labore indigent, editionem meam habeant.* Apparet ex his Origenem quattuor tantum editiones inter ſe comparaſſe, & compoſuiſſe in Tetraplis, quæ cum duobus Hebraicis textibus Hexapla illa Eccleſiis dedicata contexebant. *Quaſi non*, inquit in Præfatione Ioſuæ, *apud Græcos Aquila, Symmachus & Theodotio, vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex utroque commixtum, & media temperatum genus tranſlationis expreſſerint*. Sed & veteres patres ex quibus compoſitę catenæ, ut vocant, in diverſos veteris Teſtamenti libros legun-

Digitized by Google

leguntur, nunquam citant varietates tranſlationum è quinta & ſexta Editione, ſed ex quattuor illis tantum quas invicem compoſuerat Origines, ex quibus τετραπλᾶ fecerat, & cum gemino Hebraico, Ἑξαπλᾶ. Eas verſiones cum nemo veterum patrum Ἑλληνιστικὰς vocare ſoleat, ſed ab omnibus vocentur ἑλληνικαὶ, in incibilis argumenti hoc inſtar eſt, nullam illis Ἑλληνιστικὴν fuiſſe cognitam. Sed quid opus conquirere plures ad hoc probandum copias, cum habeamus confitentes reos? Vltro ipſi agnoſcunt confictum hoc à ſe nomen eſſe, omni antiquitati inauditum & indictum, ex re tamen factum defendunt. Ergo rem ſubeſſe oportet, cui nomen adeo congruum & conveniens impoſitum ſit. Quænam res illa? Verſio verbis Græcis, phraſi Hebraica. Cur non viderunt tot illi ſacri & docti ſcriptores hujuſmodi verſionem hoc nomine vocitari debere? Tamne improvidi fuerunt, ut rei nomen non habenti tunc temporis, competentem appellationem non inveſtigarint? Tam infelices, ut reperire non potuerint? Tam ignavi denique, ut in medio poſitam non arripuerint, nec ſaltem agnoverint?

AD III. QVÆSTIONEM, an Helleniſticæ nomen ei phraſi conveniat, quæ verbis Græcis Hebræos concipit intellectus, & à quibus Helleniſtis denominata ſit.

SVMMARIVM.

Nomen Helleniſticæ rei non benè quadrare. Non poteſt ita vocari propter verba. Nec propter phraſin. Nec propter utrumque. Ἑλληνισταὶ unde dicti. Ἑλλην cum de ſermone quæſtio eſt, tribus modis dicitur. Omnes modi explicantur. Attici per excellentiam linguam ſuam ἑλληνικῶς dici volebant. Refutantur à Dicæarcho. Ἀνελλήνιστον Phrynicho idem quod Ἀνάττικον. A nullo horum modo ἑλληνιστικὴ denominari poteſt.

DIſpiciamus itaque quam aptè & convenienter hoc nomen factum ſit ab Helleniſticariis, & quam benè quadret rei cui impoſitum eſt. Tranſlatio vel ſcriptio Græcis verbis contexta, & Syriaca phraſi expreſſa, Helleniſtica vocanda eſt. Vtrum propter verba an propter phraſin, an propter utrumque ſimul? Si verba ſeorſim ſpectemus, cum Græca ſint, Ἑλληνικὴ inde, non Ἑλληνιστικὴ, vocari debet. Si phraſin conſideremus, quæ Hebraica eſt, jam non Helleniſticæ, nec Hellenicæ appellatio, ob phraſin ei competit, ſed Hebraicæ vel Hebraiſticæ. Si neutrum per ſe prævalere debet ad

nomen

nomen tali verſioni faciendum, nec verba nempe nec phraſis, utrumque ſimul decet æſtimari. Si partes ergo ſuas in nomine dando utrumque obtinebit, verba & phraſis, tum nec Hellenica erit nuncupanda, nec Hebraica, ſed nomine ex utroq; compoſito, Græco-Hebraica. Hanc compoſitionem & commixtionem ex Græcis verbis, & Hebraica phraſi non poteſt denotare *Helleniſtica* vox ſola. Si cenſebitur apud imperitos denotare, perplexa admodum exſurget ſimiles in alio genere linguæ verſiones denominandi ratio. Non vident acuti homines in quos ſe laqueos induent, ſi ad hoc exemplum cogentur cujuſcunque generis verſionibus ſuum nomen eodem modo reperire. Si Helleniſtica eſt cum Græcis verbis & Hebraica phraſi, fatigabo eos rogando, quod illi nomen erit quæ Latinis verbis Hebraica ſenſa expediet. Quæ item Latinis Græca? Quæ Arabicis & Perſicis Hebraica, ut eſt tranſlatio Perſica Tawoſii & Arabica incerti auctoris, quem edidit Herpenius. Pergam obtundere & quæram Gallicas, Hiſpanicas, Italicas, Teutonicas & Belgicas verſiones, quæ Hebraiſmos ſimiliter retinebunt, ut Græcæ retinuerunt, quomodo erunt vocandæ? In infinitũ ibit hæc moleſtia, quam eis faceſſam, & cogentur tandem fateri, ſe neſciviſſe quid agerent, cum Helleniſticæ nomen dederunt ei loquendi generi quod phraſi Hebraicum

 eſt,

Digitized by Google

etiam & ab Eleazaro Pontifice, ſcripturas petens Veteris Teſtamenti, in Græcam vocem ex Hebraica lingua per Septuaginta Interpretes transferre curavit. Et paulo poſt: *Fuerunt & alii interpretes, qui ex Hebraica lingua in Græcam ſacra eloquia tranſtulerunt.* Si quis magis idoneum requirit auctorem, en tibi Hieronymum in præfatione ad librum Paralipomenon: *Si Septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt Editio permaneret, ſuperflue, mi Chromati, Epiſcoporum ſanctiſſime & doctiſſime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino ſermone transferrem.* Idem ibidem: *Cæterum memini Editionem ſeptuaginta interpretum olim de Græco emendatam tribuiſſe me noſtris.* Ergo Editio Septuaginta interpretum Græca, non Helleniſtica. Et alio loco: *Vtraque autem Editio, & Septuaginta juxta Græcos, & mea juxta Hebræos in Latinum meo labore tranſlata eſt.* Alibi paſſim Græca volumina, Græcos Codices, Greça exemplaria, vocat libros tranſlationum tam Septuaginta interpretum quam aliorum. Nec aliter Auguſtinus, nec omnino alii Latinorum patres verſiones illas vocant quam Græcas. An tanti viri neſcierunt quid eſſet diſcriminis inter Græcam linguam & Helleniſticam? An quod Helleniſtico ſermone conditum eſſet, præ imperitia, errore craſſiſſimo, Græcè conſcriptum eſſe putarunt? Credibile vero eſt Origenem, cum Hexapla ſua contexeret ex ſex Editionibus Græcis, ignoraſſe non

eſſe

Digitized by Google

eſſe Græcas illas tranſlationes, ſed Helleniſticas? Id etiam ignotum fuerit Hieronymo, qui *Græcorum Hexapla* vocavit, quæ debuit appellare *Helleniſtarum*? Non enim Septuaginta tantum interpretationem Helleniſticam eſſe contendunt Helleniſticarii, ſed etiam Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & quintam præterea cum ſexta, eodem ſermone Helleniſtico exaratas fuiſſe volunt. Ineptè igitur Epiphanius & inſcitè τετραπλᾶ, quæ contexta erant ex quattuor editionibus Helleniſticis, ἑλληνικὰ appellavit in libro de Ponderibus & Menſuris. Τετραπλᾶ γὰρ, inquit, εἰσὶ τὰ ἑλληνικὰ, ὅταν καὶ τὰ Ἀκύλα, καὶ τὰ Συμμάχου, καὶ τῶν ἑβδομήκοντα δύο καὶ Θεοδοτίωνος ἑρμηνεῖαι συντεταγμέναι ὦσιν. Hieronymus quoque Origenem exemplaria compoſuiſſe quattuor prædictarum Editionum dicit, *è regione ſingula verba deſcribentem, ut unus diſſentiens ſtatim à cæteris inter ſe diſſentientibus arguatur*. Hæc igitur τετραπλᾶ ἑλληνικὰ, non Helleniſtica, ex quattuor Græcis Editionibus compoſita, quibus additæ binæ paginæ Hebraici textus Græcis litteris, & Hebraicis, Hexapla reddebant. Alio loco Epiphanius in Hæreſi nempe Origenianorum, Hexapla ex Editionibus contexta fuiſſe ab Origine ſcribit, quibus additi duo textus Hebraici, τὰ ὀκταπλᾶ efficiebant. Sed nuſquam Hieronymus quintæ & ſextę Editionis meminit, & cum Hexapla vocitat, intelligit Tetra-

pla

Digitized by Google

pla Græcanica, cum Diplis Hebraïcis quæ Hexapla faciebant. Verum de his alibi. Illa Hexapla ex ſex tranſlationibus concinnata, ὥστε εἶναι μὲν ταῦτα καὶ καλεῖσθαι ἑξαπλᾶ ἐπὶ τὰς ἑλληνικὰς ἑρμηνείας, δύο ὁμοῦ παραθέσεις τῆς ἑβραϊκῆς φύσει δι' ἑβραϊκῶν καὶ ἑλληνικῶν γραμμάτων. Miſere erravit auctor ille vetus qui ἑλληνικὰς ἑρμηνείας vocaverit, quas appellare debuit ἑλληνιστικάς, Hieronymus in his Hexaplis, quæ & Græcorum appellat, ſolas quattuor editiones ſuperius memoratas comprehendit, in præfatione ad Iobum: *Et non imitantur Græcorum ſtudium qui poſt Septuaginta interpretum tranſlationes, jam Chriſti Euangelio coruſcante, Iudæos & Ebionitas legis interpretes, Aquilam videlicet & Symmachum, & Theodotionem, curioſè legunt, & per Origenis laborem in Hexaplis Eccleſiis dedicarunt.* Præfatione in Ioſue: *Vt pro Græcorum Hexaplis, quæ & ſumptu & labore indigent, editionem meam habeant.* Apparet ex his Origenem quattuor tantum editiones inter ſe comparaſſe, & compoſuiſſe in Tetraplis, quæ cum duobus Hebraïcis textibus Hexapla illa Eccleſiis dedicata contexebant. *Quaſi non*, inquit in Præfatione Ioſuæ, *apud Græcos Aquila, Symmachus & Theodotio, vel verbum è verbo, vel ſenſum è ſenſu, vel ex utroque commixtum, & media temperatum genus tranſlationis expreſſerint.* Sed & veteres patres ex quibus compoſitę catenæ, ut vocant, in diverſos veteris Teſtamenti libros legun-

Digitized by Google

leguntur, nunquam citant varietates tranſlationum è quinta & ſexta Editione, ſed ex quattuor illis tantum quas invicem compoſuerat Origines, ex quibus τετραπλᾶ fecerat, & cum gemino Hebraico, Ἑξαπλᾶ. Eas verſiones cum nemo veterum patrum Ἑλληνιστικὰς vocare ſoleat, ſed ab omnibus vocentur ἑλληνικαὶ, in incibilis argumenti hoc inſtar eſt, nullam illis Ἑλληνιστικὴν fuiſſe cognitam. Sed quid opus conquirere plures ad hoc probandum copias, cum habeamus confitentes reos? Vltro ipſi agnoſcunt confictum hoc à ſe nomen eſſe, omni antiquitati inauditum & indictum, ex re tamen factum defendunt. Ergo rem ſubeſſe oportet, cui nomen adeo congruum & conveniens impoſitum ſit. Quænam res illa? Verſio verbis Græcis, phraſi Hebraica. Cur non viderunt tot illi ſacri & docti ſcriptores hujuſmodi verſionem hoc nomine vocitari debere? Tamne improvidi fuerunt, ut rei nomen non habenti tunc temporis, competentem appellationem non inveſtigarint? Tam infelices, ut reperire non potuerint? Tam ignavi denique, ut in medio poſitam non arripuerint, nec ſaltem agnoverint?

Digitized by Google

AD III. QVÆSTIONEM, an Helleniſticæ nomen ei phraſi conveniat, quæ verbis Græcis Hebræos concipit intellectus, & à quibus Helleniſtis denominata ſit.

SVMMARIVM.

Nomen Helleniſtica rei non benè quadrare. Non poteſt ita vocari propter verba. Nec propter phraſin. Nec propter utrumque. Ἑλληνισταὶ unde dicti. Ἑλληνίζω cum de ſermone quæſtio eſt, tribus modis dicitur. Omnes modi explicantur. Attici per excellentiam linguam ſuam ἑλληνιστὶ dici volebant. Refutantur à Dicæarcho. Ἑλληνίζειν Phrynicho idem quod Ἀττικίζειν. A nullo horum modo ἑλληνιστικὴ denominari poteſt.

DIſpiciamus itaque quam aptè & convenienter hoc nomen factum ſit ab Helleniſticariis, & quam benè quadret rei cui impoſitum eſt. Tranſlatio vel ſcriptio Græcis verbis contexta, & Syriaca phraſi expreſſa, Helleniſtica vocanda eſt. Vtrum propter verba an propter phraſin, an propter utrumque ſimul? Si verba ſeorſim ſpectemus, cum Græca ſint, Ἑλληνικὴ inde, non Ἑλληνιστικὴ, vocari debet. Si phraſin conſideremus, quæ Hebraica eſt, jam non Helleniſticæ, nec Hellenicæ appellatio, ob phraſin ei competit, ſed Hebraicæ vel Hebraiſticæ. Si neutrum per ſe prævalere debet ad

Digitized by Google

nomen tali verſioni faciendum, nec verba nempe nec phraſis, utrumque ſimul decet æſtimari. Si partes ergo ſuas in nomine dando utrumque obtinebit, verba & phraſis, tum nec Hellenica erit nuncupanda, nec Hebraica, ſed nomine ex utroq; compoſito, Græco-Hebraica. Hanc compoſitionem & commixtionem ex Græcis verbis, & Hebraica phraſi non poteſt denotare *Helleniſtica* vox ſola. Si cenſebitur apud imperitos denotare, perplexa admodum exſurget ſimiles in alio genere linguæ verſiones denominandi ratio. Non vident acuti homines in quos ſe laqueos induent, ſi ad hoc exemplum cogentur cujuſcunque generis verſionibus ſuum nomen eodem modo reperire. Si Helleniſtica eſt cum Græcis verbis & Hebraica phraſi, fatigabo eos rogando, quod illi nomen erit quæ Latinis verbis Hebraica ſenſa expediet. Quæ item Latinis Græca? Quæ Arabicis & Perſicis Hebraica, ut eſt tranſlatio Perſica Tawoſii & Arabica incerti auctoris, quem edidit Herpenius. Pergam obtundere & quæram Gallicas, Hiſpanicas, Italicas, Teutonicas & Belgicas verſiones, quæ Hebraiſmos ſimiliter retinebunt, ut Græcæ retinuerunt, quomodo erunt vocandæ? In infinitũ ibit hæc moleſtia, quam eis faceſſam, & cogentur tandem fateri, ſe neſciviſſe quid agerent, cum Helleniſticæ nomen dederunt ei loquendi generi quod phraſi Hebraicum

 eſt,

eſt, verbis Græcanicum. Si ratio in hac denominatione illis conſtitit, conſtitit & in illis quas propoſui. Si vix inde ſe expedire poterũt, & hic etiam ſe impeditos agnoſcant, ne una immutata littera imperitos dicam. Quid enim imperitius, præter audaciam ſummam cum illa inſcitia conjunctam, quam nomina comminiſci naturæ rei cui poſita ſunt non convenientia, auctoritate veterum non ſubnixa, & rationi contraria? Videor audire quoſdam ex illis, ut inter ſocios haud bene ſemper convenit, argutantes fictum ex nihilo hoc nomen non eſſe, ſed ab Helleniſtis deductum, qui eo ſermone uterentur. Si fuere Helleniſtæ, fuiſſe etiam Helleniſticam, & ſic dictam eam λαλιὰν quam uſurpabant. Tota ergo jam eo redit quæſtio, ut ſciamus quinam illi Helleniſtæ fuerint, à quibus Helleniſticam Novi doctores denominarunt, & an aliam ab Hellenibus, id eſt Græcis, loquendi methodum habuerint. Helleniſtas novimus ex veteribus, Helleniſticam nullam ab illis accepimus. Sed videndum tamen an veterum Helleniſtæ talem Helleniſticam, qualem hodierni Critici commenti ſunt, pro vernacula & peculiari dialecto habuerint. Hoc ut melius inveſtigemus & exploremus, per gradus ad verbum ipſum primitivum à quo cætera derivata ſunt, perveniendum. Ἑλληνιστικὴ deducta à nomine Ἑλληνιστὴς. Ἑλληνιστὴς à verbo Ἑλληνίζειν. Hoc

verbum

Digitized by Google

verbum Ἑλληνίζειν à nomine Ἕλλην. Nam qui ἕλλην eſt, ἑλληνίζει. Qui ἑλληνίζει eſt ἑλληνιστής. Ergo qui eſt ἑλληνιστὴς ſecundũ doctores Neotericos, lingua utitur Helleniſtica. Cum de ſermone quæſtio eſt, Ἕλλην tribus modis dicitur. Ἕλληνες primò nomen eſt unius & certæ gentis, ut fuit olim cum ita proprie dicebantur, qui Phthiotida Theſſaliæ incolebant, nondum communicata hac appellatione cæteris Græciæ gentibus. Vt apud Homerum eſt de his qui ſub Achille militabant ad Trojam.

Μυρμίδονες δ' ἐκαλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί.

Horum dialectus proprie ἑλληνικὴ, qua qui utebantur, dicebantur ἑλληνίζειν, & ἑλληνιστὴς qui ſic loquebatur. Ita enim de his dicebatur Ἑλληνίζειν, ut de Atticis Ἀττικίζειν, de Doribus Δωρίζειν, de Æolibus, Αἰολίζειν, & de Iõnibus, Ἰάζειν vel Ἰωνίζειν. Vt in verſu Poſidippi Comici, quem ſupra citavimus:

Σὺ μὲν Ἀττικίζεις, ἡνίκ' ἂν φωνὴν λέγῃς
Σαυτοῦ τι, οἱ δ' Ἕλληνες ἑλληνίζομεν.

Horum Ἑλλήνων dialectus propria, ἑλληνικὴ, & ea uti, eſt ἑλληνίζειν, & qui utitur, vocatur ἑλληνιστὴς. Nulla tamen ab his Helleniſtica lingua, vel dialectus, ſed Hellenica, quia non Helleniſtica lingua denominatur ab Helleniſta, ſed Helleniſta ab ea lingua nomen ſumit, quæ eſt ipſi familiaris vel vernacula. Lingua quippe quâ utitur, ipſum nominari facit Ἑλληνιστὴν, & ea eſt

ἑλληνὶς vel ἑλληνική. Ideo nulla eſt ἑλληνιστικὴ lingua, ſed ἑλληνικὴ, à qua verbum ἑλληνίζειν, & nomen ἑλληνιστὴς de eo qui ἑλληνίζει. Nec enim ulla eſt Æoliſtica lingua, quamvis Æolum ſit proprium τὸ Αἰολίζειν, ſed Αἰολὶς dicitur. Nulla Atticiſtica lingua, quamvis Attici proprie dicantur Ἀττικίζειν, ſed ea dialectus qua utuntur, vocatur Ἀτθὶς vel Ἀττική. Et ſic de aliis, ne per ſingula eamus. Ἕλληνες, ſecundò appellantur generali nomine omnes Græciæ gentes & populi, non ſolum Æoles, Dores, Iones & Attici, ſed etiam Ætoli, Bœoti, Megarenſes, Arcades, Elei, Cares, Pamphyli, Cilices, Cretenſes, Cyprii, Siculi, Tarentini, & omnes omnino populi qui ἑλλήνων appellatione olim cenſebantur. Hinc non ſolum quinque celeberrimæ dialecti, ἑλληνικαὶ dicebantur, ſed etiam omnes τοπικαὶ, urbium & populorum Græciæ. Hoc ſenſu οἱ ἕλληνες opponuntur τοῖς βαρβάροις, τὸ ἑλληνικὸν τῷ βαρβαρικῷ, & τὸ ἑλληνίζειν, τῷ βαρβαρίζειν, Græce nempe, loqui, & quocunq; alio ſermone uti Barbarico, à Græca lingua diverſo. Sic ἑλληνίσαι, & βαρβαρικῇ διαλέκτῳ χρῆσθαι oppoſuit Pauſanias in Bœoticis, de Apollinis Proi oraculo: τοῦτον ἀποσταλέντα ὑπὸ Μαρδονίου τὸν Μυῦ ἐπέρεσθαι τῇ φωνῇ τῇ σφετέρᾳ, καὶ οἱ χρῆσαι τὸν θεὸν, οὐχ ἑλληνίσαντα οὐδὲ αὐτὸν, διαλέκτῳ δὲ τῇ βαρβαρικῇ. Mys ſciſcitatum oraculum Proi Apollinis à Mardonio miſſus, Deum Perſica

ſermone

ſermone interrogavit, & reſponſum pariter tulit lingua Barbarica, qua conſuluerat, non Græca. Ita & quicunq; peregrinus vel barbarus linguam Græcam quocunque modo ediſceret, ἑλληνίζεσθαι dicebatur, & ἑλληνίζειν, cum eo ſermone uteretur. Photius Agatharchide: Τέταρτος δὲ καὶ ἀληθὴς ἐστὶν, ὃν αὐτὸς μεμάθηκε παρὰ Πέρσου. Βόξος δ' ἦν τούτῳ ὄνομα φησίν· ὃν καὶ ἑλληνίσαι γλῶτταν καὶ γνώμην, καὶ ταῖς Ἀθήναις, λιπόντα τὴν πατρίδα ἐμβιῶναι. Vt dicatur ἑλληνίσαι ille Perſa, non opus ei fuit ὑπεραττικίζειν. Quocunque modo Græcè ſciret, dum & intelligeret Græcè loquẽtes, & à Græcis Græcè loquens intelligeretur, ſatis erat. Inter ipſos autem Græcos qui Ruſticorum more & Idiotarum proloqueretur & pronuntiaret Græcum ſermonem, non minus hac notione generali ἑλληνίζειν putabatur, quam qui ſectaretur Aulicorum in loquendo delicias, & Rhetorum calamiſtros. Cares ipſi quos Homerus βαρβαροφώνους appellat, κακῶς ἑλληνίζοντες, & ſemibarbare loquentes, ἑλληνίζειν tamen exiſtimabantur, quia pleraque Græca mixta loquelæ ſuæ inſerebant. Ergo & Syri, & Alexandrini plurima quoque Ægyptiaca & Syriaca admiſcentes Græco ſermoni, ἑλληνίζειν generali illa ſignificatione dicebantur, quia & ἑλλήνων nomine comprehendebantur, & loquela utebantur Græcanica, ex Græcis utpote oriundi qui nativum ſermonem externi

 con-

Digitized by Google

contagione corruperant, propter Syros vel Ægyptios inter quos nati erant. Sic qui Græcè loquitur, quomodocunque loquatur, ἑλληνίζειν dicitur, quomodo Burgundiones, Pictavos & Wallones Gallice loqui dicimus, cum tamen eorum ſermo longius diſtet ab aulico Franciæ, quam Συροελλήνων & Alexandrinorum, Macedonumque idiotarum Græcus ab Attico differebat. Ἕλληνες tertiò vocabantur qui emendatè & ſine vitio loquebantur Græce. Hinc ἑλλήνων γλῶσσα apud Phrynichum, pro puriſſima & maxime caſtigata Græcè loquendi ratione, qualis tunc habebatur Atticorum dialectus. Τὸ ἑλληνίζειν in hac notione, idem quod ὀρθῶς διαλέγεσθαι, ut Dicæarchus dixit. Attici inter omnes Græciæ populos hanc ſibi gloriam ſemper vindicarunt, qui linguam ſuam proprie & κατ' ἐξοχὴν, dicendam eſſe ἑλληνικὴν autumabant. Sed & urbem ac regionem quam incolebant, præcipuè ἑλλάδα eſſe contendebant. Contra quos diſputabat Dicæarchus, & oſtendebat non hoc nomen illis eximiè deberi, ſed Theſſalis, à quibus primi ἕλληνες & ita proprie dicti, originem duxiſſent, citabatque teſtem Poſidippum, increpantem Athenienſes quod & urbem ſuam, & linguam dicerent eſſe τῆς ἑλλάδος. Ὅτι δὲ, inquit, πᾶσαν ἣν κατηριθμήμεθα, ἑλλάς ἐστιν μαρτυρεῖ ἡμῖν ὁ τῶν Κωμῳδιῶν ποιητὴς Ποσείδιππος, μεμφόμενος Ἀθηναίους ὅτι τὴν αὐτῶν φωνὴν καὶ τὴν

πόλιν

Digitized by Google

πόλιν φασὶ τῆς Ἑλλάδος εἶναι. Verſus Poſidippi jam ſupra retulimus. Hinc Athenas Ἑλλάδος Ἑλλάδα Ion poëta vocavit Epigrammate in Euripidem:

Πατρὶς δ᾽ Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι ----

Hoc ſignificatu ἑλληνίζειν idem quod Ἀττικίζειν, quia Atticorum dialectum pro norma recte loquendi Græci tunc habebant. Hanc imitari contendebant, quicunque Græcis litteris operā dabant, præcipuè qui Rhetores & oratores evadere ſatagebant, & quotquot aliquam in dicendo aut ſcribendo famam apud Græcos conſequi ſtudebant. Inde Phrynichus ἐν παραλλήλῳ poſuit, τὸ Ἀττικίζειν & τὸ ἑλληνίζειν in his verbis; Ἑλληνίζειν καὶ Ἀττικίζων τὸ βασιλικὸν δικαστήριον. Et multis locis idem τὸ ἀνάττικον & τὸ ἀνελλήνιστον pro eodem uſurpat de verbis quæ Græca vel Attica non ſunt, ut minime uſitata antiquis Atticis auctoribus. Κατὰ χειρῶν, inquit, δεινῶς ἀνελλήνιστον, καὶ τὸ ἐπὶ χειρῶν. Μεστὴ γὰρ ἡ Κωμῳδία τοῦ κατὰ χειρός. Liquet hic ἀνελλήνιστον ab eo poſitum pro eo quod alibi paſſim vocat Ἀνάττικον. Nam huic ἀνελληνίστῳ opponit quod rectum eſt & Atticum, utpote Comicis Atticis uſitatum, τὸ κατὰ χειρός. Inde ἑλληνισμὸς apud Rhetores inter virtutes orationis Græcæ prima, quæ emendate loquendi ratio eſt. Pollux ἕλληνα ῥήτορα & Ἀττικὸν in laudibus optimi oratoris in æquo locavit, & ἑλληνίζειν atque ἀττικίζειν, ἑλ-

ληνικῶς & Ἀττικῶς quaſi Synonyma recenſuit. Sic verbum ἑλληνίζειν & Strabo uſurpavit, quando κακῶς ἑλληνίζειν dixit de his qui vitioſe Græcum pronuntiarent & eloquerentur. Ergo Ἑλληνίζειν ſimpliciter, & abſolute poſitum, τὸ ὀρθῶς διαλέγεσθαι ſignificat. Ita enim de Caribus ſcribit lib. XIV. Ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς αἰτίας καὶ τὸ βαρβαρίζειν λέγεται. καὶ γὰρ τοῦτο ἐπὶ τῶν κακῶς ἑλληνιζόντων εἰώθαμεν λέγειν. Generali illa ſignificatione quam ante notavimus, τὸ ἑλληνίζειν etiam de his dici ſolebat quos Strabo dicit κακῶς ἑλληνίζειν, vitioſe nempe & barbare pronuntiantes vel proloquentes linguam Græcam. Sed cum ſtrictiori notione qua proprie de recta & emendata loquendi Græce ratione ſumitur, τὸ ἑλληνίζειν, qui peccabant contra leges Helleniſmi, id eſt emendatæ Græcę loquutionis, dicebantur κακῶς ἑλληνίζειν & βαρβαρίζειν. Quo loqui modo ſolebant non ſolùm peregrini qui linguam Græcam male didicerant, ſed & inter Græcos ipſos, Ruſtici, idiotæ, & opificum fæx. Sic Helleniſmum & Atticiſmum pro eodem indifferenter accepit Diomedes Grammaticus in iſtis: *Atthis quæ brevitati ſtudet, admittit ſolæciſmos, quos cum docti fecerint, non ſolæciſmi, ſed* σχήματα λόγου *appellantur, Vt eſt* Nuda genu, *&*, Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt. *Ibi enim* nudum habens genu *debuit dicere*, *&* urbs quam ſtatuo veſtra eſt: *ſed ſerviens Schemati quod appellatur*

Helle-

Helleniſmos, tres orationis partes redegit in duas, uſus Atticiſmo. Vbi manifeſtè Atticiſmos & Helleniſmos Synonymως idem σχῆμα λόγου appellatur. Inde Ἑλληνιστὴς & Ἀττικιστὴς idem eſt apud Photium de eo qui optime ἑλληνίζειν contendit, & puriſſimum emendatiſſimumque loquendi Græce genus affectat. Sic enim de Philone loquitur. ἐστὶ δὲ τὸ γένος ἐξ ἱερέων καταγόμενος, Ἀλεξανδρεὺς δὲ τὴν πατρίδα. τοσοῦτον δὲ αὐτὸν τοῖς ἑλληνισταῖς περιέχειν θαῦμα τῆς ἐν τοῖς λόγοις δυνάμεως, ὡς καὶ λέγειν, αὐτοὺς, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων Πλατωνίζει. Dicit Philonē miraculo fuiſſe Ἑλληνισταῖς, quod homo Iudæus tantam Græce loquendi facultatem conſequutus eſſet, ut de eo certare poſſet cum Atticis ipſis, & ſummis Græciæ auctoribus. Si Platoni dubiā palmam faciebat, quid reliquis futurum fuit? Helleniſtæ illi quibus admirandus eo nomine viſus eſt, non alii fuere quam qui vocantur alibi Ἀττικισταὶ, qui τοῦ ἑλληνισμοῦ, & orationis Græcæ eam facultatem adepti erant, ut excellerent. Omnis certe Græcæ eloquutionis ad perfectum excolendæ æmulator ἑλληνιστὴς ita dictus eſt, ut ἀττικιστὴς, qui Atticiſmi ſtudioſus eſt. Idem Photius de Agatharchide: ὅτι κέχρηται ὁ συγγραφεὺς, Ἀττικιστὴς καίτοι ὢν τῇ τῆς χαμαιέρου λέξει. Helladius Beſantinous: ὅτι Διονύσιος φησὶ μὴ λέγειν τοὺς Ἀττικιστὰς ὠνησάμην, ἀλλ' ἀντ' αὐτὸν, τὸ ἐπριάμην. Eo tempore cum communis lingua

Digitized by Google

gua Græcorum admodum eſſet depravata & & impurata ex contagione Romani ſermonis, qui purius ſtudebant, & qui eloquentiæ operam debant, ex libris Græcum ſermonem antiquum & præcipuè Atticum hauriebant, aut à magiſtris in Schola accipiebant. Nam qui oratoriam in Scholis docebant, Atticam linguam ut omnium Græcarum præſtantiſſimam & politiſſimam eligebant quam diſcipulis traderent, ut exemplar perfectiſſimi ἑλληνισμοῦ. Ea propter ἑλληνισμὸς κατ' ἐξοχὴν cum de perfectiſſima Græci eloquii forma accipiebatur, idem erat quod Α'ττικισμός. Græcum Epigramma in Rhetoricæ magiſtrum.

Πολλοῦ δεῖ καὶ σφὶν, καὶ τρὶς παρ' ἕκαστα, δικασταί
Ἄνδρες, καὶ λέγε δὴ τὸν νόμον ἐνθάδε μοι.
Καὶ ταυτὸ τὸ μῶν, τὸ τετταράκοντα, καὶ Ἄττα
Σκεψάμενος, καίτοι νὴ Δία, τὸ μὰ Δία,
Ῥήτωρ ἐστὶ Κρίτων καὶ παιδία πολλὰ διδάσκει
Προσθήσει δ' αὐτοῖς χεῦ, φάθι καί μιν ἔτι.

Ex hoc Epigrammate clarum eſt oratoriæ facultatis doctores qui Græci eloquii artem pueris præcipiebant, Atticæ præcipuè linguæ doctrina eos imbuiſſe. Is tum maxime ἑλληνισμὸς rectam & perfectam Græce dicendi viam capeſſentibus monſtrabatur. Sic iidem Ε'λληνισταὶ & Α'ττικισταί. Certe eo loco Photii quem ſupra attulimus Ε'λληνισταὶ non alii poſſunt eſſe quam quos diximus, potioris nempe

& po-

& politioris Helleniſmi, qui Atticiſmus erat, ſectatores, & affectatores. Præter has tres τοῦ ἑλληνίζειν, & τῶν ἑλληνιστῶν notiones non eſt quærenda alia. Nam quarta non dabitur. Videndum ergo à quibus Helleniſtis ex illis tribus lingua Helleniſtica hodiernorum Criticorum, cum dici, tum deduci poſſit. Ab hac ultima appellatione τῶν ἑλληνιστῶν non poteſt nomen & originem habere, cum Helleniſtica lingua vitioſa ſit & impura, & ſecundum hanc ἑλληνίζειν ſignificationē quam tertio loco poſuimus, κακῶς ἑλληνίζουσα, & βαρβαρίζουσα potius dici debeat, quam abſolute & κατ' ἐξοχὴν ἑλληνίζουσα. Quæ notio potius conveniebat Atticæ eloquutioni, utpote quæ ſupra alias omnes Græciæ dialectos ὀρθῶς καὶ καλῶς ἑλληνίζειν cenſeretur. Ab illis Helliniſtis quos ſecundo loco meminimus, non magis poteſt videri appellationem ſumpſiſſe Helleniſtica. Hæc enim à ſuis auctoribus ſtrictiore ſignificatu conficta eſt, quæ phraſim nimirum habet Syriacam, & Hebraicam, & verba Græca. At τὸ ἑλληνίζειν ſecundorum Helleniſtarum vel Hellenum, generaliter comprehendit omnia idiomata Græcarum nationum, & Barbararum quæ linguam Græcam didicerint. Quo genere Helleniſmi non ſolum Græce peritorum ſermo intelligitur, ſed etiam imperitorum, modo verba Græca conentur, & Græce loqui ita ſe putent, ut etiam ii cum

ii cum quibus loquentur, id ſentiant & eorum loquelam percipiant: A primi generis Hellepiſtis multo minus arceſſatur denominatio & origo Helleniſticæ. Prima ea ἑλληνισμοῦ proprietate illi ſoli ἑλληνίζειν cenſebantur, qui dialecto ἑλλήνων ita propriè olim dictorum & in Theſſalia habitantium utebantur. Hæc dialectus nihil habet affine cum Helleniſtica Critica. Tria ergo genera, non plura, ἑλληνιστῶν apud Græcos, ſive ἑλληνιζόντων fuêre, quorum nulli Helleniſticam produxêre. Οἱ ἰδίως ἑλληνίζοντες, nempe κατὰ τὴν διάλεκτον, οἱ κοινῶς ἑλληνίζοντες, κατὰ τὸν παντοδαπὸν ἑλληνισμὸν, καὶ οἱ ὀρθῶς. Totidem Helleniſmi genera, ὁ ἴδιος, ὁ κοινὸς, ὁ ὀρθὸς. Hic tertius ἐν τῷ ὀρθῶς διαλέγεσθαι tantum conſiſtebat. Secundus in omni Græce loquendi idiomate verſabatur, primus ἐν τῷ γένει τῆς φωνῆς, ut ait Dicæarchus, poſitus erat, hoc eſt in proprietate dialecti gentis Hellenum, quando ſoli Theſſaliæ ἕλληνες ita nominabantur. Nunc quærendum relinquo Helleniſticariis quartum aliquod genus τῶν ἑλληνιζόντων, à quibus Helleniſticæ ſuæ ſtirpem, & appellationis cauſam petere queant. In promptu eſſe, nec longe petendum ecce qui inſuſurrent. Nempe ab Helleniſtis quorum in Actibus Apoſtolorum apud Lucam tribus locis occurrit mentio. Bene ſit decoris ingeniis; Eorum opera jam habemus quod fruſtra diu

diu quæſivimus. An factum illi habeant quod voluerunt, jam erit videndum.

Ad IV. Quæstionem, de Helleniſtis Actorum, an Iudæi origine fuerint, & an eorum dialectus proprie Helleniſtica dicta fuerit.

Summarium.

Qui fuerint illi Helleniſtæ de quibus in Actis; fuiſſe Iudæos origine ex locis Lucæ non poteſt probari. Non cap. VI. Hebræos & Iudæos eoſdem fuiſſe. Hebræus nomen gentis eſt, non linguæ & loci. Hebræa lingua vetus multum mutata erat tempore Chriſti & Apoſtolorum. Hanc nec Iudæi, qui inter gentes habitant, ignorabant. Helleniſtæ illi & Hebræi utrique fuere Hieroſolymitani. Et prima illa Eccleſia ex utriſque conſtitit. Ῥωμαῖοι, græcis etiam dicti qui Romani imperii partem facerent, etiamſi græci eſſent. De loco cap. IX. Act. v. 28. Vbi Helleniſtarum Hieroſolymitanarum mentio. & cap. XI. v. 20. ubi Antiochenſium. Neutri fuere Iudæi origine.

HOc erit ergo loco expendendum, quinam illi fuerint Helleniſtæ, & unde dicti, ut ſic ſciamus quænam fuerit Helleniſtica lingua ab illis prodita, & eorum propria. Prima de his quæſtio ad examen revocandá, utrum Græci fuerint origine, an Hebræi, Iudæos eſſe Helleniſticarii affirmant. Niſi enim Iudæi fuiſſent non potuiſ-

Digitized by Google

potuiſſent eniti ac parere monſtrum illud Helleniſticæ, cui ex Græco materia, forma ex Hebræo, ex verbis nimirum Græcis & Phraſi Hebraica concretæ. Iudæi igitur ideo fuere faciendi, & quidem Græciſſantes, ut facilius Græciſſantem verbis, Iudaizantem phraſibus, offam, patri ſuo ſimilem, Iudæo ἑλληνίζοντι effunderent. Atqui quos Iudæos origine eſſe pertendunt, tales fuiſſe non poteſt ex illis locis Lucæ probari in quibus eorum fit mentio. Immo contrarium ex omnibus liquido demonſtratur. Primi ita dicti occurrunt cap. VI. ubi narratur, creſcente tunc numero diſcipulorum qui doctrinæ Chriſti nomen dabant, γενέσθαι γογγυσμὸν τῶν ἑλληνιςῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, *Helleniſtarum murmur extitiſſe adverſus Hebræos.* Cauſa hujus diſcordiæ & commurmurationis Helleniſtarum ibi adfertur, quod dolerent viduas ſuas in miniſterio quotidiano præteriri, quia ſcilicet viduæ ſolæ Hebræorum ad id miniſterium ſolerent deligi & capi. Ergo Eccleſia Chriſti, per ea initia quibus primulum creſcere & multiplicare incipiebat, è duobus hominum generibus conſtabat, Helleniſtis & Hebræis. Quæ ratio nos cogit eo loci Helleniſtas de Iudæis interpretari? Numquid Hebræi non erant Iudæi? Quis uſpiam Hebræos à Iudæis diſtinctos meminit? Vbi hoc lectum eſt? Omnes auctores tam exotici quam ſacri indifferenter utroque nomine utuntur ad ſignifican-

ſignificandam recutitorum gentem. Promatur vel unicus ex aliquo auctore Hebræo, Græco, Latino, pagano, Chriſtiano locus, quo diſcrimen iſtud Ἰουδαίου & ἑβραίου ſtatuatur, tum Helleniſticarius ero. Auctores aliquot qui ad manum ſunt, citabo. ut liqueat ab aliis ἑβραίους vocari, quos alii Ἰουδαίους appellant. Pauſanias in Eliacis: ἐν δὲ τῇ γῇ ποταμῶν τινα ἑβραίων καὶ αὐτὸς οἶδα Ἰόρδανον λίμνην Τιβερίδα ὀνομαζομένην διοδεύοντα. *Hebræos fluvios* vocat in terra Iudæa præfluentes. Id eſt, in Arcadicis: Ἑβραίοις δὲ Ἑλένης γυναικὸς ἐπιχωρίας τάφος ἐστὶν ἐν πόλει Σολύμοις. Ibidem τὴν ἑβραίων vocat Iudæam Hebræorum terram. Tacitus *Hebræas terras* de Iudæa dixit. Photius de Theodoro Antiochenſi quem tradit novam tranſlationem Bibliorum molitum eſſe, poſt Septuaginta interpretes, poſt Aquilam & Symmachum, μήτε τὴν ἑβραίων ὥσπερ ἐκεῖνος, ἐκ παιδὸς ἀσκηθέντα, μήτε τὸν τῆς θείας γραφῆς νοῦν ἐκδιδαχθέντα, ἑβραίων δὲ καὶ τῶν χαμαιπετῶν ἑαυτὸν ἐκδεδωκότα. Idem de libro cujuſdam Anonymi, ὁ πρῶτος παρ' ἑβραίοις μὲν. Theologus, τὴν ἑβδομάδα τιμῶσιν ἑβραίων παῖδες. Id eſt, *Sabbatum colunt Iudæi.* An hic dicent ἑβραίων nomine intelligi qui Iudæam tantum incolebant? Nonne Iudæi omnes per univerſum terrarum orbem diſperſi Sabbatum honorabant? Ergo Ebræi illi dicuntur Theologo. Stephanus, Ἰδυμαῖος, ἔθνος ἑβραίων. Gentem

Iudaicam intelligit. Ἀπὸ Ἀδόμμω, inquit. Ἄδομμα γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσι, ὅτι ξανθὸν βρῶμα δοὺς τῷ ἀδελφῷ τὰ πρωτεῖα εἰλήφει. Vides Hebræos & Iudæos eoſdem eſſe? Clemens Alexandrinus lib. VI. Stromatωn: εἴγ' οὖν ὁ Κύριος δι' οὐδὲν ἕτερον, ἢ διὰ τὸ εὐαγγελίσασθαι ὥσπερ κατῆλθεν, ἤτοι πάντας εὐαγγελίσασθαι ἢ μόνους ἑβραίους. Per Hebræos palam eſt hoc loco non ſolum qui Iudæam incolerent Iudæos, aut qui Hebraice loquerentur, ſed omnes ubicunque commorarentur Iudæos intelligi. Nam τὰ ἔθνη ibi ab Hebręis ſeparat, ut alibi Ἰουδαίους & ἕλληνας. Nam ἑλλήνων nomine omnes gentes intelligebant quæ ſub lege non eſſent. Hinc & paulo poſt νομικοὺς & Ἕλληνας opponit, & univerſum genus humanũ in duas partes dividit, εἰς ἑβραίους & ἔθνη, εἰς Ἰουδαίους & ἕλληνας, εἰς νομικοὺς & ἕλληνας. Sic, Ἑβραῖοι, Ἰουδαῖοι, & νομικοὶ Synonyma: ὁ δίκαιος τοίνυν δικαίου οὐ διαφέρει, καθὸ δίκαιός ἐστιν, οὐ διαφέρει, ἐάντε νομικὸς ᾖ, ἐάντε ἕλλην. Οὐ γὰρ Ἰουδαίων μόνον, πάντων δὲ ἀνθρώπων θεὸς κύριος. Ita eadem pagina, de eadem re loquens, Ἰουδαίους νομικοὺς, & ἑβραίους eoſdem vocavit. Idem lib. I. Ἀπίων ὁ γραμματικὸς, καίτοι φιλαπεχθημόνως πρὸς ἑβραίους διακείμενος, ἅτε Αἰγύπτιος τὸ γένος, ὡς καὶ κατὰ Ἰουδαίων συντάξασθαι βιβλίον. Apion Pliſtonices, odio quo proſequebatur Hebræos, librum adverſus Iudæos compoſuit. Non ergo diverſi Iudæi ab Hebræis, ſed iidem. Sibylla

apud

apud eundem in Protreptico ad gentes Ἑβραίους nominaverat, de quibus cecinit:

Οἵτινες οὐκ ἀπάτῃσι κεναῖς, οὐδ᾽ ἔργ᾽ ἀνθρώπων
Χρύσεα καὶ χαλκεῖα, καὶ ἀργύρου ἠδ᾽ ἐλέφαντος,
Καὶ ξυλίνων λιθίνων τε βροτῶν εἴδωλα θανόντων
Τιμῶσιν, ὅσα πέρ τε βροτοὶ κενεόφρονι βουλῇ.
Ἀλλὰ γὰρ αἴρουσιν πρὸς οὐρανὸν ὠλένας ἁγνάς,
Ὄρθριοι ἐξ εὐνῆς αἰεὶ, χρόα ἁγνίζοντες
Ὕδασι, καὶ τιμῶσι μόνον τὸν ἀεὶ μεδέοντα
Ἀθάνατον. ----

In ſolos Palæſtinæ Hebræos, & non in omnes Iudæos hæc convenire nemo dixerit. Præterea non adeo vetuſta illa Sibyllina carmina, ut non videantur ficta poſt Chriſti mortem à primis Chriſtianis. Apud Philonem & Ioſephum ἑβραῖοι paſſim vocantur, qui & Ἰουδαῖοι, nec ulla ab his differentia ponitur inter hæc nomina. Ioſephus ἑβραϊκὴν διάλεκτον appellat, quam alibi Ἰουδαΐην: Et certe melius tunc Ἰουδαϊκὴ dicebatur quam ἑβραϊκή. Nō enim eo tempore ſermo, quo utebantur in Iudæa Iudæi, idem fuit cum antiqua Hebraica lingua, qua olim uſi. Si quis ergo ad linguam ſpecter, Iudæi qui extra Palęſtinam, verius dici poſſunt ἑβραῖοι, quam qui in Palæſtina commorabantur Iudæi. Iſti enim Syriaco idiomate corrupto ſermones ſerebant, cum illi, qui extra Palæſtinam in Diaſpora gentium degebant, puram antiquam Hebraicam dialectum à pueris diſcerent, quam & ex libris haurie-

Digitized by Google

bant, ſacris. Vt antiquior autem Hebræorum appellatio, ita generalior, & ad plures pertinuit, cum Iudæorum denominatio recentior eos potiſſimum & propriè attinuerit qui in Iudæa conſiſtebant. Sic cum Attici propriè dicerentur Greci qui Atticam incolebant, Dores qui Dorida, Æolii qui Æolida, & Iones qui Ioniam, omnes generali appellatione ἕλληνες vocabantur à primo gentis auctore Hellene. Ita ab Hebero, primo auctore nominis ac gentis Hebræorum, ad omnes qui inde orti ſunt, generaliter ea appellatio porrecta eſt, quibuſcunque in terris habitarent. At Iudæi propriè de his qui in Iudæa incolebant, dicti. Iudæa autem à tribu Iudæ. Nihil prohibet à Iudæis ita potius appellatam, ſi verum eſt quod ſcribit Ioſephus, hoc nomen Iudæos eſſe nactos poſtquam ex captivitate reverſi ſunt. Immo tum primum, quà regioni quà incolis hoc nomen datum à Iudæ tribu, quæ prima ab exilio in ſedes patrias rediit. Sic enim ſcribit lib. x i. cap. v. καὶ Ἰουδαῖοι πρὸς τὸ ἔργον παρεσκευάζοντο. ἐκλήθησαν δὲ τὸ ὄνομα τοῦτο ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους, αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας ταύτης μετέλαβον. Qui Iſraëlitas negaret generalem eſſe omnium Iudæorum denominationem, nugas ageret. Non minus nugatur qui Hebræorum nomen non tam late patere con-

contendit quam Iſraëlitatum. Nec eſt quod quis argutetur, id quod jam Sciolis in mentem venit, Hebræos propriè dictos qui Hebraice loquerentur ex Iudæis. Nomen gentis eſt non linguæ, & loci. Vnde & *Hebræas terras* Tacitus appellat Iudæam, id eſt, Hebræorum regionem. Inde etiam *Hebræa lingua* appellata eſt Syriaca illa qua utebantur Hebræi ſive Iudæi Chriſti temporibus, licet in tantum mutata eſſet ab Hebræa priſtina, ut alia videretur. Cum legimus ergo in Actibus Apoſtolorum Paulum alloquutum eſſe Iudæos τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, cap. xxi. intelligendum eſt de Hebraica lingua, quæ tunc in uſu erat apud Iudæos, id eſt Syriaca. Nam & Dominus noſter ea uſus eſt, ut apparet ex omnibus locis Euangeliorum, in quibus aliquid proloquutus eſt lingua vernacula. Sonus & flexio eorum verborum Syriaca potius quam Hebraica fatetur. Vt Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, Σατανᾶ, & alia. Sed & γαββαθᾶ, quod Syriacum eſt, ἑβραϊστὶ enunciatum dicitur in Euangelio κατὰ Iohannem cap. xix. verſ. xiii. καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος, εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ. Euangelium Matthæi Hebraice ab auctore ſcriptum eſſe, nemo non veterum tradidit. Hebræum illud Syriacum eſſe, quod in uſu tunc temporis in Iudæa fuit, Hieronymus docet, qui Euangelium Matthæi ſcriptum fuiſſe teſtatur Chaldaico Syroque ſermone,

ſed Hebraicis litteris. Illa vero lingua non videtur eo tempore ignorata, ne Iudæis quidem qui inter gentes habitabant. Cum enim in majoribus ſollemnitatibus ventitare quotannis plures ſolerent Hieroſolymam, eam linguam addiſcebant, quæ uſitata erat in ea civitate, quæ omnium ubique conſiſtentium Iudæorum fuit Metropolis. Præterea plurimi ex illis Iudæis quos xxi. Actuum dicitur alloquutus Paulus τῇ ἑβραΐδι διαλέκτῳ, ex Aſia ibidem dicuntur veniſſe. Nam & ii contra Paulum ſeditionem populi Hieroſolymitani excitarunt, ut in eodem capite memoratur, verſ. xxvii. ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι θεασάμενοι αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ, συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, καὶ ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτὸν, κράζοντες, Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, βοηθεῖτε· οὗτός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὁ κατὰ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ νόμου καὶ τοῦ τόπου τούτου πάντας πανταχοῦ διδάσκων. *Clamantes, viri Iſraelitæ, adjuvate. Hic eſt homo qui adverſus populum & legem & locum hunc omnes ubique docens.* Hi Iudæi Aſiatici, qui talibus verbis incitarunt plebem Hieroſolymitanam adverſus Paulum, aut Græce loquuti ſunt, aut Hebraice, id eſt, eo Syriaco ſermone qui tunc uſitatus erat Hieroſolymis. Si Græce ea verba protulerunt, Græce quoque intellexiſſe oportet Hieroſolymitanos illos Iudæos, quos hujuſmodi quiritatione ad ſeditionem concitarunt. Hoc

Digitized by Google

pacto tam Helleniſtæ fuêre ad quos ea verba pronuntiata ſunt, Hieroſolymitani nempe Iudæi, quam Aſiatici qui iis uſi ſunt. Sin autem Hebraicè, id eſt, Syriacè illa enunciata ſunt ab Aſiaticis Iudæis, non minus hi Hebraice ſciverunt quam illi Iudæi Hieroſolymitani, ad quos commovendos tali oratione feruntur uſi. Vtro vis modo dicta ea accipias, aut Hebræi etiam fuêre illi Aſiatici, quos tantum Helleniſtas aſſerunt fuiſſe, aut etiam Helleniſtæ extitere Hieroſolymitani, quos Hebræos tantum contendunt extitiſſe. Poſtremo cum corpus illud Eccleſiæ Chriſti tum primum naſcentis in urbe Hieroſolymitana ſuccreviſſe dicatur, & coaluiſſe, an eſt probabile compoſitum ex aliis fuiſſe quam qui Hieroſolymæ fixas ſedes habebant, & domicilium in ea urbe poſuerant? Non enim mihi fit veriſimile, peregrinantes ex Aſia Iudæos aut ex Europa, aliiſque locis longinquioribus, qui ſollemnitatis tantum gratia, aut alicujus ſi forte negotii, Hieroſolyma venerant, ad breve tempus ibi manſuros, animum ad patrias ſedes revertendi amiſiſſe, ut Eccleſiæ Chriſtianæ quæ in urbe illa formabatur, membra fierent. Quid enim verius quam Eccleſiam illam primam Chriſtianorum, quæ Hieroſolymis eo tempore congregata eſt, ex ſolis Hieroſolymitanis conſtitiſſe? Ita & ſingulæ urbes quibus verbum Chriſti

Digitized by Google

annuntiarant ejus diſcipuli, congregatas & collectas habere Eccleſias ex hominibus qui in iis urbibus commorabantur. Hieroſolymitana autem illa primitiva, quæ concorporata eſt priuſquam gentibus in eam aditus pateret, ex duobus hominum generibus compoſita fertur, ex Helleniſtis & Hebræis, utriſque nimirum Hieroſolymitanis. Nam ſi Helleniſtas ibi accipiamus pro Iudæis externis, & alibi inter gentes habitantibus, non capit fidem, illos exteros & peregrinos Iudæos patriæ oblitos adhærere voluiſſe Eccleſiæ quæ tum Hieroſolymis congregabatur. Non enim ad aliquod tempus Eccleſia illa Hieroſolymitana ædificabatur, ſed ex hominibus inde loci fundabatur, non in alias partes diſceſſuris cum viſum eſſet. Verbi gratia, fac Iudæos per ea tempora Hieroſolymis è Græcia, Macedonia, & Babylonia peregrinantes vel mercaturæ gratia, vel feſtivitatis, ſubſtitiſſe. Si qui ex his converſi ad fidem per Chriſti diſcipulos fuere, an una cum Hieroſolymitanis civibus pariter Chriſtianis factis Eccleſiæ illi ſacramentum dederunt, non amplius patriam viſuri? Imo ſi qui verbo Dei auſcultarunt, ex Iudæis peregrinis tum pro tempore Hieroſolymæ conſiſtentibus, reverſi in patriam & ipſi eorum locorum Apoſtoli evaſerunt, fidemque ibi prædicarunt quam acceperant Hieroſolymis. Quod multis exemplis comprobare poſſem.

Ergo

Digitized by Google

Ergo hoc pro certo definitum maneat, Eccleſiam primorum Chriſtianorum quæ Hieroſolymis congregata eſt, quo tempore nondum verbum Dei gentibus adnuntiabatur, ex ſolis incolis Hieroſolymitanis conſtitiſſe, quà Helleniſtis, quà Hebræis. Si Hebræi ibi Iudæi ſunt, ut neceſſe eſt, Helleniſtæ Iudæi non erunt. Non enim Hieroſolymis duplex tum fuit Iudæorum genus, unum Hebraice tantum ſcientium, qui *Hebræi* dicerentur, alterum qui tantũ Græcè noſſent, & *Helleniſtæ* proprio nomine vocarentur. Non poſſunt etiam videri Helleniſtæ iſti Iudæi peregrini propter eas quas attulimus rationes. Quod ſi eſſet, Hebræi quibus oppoſiti ſunt, de Palæſtinis vel Hieroſolymitanis Iudæis proprie interpretandi eſſent. Atqui docuimus ſuprà, omnes Iudæos ubicunq; conſiſtentes, Hebræos etiam cenſitos atque appellatos fuiſſe. Nec hoc nomine Hebræorum auctores tam ſacros quam Exoticos peculiare genus Iudæorũ intellexiſſe, qui aut Hebraice ſcirent, aut in Palæſtina commorarentur. Nam & qui Hebraice eo tempore neſciebant, haud minus tamen Hebræi dici potuerunt, atque illi qui callerent antiquam linguam Hebraicam, qualis in uſu erat Iudæis antequam in captivitatem abducerentur. Sic Romani etiam appellati ſunt qui ignorabant linguam priſcam Romanam. Et hodieque Romanè loqui in multis locis dicuntur, qui cor-

Digitized by Google

corrupto Idiomate Gallico aut Wallonico utuntur, quod longiùs diſtat ab antiqua Romana lingua, quàm Syriacum idioma & Hieroſolymitanum illo in tempore, quo Euangelium mundo illuxit, ab antiqua Hebraide differebat. Si qui etiam Græce callerent Iudæi, & ἑλληνισμοῦ periti eſſent, quo ἑλληνιστῶν nomen lucrari potuerunt, haud propterea exciderunt nativa Hebræorum appellatione. Nec enim hodie ſi qui ex Iudæis Germanice, aut Italicè, aut Belgice vel Sarmatice ſciunt, Iudæi ea gratia eſſe deſinunt, vel Hebræi, vel Iſraelitæ, & Abrahami ſemen, & Heberi propago. Ῥωμαῖοι Græcis etiam dicti ſunt, qui Romani Imperii partem facerent, tametſi non Romanè, ſed Græcè loquerentur, ut omnes Conſtantinopolitani & Europæi Græco idiomate utentes, & Imperio Romano ſubditi. Arabes quoq; رومي, id eſt *Romæum*, quidquid ditioni Romæ ſubjectum fuit. Quæ ratio vult, ut minus generalis ſit appellatio Hebræorum? Si ratio nulla id flagitat, oſtendant ſaltem aliquam uſus auctoritatem in contrarium invaleſcentem, vel ex auctoribus ſacris vel ex aliis. An dicent cum Paulus ad Hebræos ſcripſit ad ſolos direxiſſe Palæſtinæ Iudæos, aut ſolos Hebraice gnaros, Epiſtolam quę πρὸς Ἑβραίους inſcripta eſt? Tametſi hoc daretur, non tamen inde ſequeretur ἑλληνισταὶ qui his oppoſiti in prædicto loco Actuum leguntur, Iudæos videri.

Digitized by Google

ri. Immo contrarium inde magis liqueret. Sunt Hebræi Palæſtinæ & Hieroſolymorum proprie Iudæi. Inde conſequi neceſſe eſt, Helleniſtas qui cum his corpus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ componebant, non eſſe Iudęos. Omnes Iudæi Hieroſolymorum cives Hebræi vocabantur *κατ᾽ ἐξοχὴν*. Eſto. Nulli originales Iudæi hujus urbis incolæ fuerunt, quin hoc eodem nomine vocari meruerint. Fruſtra ergo ſomniant Helleniſticarii, Helleniſtas iſtos Hieroſolymitanos fuiſſe Iudæos. Helleniſtarum Hieroſolymitanorum etiam alio loco meminit Lucas in iiſdem Actibus Apoſtolorum, cap. IX. verſ. XXVIII. *καὶ ἦν μετ᾽ αὐτῶν εἰσπορευόμενος εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ παῤῥησιαζόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς ἑλληνιστάς*. Nimirum cum Helleniſtis qui commorabantur in urbe Hieroſolymitana. Alio loco apud eum mentio fit Helleniſtarum Antiochenſium cap. XI. verſ. XX. *ἦσαν δέ τινες ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες εἰσελθόντες εἰς Ἀντιόχειαν, ἐλάλουν πρὸς τοὺς ἑλληνιστὰς, εὐαγγελιζόμενοι τὸν κύριον Ἰησοῦν*. Quis non videt iſtos Helleniſtas fuiſſe Antiochenos? Ingreſſi hi viri Cyprii ac Cyrenæi Antiochiam ſermonem habebant cum Helleniſtis adnuntiantes eis verbum Chriſti. Sic Paulus cap. IX. Hieroſolyma ingreſſus diſputabat cum Helleniſtis, nempe Hieroſolymitanis. Ex iſtis porro Helleniſtis Antio-

Digitized by Google

Antiochenus Nicolaus fuit, inter ſeptem Diaconos Helleniſtas allectus, quem & Antiochenum diſertè fuiſſe narrat Lucas, & fuiſſe Helleniſtam ex eo liquet, quod ex corpore Helleniſtarum ad Diaconatum fuit electus cum aliis ſex. Vt Helleniſtæ Hieroſolymitani qui cum Hebræis ſive Iudæis Hieroſolymitanis Eccleſiam ejus loci conſtituebant, non fuere Iudæi, ita nec Iudæos liquet fuiſſe Antiochenos Helleniſtas. Non enim Helleniſtæ dicti eſſent, Antiochiæ indigenæ Iudæi, ſed Ἰουδαῖοι Ἀντιοχεῖς. Sic enim ubique locorum Iudæi ab urbe in qua nati & cujus cives erant, ſe denominare vulgo ſolebant, ut paulo poſt docebimus. Ex his ergo ſtatui poteſt Helleniſtas non fuiſſe origine Iudæos. Cum enim in omnibus urbibus Syriæ fuerint Helleniſtæ, à Iudæis diverſos eos cenſeri neceſſe eſt. Præterea ut cap. VI. Actorum diſtinguuntur ab Hebræis Helleniſtæ, ita eorumdem Actorum XI. à Iudæis clare diſtincti viſuntur. Non ergo Iudæi, nec origine, cum ab utriſque diſcernantur.

Digitized by Google

AD V. QVÆSTIONEM, an Iudæorum gens olim diviſa in duo genera fuerit, nempe in Iudæos Helleniſtas & Hebraiſtas.

SVMMARIVM.

Opinio doctorum hominum proponitur de duobus generibus Iudæorum. quid ad verum diſcrimen requiratur: id hic non procedere. Dialectus non facit diſcrimen generis. Etiam Hieroſolymis fuere ἑλληνισαὶ: & extra Paleſtinam Hebraiſantes. Loca differentiam non facere. Non omnes extra Palæſtinam lingua græca gnaros fuiſſe. In Actorum cap. 2. nulli Helleniſtæ nominantur, nec Hebræi. Philo de Romanis Iudæis: & ita de aliis à Ioſepho: & de aliquibus ex Actis Apoſtol. Inter exules & non exules inepta diſtinctio. Locus Martialis correctus, Trans Euphratem habitantes nec Helleniſtas fuiſſe nec exules. Exules qui proprie dicantur. Epiſtola Agrippæ ad Caium apud Philonem. Ioſephi teſtimonium. Hieroſolyma non tantum Metropolis τῆς θρησκείας, ſed etiam τῆς πολιτείας. Iudæos tempore Philonis nullum templum Alexandriæ habuiſſe, ut voluit Ioſeph. Scaliger. Petrum primam Epiſtolam Babylone ſcripſiſſe. Romæ tum paucos Iudæos fuiſſe & maximam partem ſervos. Scaligeri ſententia refutatur. Helleniſtas Iudæos non minus ignotos fuiſſe Ioſepho quam Philoni. Diaſporam de qua Ioann. cap. VII. non eſſe Europæam. Omnes qui Iudaiſmū non profitebantur, ἕλληνες dicti. Διασπορὰ ἑλλήνων quid apud Ioannem: non fuiſſe exilium, ſed colonias, diſperſiones voluntarias. Sub Macedonibus nulla diſperſio contigit. Locus Ioannis explicatus. Vrbe capta demum Iudæi exules ſibi viſi: & vere fuere. Diſtinctio Iudæorum ab ipſiſmet facta

Digitized by Google

cta explicatur, in Palæſtinos & Babylonios. Cur Lucas in Actis cap. 11. diſtinguat inter Hebræos & Helleniſtas, & non inter Iudæos. Quare Epiſtola ad Hebræos ſcripta ſit, non Iudæos: Hebræi apud Lucam tam Syri proſelyti quam Iudæi religione Chriſtiani; & ſermone Hebraiſantes. Iudæi appellatio magis pertinet ad religionem, Hebræi ad gentem.

NVnc diſcutienda opinio doctorum hominum quibus hactenus perſuaſum fuit, Iudæos in duo genera diviſos fuiſſe, in Helleniſtas & Hebræos, quos etiam quidam non veriti ſunt, nominare Hebraiſtas. Videndum, inquam, quo fundamento ſuperſtructa ſit, iſta (non enim ita eam nuncupare verebor) hariolatio. Sic enim ſtatuunt, omnes Iudæos extra Iudæam habitantes, quos & exules appellant, vulgo vocatos olim Helleniſtas: qui vero Palæſtinam incolerent, & Hieroſolyma, primariam Palæſtinæ urbem, Hebræos & Hebraiſtas. Nominis apparet ratio, in Helleniſtis quod Græco uterentur idiomate, in Hebræis aut Hebraiſtis, quod Hebraico. Nunc quærendum & examinandum an hæc diſtinctio ſtare poſſit, quo argumento nitatur, qua auctoritate ſe tueatur. De auctoritate ſi pugnemus, facile vincentur qui nullum auctorem antiquum poſſunt adducere, qui hujus diſtinctionis meminerit. Sane nec novum. Si ratione certare volent, & hoc telo deſtitutos ubi ſe agnoverint, haud ſcio an ſe victos fateri ſuſtinebunt.

Digitized by Google

ſtinebunt. Multa quinimo rationum & graviſſima pondera in eos devolvemus, quibus obruentur. Quod differentiæ faciendæ gratia inducitur inter res duas, aut perſonas, ita certum debet eſſe, & ex utraque parte rebus quibus addicitur, ſic deſtinatum, ut inter utramque reciprocare non poſſit. Quod de una dicitur, non debet de altero dici. Nam ſi fiat, omne quod inſtituitur, diſcrimen tollitur. Helleniſtarum igitur & Hebræorum ſive Iudæorum hebraizantium, cum talis introducitur differentia, ut iſti Palæſtinæ incolæ ſint, cæteri omnes extra Palæſtinam quibuſcunque in locis degant, Helleniſtarum nomine cenſeantur, non poſſunt Helleniſtæ eſſe nec dici Hebrei, nec Hebrei Helleniſtę. Sic optimè ſtatuetur illud inter utroſque diſcrimen ſi verum erit, ſi non erit. nec pro diſcrimine habebitur quod indifferenter de utroque ac promiſcue uſurpabitur. Græci à Latinis differũt. Qui græcus eſt origine, Latinus non eſt, & contra. Poteſt Græcus Latino ſermone uti, & Latinus Græco, atque ita hic dicetur Latinus ἑλληνίζων, vel ἑλληνιστής, ille Græcus ῥωμαΐζων vel ῥωμαϊστής. Diſcrimen quod inter Helleniſtas & Hebræos interjicitur, haud ita procedit. *Hebræus* nomen eſt gentis, *Helleniſtes* dialecti. Hoc convenit omnibus hominibus Græce ſcientibus ac loquentibus, quia gentem non denotat, ſed omnem hominem ἑλληνίζοντα. Illud nomen

gentis

gentis & ſolis aptari poteſt qui ab ea gente ſunt. Soli ergo Iudæi Hebræi ſunt, quia generis omnes & originis Hebrææ. Si pro ἑβραίῳ poſueris ἑβραϊστὴν, tum loquelæ χαρακτῆρα deſignabit, & cuicunq; ἑβραΐζοντι competet, Græco, Latino, Perſæ, & aliis. Bene ergo comparabuntur & componentur ἑβραϊστὴς & ἑλληνιστής. Sed quid inde ſequitur? Idem quod ex differentia Ῥωμαϊστοῦ & Ἑλληνιστοῦ. Qui genere Græcus eſt ſive ἕλλην, poteſt eſſe Ῥωμαϊστής. Qui Romanus eſt oriundo, ſimiliter evadere poteſt ἑλληνιστής. Sic Romanus erit ἑλληνιστὴς, & Ἕλλην Ῥωμαϊστής. Quid ex eo volumus efficere? Hoc nempe. Qui genere ἕλλην eſt, dum vernaculo ſermone utitur, ἑλληνίζει, dum Latino quem didicit, ῥωμαΐζει. Ita ἑλληνίζειν & ῥωμαΐζειν in eandem perſonam congruit. Ergo & ἑλληνιστὴς & ῥωμαιστὴς unus idemque. Si quà in eadem perſona intercedit differentia inter has duas dialectos, naturæ & doctrinæ ratione fiet. Nam unus idemque poteſt eſſe, ut dixi, ἑλληνιστὴς & ῥωμαϊστὴς, qui Latini pariter & Græci ſermonis peritus fuerit. Vt origine Latinus, Romano utetur, Græco verò, quia didicerit, & contra. Nihil hoc vetabit quin diſcrimen gentis ac generis maneat. Nam Græcus quamvis ῥωμαΐζων, diverſus erit à Latino ἑλληνίζοντι. Videamus de Iudæis Helleniſtis & Hebraiſtis an tale diſcrimen induci poſſit, quale inter Græcos & Latinos Græciſſantes: Nullo modo.

Digitized by Google

modo. Nam differentia, ut dixi, generis inter eos relinquitur. Inter Iudæos ἑλληνισταὶ & ἑβραϊσταὶ nulla generis aut originis diſcretio eſt. An erit linguæ? Ita quidem, ſed non ad hoc ut perpetua & propria poſſit manere hæc differentia. Iudæus Ε῾λληνιστὴς poterit etiam eſſe, Ε῾βραϊστὴς, nec hoc tantùm, ſed etiam Ρ῾ωμαϊστὴς & Περσιστὴς, & à totidem linguis nomen habere quot poterit addiſcere, & quot calluit Mithridates. An nulli Hebræi, id eſt Palæſtinæ & Hieroſolymorum incolæ, Græcè gnari fuere? Si qui fuêre, ut plures fuiſſe conſtat, etiam dici potuerunt ἑλληνισταί, & revera fuerunt. Nam & Ioſephus ἑλληνιστὴς fuit, & Septuaginta interpretes qui Hieroſolymitani domo fuêre, ἑλληνιστῶν appellatione digni videntur. Nec negabunt Helleniſticarii pro veris habitos & habendos Helleniſtis, ſi quidem & eorum tranſlatio lingua Helleniſtica conſcripta eſt, ut affirmant. Non etiam dubium quin ætate Apoſtolorum plures Hieroſolymis vixerint veri ac germani Iudæi, id eſt Hebræi, qui etiam linguam Græcam apprime calluerint. Atqui inde de his haud minus quam de aliis ſequetur, eos fuiſſe ἑλληνιστάς. Iam verò inter illos Helleniſtas, quos extra Palæſtinam ſubmovent, & ab Hebræorum nomine ſegregant, nullíne extiterunt qui Hebraicè ſcirent? Immo infiniti, nec aliter dicturi ſunt. Si negabunt, vel unus eos Paulus refellet Hebraicè peritiſſimus,

Immo etiam peritior quam Græcè. Eum ex illorum Helleniſtarum genere, quos ita propriè nominandos cenſent, inficias ire nec poſſunt. Sic ergo Paulus idem Ἑλληνιστὴς & Ἑβραϊστὴς fuerit. Quinimmo & αὐτόχρημα Hebræus. Sic enim de ſemetipſo dicit. Ἑβραῖοί εἰσιν; Ἑβραῖος κἀγώ. Similes Paulo extitiſſe innumeros ne ambigi quidem poteſt. Quid ergo? Iam habemus Ἑβραίους ἑλληνιστὰς, & ἑλληνιστὰς Ἑβραίους. Vbi ergo differentia quæ ab his ſtatuitur inter Hebræos & Helleniſtas Iudæos, aut cujus rei diſcrimen invectura eſt? Non certè generis. Nam utrique ab eadem origine & gente. Non linguæ, quia invicem hæc reciprocantur, ut ἑλληνιστὴς ſit qui Hebræus eſt, & Hebræus vel ἑβραϊστὴς qui Helleniſtes exiſtit. Si de facto ipſo, ut vocant, hæc diſtinctio interponetur, ut nimirum qui Græcè ſcit Iudæus, & Hebraice neſcit, Helleniſta vocetur, qui vero Hebraicè novit, & Græcam linguam ignorat, pro Hebræo habeatur, & ſic appelletur, ita ſane conſtabit differentia linguæ, ut loci corruat. Nam & Hieroſolymitani Palæſtinique plures occurrent Helleniſtæ, & in Græcia aliiſque locis extra Palæſtinam inter Iudæos exules non pauci exiſtent Hebræi vel Hebraiſtæ. Quomodo ergo procedet quod volunt, omnes qui extra Palæſtinam degebant, Iudæos Helleniſtas fuiſſe, & qui intra Palæſtinam ſedes habebant, Hebræos eſſe dictos,

Digitized by Google

ctos, & ea ratione invicem hos & illos fuiſſe diſtinctos? Non ergo loca diſcrimen fecere, quandoquidem ubique locorum tam Helleniſtæ quam Hebraiſtæ fuere, & multi Hebraiſtæ ſimul & Helleniſtæ. Ratio aliqua utcunque ſuaderet in Græcia natos Iudæos, Helleniſtas eſſe appellatos à linguæ Græcæ uſu cui à pueris aſſueviſſent. Non tamen in hoc valeret, ut inde diſcrimen naſceretur certum ac perpetuum inter hos Helleniſtas, & alios Iudæos qui minimè Græcè noſſent. Saltem illud ex eo efficeretur, pari modo alios Iudæos pro linguæ quam callerent ratione varias appellationes eſſe ſortitos. Qui in Italia oriundi eſſent, & Latine loquerentur, Ῥωμαϊστὰς dici: Qui Perſice, Περσιστὰς, Qui Armeniace, Ἀρμενιαστάς. Atque ita de aliis. At illud omnium eſt ἀτοπώτατον, quibuſcunque in locis natos & habitantes Iudæos, exceptis qui in Palæſtina incolerẽt, *Helleniſtas* appellatos, etiamſi Græce neſcirent. Nam nec illud cuiquã credibile eſt in omnibus locis, ubi Iudæi erant, linguæ Græcæ uſum ita uſitatum fuiſſe, ut eodem modo à pueris cum nutricum lacte hauriretur, quomodo à Græciæ vernaculis hauriebatur. Nemo tantus eſt, neque tanti, auctor, qui mihi perſuadere poſſit, ultra Euphratem natos & incolentes Iudæos ita linguam Græcam à teneris didiciſſe, ut inde *Helleniſtæ* appellari deberent, haud ſecus quam illi qui in media

Digitized by Google

Græcia vitales auras duxiſſent. Indiæ ergo, & Carmaniæ, & Perſidis,& Mediæ,& Meſopotamiæ, & Arabiæ Iudæi, item Elamitidis, æque ἑλληνισμοῦ intelligentes erant, ut ipſi ἕλληνες? Cur non & ipſi Medi, & Parthi & Elamitæ, & Arabes, & aliæ gentes inter quas verſabantur Iudæi,eodem modo ἑλληνισθῆναι putandi, ut Iudæi qui in eorum regionibus naſcerentur? An hoc donum peculiare Iudæis à Deo datum fuit, ut in India nati poſſent ἑλληνίζειν & ἑλληνισταὶ inde dicerentur, cum Indi ipſi vulgò non id haberent? Si lingua Græca adeo familiaris fuit in omnibus Orientis partibus,ut placet Helleniſticariis, qui omnes earum regionum Iudæos Helleniſtas inde nomen nactos eſſe aſſerunt, quid fiet miraculo Pentecoſtes? Quid opus fuit linguis igneis à Sp.ſancto diſtributis Apoſtolorum gregi,ut ab omnibus nationibus ἑτερογλώσσοις poſſent intelligi? Satis habuiſſent Græca lingua loqui, & ſine ullo miraculo ab omnibus auditi gentibus & intellecti fuiſſent. Sic autem inter ſe dicebant obſtupefactæ nationes,quod cum Galilæi eſſent Apoſtoli, ſingulæ tamen eos loquentes idiomate,quod ipſæ in ſedibus patriis natura imbiberant, audiebant. Καὶ πῶς ἡμεῖς,inquiebant, ἀκούομεν ἕκαστος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν ἐν ᾗ ἐγεννήθημεν; *Et quomodo nos audimus unuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus?* Deinde enumerat diverſa genera nationum

quæ

quæ illi diſcipulorum concioni interfuerunt, qua diverſis loquuti ſunt linguis. In qua ennumeratione mirandum, nullos *ἕλληνας* neque *ἑλληνιστὰς* recenſeri. *Πάρθοι, καὶ Μῆδοι, καὶ Ἐλαμῖται, καὶ οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν, Πόντον, καὶ τὴν Ἀσίαν, Φρυγίαν τε καὶ Παμφυλίαν, Αἴγυπτον καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης, τῆς κατὰ Κυρήνην, καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, Κρῆτες καὶ Ἄραβες ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν.* Gentes ac populi qui hîc recenſentur, partim *ἰδικῇ* dialecto inter ſe differebant, partim *γλωσσικῇ*. Sed nec Ἑβραῖοι hic nominantur, nec Ἑλληνισταί. Quos Lucas omittere non videtur debuiſſe, quorum & aliquot locis alibi meminit, præſertim cùm de diſcrimine linguarum hîc ageretur, Iudæam inter alias commemorat, quaſi quæ tum diverſa dialecto uteretur à Galilęa. Nam Galilęi erant qui loquebantur. Eorum *λαλιὰν* differentem fuiſſe à Iudæis germanis qui Iudęam incolebant, conſtat etiam ex Euangelio de Petro, qui Galilęus, *ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ*. In Pamphylia porro, Aſia, Phrygia, Ponto, Cappadocia etſi ſermo Gręcus etiam multum frequentaretur, aliam etiam dialectum ſingulæ illę provinciæ ſibi peculiarem, atque à vicinis diverſam habuerunt. Hinc & Cibyratas Strabo quattuor linguis uſos eſſe ſcribit, Piſidica, Græca, Lyda, & Solyma. *τέτταρσι δὲ γλώτταις ἐχρῶντο οἱ Κιβυράται, τῇ Πισιδικῇ, τῇ Σολυ-*

Digitized by Google

Σολύμων, τῇ Ἑλληνίδι, τῇ Λυδῶν. Syri erant δίγλωττοι eo tempore, ut & Iudęi. Græca & Syriaca utebantur; Immo & τρίγλωττοι. Nam & Romana illis etiam in uſu. Si differentia inter Hebraiſtas & Helleniſtas Iudęos tunc extitiſſet, adeo nota & certa, ut videri volunt, non prætermiſiſſet Lucas eam tam celebrem diſtinctionem notare eo loco, ubi maxime locum habere videbatur. Nam & Iudęos ac proſelytos ibidem generali diſtinctione diviſit, cum paulo ante Iudæam nominatim commemoraſſet inter regiones ac gentes ἑτερογλώττους, Repetiit tamē ac dixit, Καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, Κρῆτες τε καὶ Ἄραβες ἀκούομεν λαλούντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ. Iudęos illos quos à proſelytis linguæ tantum ratione ſeparavit, Hebraicè loquutos eſſe conſtat, quale tunc erat Hebraicum idioma, idem nempe cum Syriaco. Sed & paulo ante eodem capite Iudęorum meminit Hieroſolyma inhabitantium ex omnibus gentibus quæ ſub cælo ſunt. Ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι, ἄνδρες εὐλαβεῖς ἀπὸ παντὸς ἔθνους, τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. *Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi, ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* Quinam erant illi viri religioſi Iudęi qui ex omni natione habitabãt Hieroſolyma? Nempe illi ipſi de quibus ſtatim ſubjicitur nominatim facta recenſio, Πάρθοι, Μῆδοι καὶ Ἐλαμῖται. Iudęi nimirum

Digitized by Google

mirum ex Parthia, Media, Elamitide, & aliis, quę ſequuntur regionibus. Inter quas & Iudęa nominatur, Μεσοποταμίαν, Ἰουδαίαν τε καὶ Καππαδοκίαν. Non minus ergo Iudæi erant ac dicebantur, in Parthia nati & Media quam in Iudæa. Quod etiam liquet ex his Philonis verbis in Legatione ad Gajum, οὐ μόνον τοῖς τὴν ἱερὰν χώραν κατοικοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης Ἰουδαίοις. *Non ſolum terram Sanctam*, id eſt Iudęam, *incolentibus Iudæis, ſed etiam ubicunque terrarum toto orbe vitam degentibus.* Iſti πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι noſtris Helleniſticariis Helleniſtæ fuere. Quod ignoravit Philo, nec quiſquam Iudęorum aut Græcorum ea ætate ſcivit. Religioſi autem illi Iudęi qui ex toto orbe, & ex omni natione quam ſol videt, profecti, Hieroſolyma tunc incolebant, ſtudio religionis ac pietatis relicto natali ſolo, in urbem ſanctam ſe contulerant, domiciliumque ibi optarant, ut templum de proximo aſſiduè frequentarent. Non ex Iudęa ergo tantum, ſed ἀπὸ παντὸς ἔθνους quod ſub cælo eſt, Iudęi Hieroſolymis ſedes plurimi fixerant. Sed cur, cum jam commemoraſſet, τοὺς Ἰουδαίους κατοικοῦντας qui in feſto Pentecoſtes Hieroſolymis Apoſtolorum concioni intererant, & Ἰουδαίους omnes illos nominaſſet qui ex diverſis orbis partibus Hieroſolymam advenerant, paulo poſt iterum repetit de Proſelytis & Iudæis? καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι,

Digitized by Google

μαῖοι, Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι. An hi Iudęi diverſi erant ab illis quos vocavit τὴν Ἰουδαίαν κατοικοῦντας? An etiam alii erant ab illis quos Ἰουδαίους εὐλαβεῖς ἀπὸ παντὸς ἔθνους Hieroſolyma tunc habitaſſe ſcripſit? Generatim primò Ἰουδαίους appellavit qui ex diverſis partibus orbis, quæ in ſubjectis recenſentur, urbis ſanctæ incolatum elegerant. Inter eas orbis regiones etiam Ἰουδαίαν numeravit, ut doceret non ſolùm ex propinquis locis, ut erat Iudęa, ſed etiam ex longinquis & toto orbe diſſitis, ortos Iudęos Hieroſolyma incoluiſſe. Poſtea etiam, illos Iudęos recenſuit qui non κατοικοῦντες Hieroſolyma erant, ſed ἐπιδημοῦντες, advenæ, non incolæ. Hi propter feſtum, vel alterius negotii cauſa Hieruſalem venerant, tantiſper in urbe manſuri, donec id cujus rei gratia advenerant, peregiſſent. Romanos primum inter eos enumerat tam Iudęos quam Proſelytos, deinde Cretas & Arabes. Quoniam hæc ex vero narrantur ab Euangeliſta, quos ſcivit revera tum ἐπιδημοῦντας Hieroſolymis fuiſſe, eorum nominatim meminit. Diſtinguendū autem in verbis Lucæ, καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, Κρῆτες τε καὶ Ἄραβες. *Et qui in urbem advenerant, Romani partim Iudæi, partim proſelyti, Creteſque & Arabes.* Qui ſuperius memorati ſunt, Iudęi fuere ex variis totius orbis provinciis ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες, hic ſunt ἐπιδημοῦντες, non inquilini Hieroſolymorum

Iudæi,

Digitized by Google

Iudæi, ſed advenæ ad breve tempus in urbe Iudæi Romani & proſelyti, qui propter feſti ſollemnitatem venerant. Qui Romam incolebant Iudæi, Romanos dictos eſſe ex Philone & Ioſepho certum eſt. Quibuſcunque enim in civitatibus incolatum concupiſſent Iudæi, aut ſi ibi nati eſſent, earum urbium cives cenſebantur, & *ἰσοτελεῖς* cum aliis civibus fiebant, & jure civitatis accepto, ab illa urbe denominari ſolebant. De Romanis Iudæis Philo in libro de Legatione ad Cajum, de Auguſto: Πῶς *οὖν ἀπεδέχετο τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομήν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων. Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες. Αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν, οὐδὲν τῶν πατρίων παραχαράξαι βιασθέντες*. Et paulo poſt: *ἀλλ' ὅμως οὔτε ἐξῴκισε τῆς Ῥώμης ἐκείνους, οὔτε τὴν Ῥωμαϊκὴν αὐτῶν ἀφείλετο πολιτείαν*. *Eos nec urbe expulit, nec civitatis jure privavit*. Sed etſi civitate Romanæ urbis donati non eſſent, quia in ea urbe domicilium habebãt, Ῥωμαῖοι dici poterant, & ſic paſſim dicebantur ab urbe in qua habitabant. Sic Alexandriæ Iudæi vocabantur Ἀλεξανδρεῖς, Antiochiæ Ἀντιοχεῖς, & ita de aliis. Ioſephus lib. II. contra Apionem: *τὸ δὲ θαυμάζειν πῶς Ἰουδαῖοι ὄντες Ἀλεξανδρεῖς ἐκλήθησαν, τῆς ὁμοίας ἀπαιδευσίας. Πάντες γὰρ οἱ εἰς ἀποικίαν τινὰ κατακληθέντες, κἂν πλεῖστον ἀλλήλων τοῖς γένεσι διαφέρωσιν, ἀπὸ*

Digitized by Google

τῶν οἰκιστῶν τὴν προσηγορίαν. καὶ τί δεῖ περὶ τῶν ἄλλων λέγειν; Ἀυτῶν γὰρ ἡμῶν οἱ τὴν Ἀντιόχειαν κατοικοῦντες, Ἀντιοχεῖς ὀνομάζονται. Τὴν γὰρ πολιτείαν αὐτοῖς ἔδωκεν ὁ κτίστης Σέλευκος. Ὁμοίως οἱ ἐν Ἐφέσῳ, καὶ κατὰ τὴν ἄλλην Ἰωνίαν τοῖς αὐθιγενέσι πολίταις ὁμωνυμοῦσι, τοῦτο παρασχόντων αὐτοῖς τῶν διαδόχων. ἡ δὲ Ῥωμαίων φιλανθρωπία πᾶσι μικροῦ δεῖν τῆς αὐτῶν προσηγορίας μεταδεδώκασιν, οὐ μόνον ἀνδράσιν, ἀλλὰ καὶ μεγάλοις ἔθνεσιν ὅλοις. Ἴβηρες γοῦν οἱ πάλαι, καὶ τυρρηνοὶ, καὶ Σαβῖνοι Ῥωμαῖοι καλοῦνται. *Illud quoque quod ſe mirari dicit, quod cum Iudæi eſſent, Alexandrini vocati ſint, ſimilis inſcitia eſt. Omnes enim qui in coloniam aliquam deducuntur, etſi plurimum invicem genere differant, à conditoribus appellationem accipiunt. Et quid opus de aliis dicere?* Noſtrorum *enim ipſorum qui Antiochiam inhabitant, Antiocheni nominantur. Ius enim civium iis dedit Conditor Seleucus. Similiter & qui in Epheſo commorantur, & in reliqua Ionia cum civibus inde natis eandem appellationem ſortiuntur, hoc illis concedentibus regni ſucceſſoribus. Romanorum verò clementia omnes fermè appellatione ſua participavit, non ſolum viros ſingulos, ſed etiam totas nationes, & quidem magnas. Hiſpani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini Romani vocantur.* Illuſtris Ioſephi hic locus, ex quo conſtat non aliud Iudæis, alibi quam in Iudęa conſiſtentibus, nomen hæſiſſe quam ab urbe in qua manerent, & domicilium collocaſſent. Idque confirmatur multis locis Acto-

rum.

rum. Vt cap. xi. Cyprii, & Cyrenenſes, vocantur Iudæi Cypri, & Cyrenarum incolæ. Διῆλθον ἕως Φοινίκης καὶ Κύπρου μηδενὶ λαλοῦντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις. Ἦσαν δὲ τινὲς ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες εἰσελθόντες εἰς Ἀντιόχειαν ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστὰς εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον Ἰησοῦν. Cyprii illi & Cyrenenſes viri, Iudæi fuere, à quibus diſcernit Helleniſtas illos Antiochenos. Cap. xiiii. Διατριβόντων δὲ αὐτῶν καὶ διδασκόντων ἐπῆλθον ἀπὸ Ἀντιοχείας, καὶ Ἰκονίου Ἰουδαῖοι. Cur Helleniſtas eos hic nominavit Lucas, quandoquidem ex definitione, quam afferunt Helleniſticarii, omnes Iudæi, exceptis iis qui in Iudæa commorabantur, *Helleniſtæ* dicti ſunt? Et cap. xvii. οἱ ἀπὸ Θεσσαλονίκης Ἰουδαῖοι, *Iudæi de Theſſalonica*, pro Ἰουδαῖοι Θεσσαλονικεῖς. Hoc enim loquendi genus tum vulgare, ut in illo verſu Græco de Octonario metro Boiſci:

Βόϊσκος ὁ ἀπὸ Κυζίκου καινοῦ γραφεὺς ποιήματος.

Quem ſic Latinè vertit Rufinus:

Boiſcus is de Cyzico, novi repertor carminis.

Id eſt, Βόϊσκος Κυζικηνός. Romani veteres dixiſſent, *Boiſcus Cyzico*, ut apud Plautum, *Hoſpes Zacyntho*. Quod Græcus vetus dixiſſet, Ζακυνθόθεν, Novus, ἀπὸ Ζακύνθου. Cap. xviii. verſ. xxiv. Ἰουδαῖος δέ τις Ἀπολλὼς ὀνόματι, Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει. Plures ſi quis requirat, reperiri poſſe non dubito. Ex quibus omnibus liquet,

liquet, nullis Iudæis, quamvis alibi quam in Iudæa aut Hieroſolymis habitantibus, quamvis in media Græcia natis, nomen Helleniſtarum datum. Nam & Epheſo oriundi vocabantur teſte Ioſepho Epheſini, & in aliis, Ioniæ urbibus nati ſimiliter urbium ſuarum nomen ſinguli gerebant. Sed & ridicula eſt, nec minus falſa diſtinctio Iudæorum illius temporis in Exules, qui toto orbe diſperſi eſſent, & non exules qui in Palæſtina tantùm ævum agitarent. Multò etiam magis ridiculum & abſurdum, quod cenſent illos omnes quos pro exulibus habent, *Helleniſtas* appellatos eſſe, quaſi Helleniſtæ forent aut dicerentur etiam ii, qui in locis illis ubi non erat uſus linguæ Hellenicæ, lucem primum vidiſſent: Romæ ſcilicet nati & educati Iudæi pauperculi, quorum cophinus & frenum ſupellex, ut ait Satyricus, Græca potius ac prius imbuti fuerint loquela quam Latina. Quis enim non crèdat, Iudęos Romanos Romane ſciviſſe, & à pueris eum ſermonem didiciſſe, ut ii qui in Græcia nati erant, Græcum callebant? Eo uſque quoſdam & profeciſſe conſtat in cognitione Romanæ linguæ, ut etiam Latine ſcripſerint. Extant duo Epigrammata Martialis lib. XI. in quemdam Theodorum Iudæum poëtam, qui Latinè poëmata condiderat. Epigramma XCIIII. in Theodorum poëtam Iudæum:

Pierios

Pierios vatis Theodori flamma penates
Abſtulit:

Sequitur in eundem XLV. Epigramma, ut habent inſcriptum veteres libri.

Quod nimium luces, noſtris & ubique libellis
Detrahis, ignoſco, Verpe poeta, ſapis.

Vltimum illius Epigrammatis diſtichum ita legendum eſt:

Ecce negas juraſque mihi per templa Tonantis:
Non credo, jura Verpe per Achiolam.

Id eſt, per eum qui vivit in æternum מחיעלם. Ita corrigendum eſſe, alibi docebimus, pro eo quod eſt in vulgatis *per Anchialum*. Quod eſt ineptum. Ecce poëtam Iudæum qui Latinos verſus faciebat, & tamen etiam Romæ Iudaicam dialectum uſurpabat, ut omnes Iudæi ibidem commorantes faciebant, ut hinc colligere eſt. Exigit enim Martialis, ut ſolemni Iudæis jurejurando utatur, quod ſi faciat, ſe potius ei crediturũ quam juranti poëticè & Romanè per templa Tonantis quem nihili æſtimabat, immo ἐβδελύσσετο. Romani Iudæi utcunque Græcè noſſe poterant. Babylonios & trans Euphratem in ſuperiore Aſia incolentes Iudæos, quorum maxima fuit multitudo, longè magis ſuperat fidem Græcè, id eſt ἑλληνιστὶ ſciſſe, Ἑλληνιστὰς nuncupatos eſſe. Illinc etiam exules? Ita volunt. Sed an ideo Helleniſtæ? Hoc ὑπερβολὴν ſtultitiæ & inſcitiæ nullam facit reliquam. Quid ſi non exules fuiſſe doceamus,

ceamus, an non ſequetur, nec fuiſſe Helleniſtas? Ita neceſſe eſt, quandoquidem ſolos exules Helleniſtas appellatos cenſent, iis verò qui exules non eſſent, Iudæorum propriè nomen competiſſe, ut qui Hieroſolymis & in cæteris Palæſtinæ urbibus & vicis habitarent. Ergo ſi efficere poterimus, ut qui exules ab his habiti ſunt, non fuerint exules, hoc etiam una eademque opera præſtabimus, ut nec Helleniſtæ ſint dicendi, nec unquam dicti. Exul is proprie dicitur cui non licet, cum libet, in patriam reverti, nec locum exilii ſui relinquere. An dicere poſſunt Helleniſticarii, quando nõ licitum fuerit illis exulibus eo tempore quotieſcunque libitum iiſdem fuit, in Palæſtinam redire, & Iudæam incolere, & Hieroſolymis habitare? Nonne ex eo loco Actorum quem ſupra produximus cap. 11. conſtat, ſicut ibi diſertè memoratur, ἀπὸ παντὸς ἔθνους ὑπὸ τὸν οὐρανὸν Iudæos Hieroſolymis habitaſſe, ex Parthia, Media, Elamitide & reliquis orbis oris quæ ibidem recenſentur? Quamdiu templum ſtetit, nunquam ſe pro exulibus reputarunt Iudæi, quibus non ſolum licebat, quandocunque vellent, in Iudæam venire ex omnibus orbis partibus, templum inviſere, in eo adorare, ſacra facere, etiam in urbe ſedem, ſi id decreviſſent, figere. Vbicunq; eſſent Iudæi, pecunias colligebant à ſuis, eaſque per miniſtros huic rei deſtinatos, *Apoſtolos*, id eſt

Miſſos,

Miſſos, inde appellatos, Hieroſolymam mittebant, quæ quaſi Metropolis cenſebatur, omnium ubicunque conſiſtentium Iudæorum. Quibus jus civitatis illius ademptum non erat, qui omnes eandem Metropolim agnoſcebant, & ab ipſa omnes pariter veluti ejuſdem urbis ſanctæ cives agnoſcebantur, quamvis in remotiſſimis ab ea Metropoli locis & nati eſſent, & locum domicilio optaſſent, quis exules eos fuiſſe dixerit? Ipſorum porro Iudæorum teſtimonio conſtare poteſt, non ſe pro exulibus tunc geſſiſſe, nec hoc nomine ſe unquam appellandos exiſtimaſſe, ſtante templo & urbe. Epiſtola Agrippæ ad Cajum, quam in libro de Legatione ad eum principem poſuit Philo, ejus rei fidem maxime una facere poteſt, toto orbe nempe diſperſos Iudæos quaſi colonos ejuſdem matricis civitatis, ſive Metropolis fuiſſe cenſitos, non exules. Sic enim Agrippa rex Iudæorum in ea loquitur de Hieroſolymorum urbe, quam *ἱεράπολιν* appellat: *αὕτη*, inquit, *ἐμὴ μὲν ἐστὶ πατρὶς, μητρόπολις δὲ οὐ μιᾶς χώρας Ἰουδαίας, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείστων διὰ τὰς ἀποικίας ἃς ἐξέπεμψεν ἐπὶ καιρῶν, εἰς μὲν τὰς ὁμόρους, Αἴγυπτον, Φοινίκην, Συρίαν, τήν τε ἄλλην καὶ τὴν Κοίλην προσαγορευομένην, εἰς δὲ τὰς πόῤῥω διῳκισμένας, Παμφυλίαν Κιλικίαν, τὰ πολλὰ τῆς Ἀσίας ἄχρι Βιθυνίας, καὶ τῶν τοῦ Πόντου μυχῶν. Τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ εἰς Εὐρώπην, Θετταλίαν, Βοιωτίαν, Μακεδονίαν, Αἰ-*

Digitized by Google

τωλίαν, τὴν Ἀττικὴν, Ἄργος, Κόρινθον, τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα Πελοποννήσου, καὶ οὐ μόνον αἱ ἤπειροι μεσταὶ τῶν Ἰουδαϊκῶν ἀποικιῶν εἰσιν, ἀλλὰ καὶ νήσων αἱ δοκιμώταται, Εὔβοια, Κύπρος, Κρήτη, καὶ σιωπῶ τὰ πέραν Εὐφράτου. Πᾶσαι γὰρ ἔξω μέρους βραχέος Βαβυλῶνος καὶ τῶν ἄλλων σατραπειῶν αἱ ἀρετῶσαν ἔχουσι τὴν ἐν κύκλῳ γῆν, Ἰουδαίους ἔχουσι τοὺς οἰκήτορας. *Pro ſancta verò civitate, hæc afferre licet. Eam eſſe Metropolim non unius regionis Iudææ, ſed & plurimarum, propter colonias variis temporibus deductas, vel in proxima quæq; loca, ut in Ægyptum, Phœnicem, Syriam, & aliam quæ vocatur Cœle, vel in longius diſſitas provincias, Pamphyliam, Ciliciam, in pleraſque Aſiæ partes uſque Bithyniam, & Ponti ſinus intimos. Pari modo & in Europam, ut Theſſaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthum, parteſque Peleponneſi pleraſque, & præcipuas. Nec tantum continentis provinciæ Iudæorum coloniis referta ſunt, ſed etiam inſularum celeberrimæ Eubœa Cyprus, Creta. Nihil dico de his quæ trans Euphratem. Omnes enim excepta exigua parte Babylonis, & aliarum Satrapiarum, quæcunque pinguem ubere gleba agrum habent, Iudæos habent incolas.* Harum omnium provinciarum incolas Iudæos Helleniſtas fuiſſe, id eſt Græco-Hebraico dialecto uſos eſſe, atque inde appellationem nactos, ſi fas fidem habere Helleniſticariis, credere neceſſe eſt. Quod miror ignoratum fuiſſe Agrippæ Iudæorum regi, ut de Philone

lone

Digitized by Google

Philone ipſo nihil dicam. Atqui videmus non minus pro Iudæis iſtos omnes Agrippæ habitos qui longiſſimè diſſitas ab Hieroſolymis regiones incolerent, quam qui proximas, quam qui ipſam Iudæam, & ipſam Metropolim Hieroſolyma. Præterea nec magis etiam exules inter Iudæos dici & haberi ſolitos, qui longinquas illas regiones omnes obtinerent, quam qui Palæſtinam inſediſſent. Poſtremò ex illis etiam verbis Agrippæ hoc liquet, colonias fuiſſe Iudæorum Palæſtinorum, non exilia, provincias ſupraſcriptas, ac proinde qui eas inhabitarent, colonos potius *Hebræarum*, ut loquitur Tacitus, *terrarum* atque ipſius Iudeæ ab ipſis Iudæis exiſtimatos eſſe, quam exules. Nec in alia Ioſephus ſententia. Nam in lib. II. contra Apionem ἀποικίας illas Iudæorum appellat, non ἐξορισίας. Ideoque & Iudæos à locis appellatos quæ incolebant, haud ſecus ac ſingulariũ urbium cives originarios. Novi enim coloni qui deducebantur in aliquas civitates eodem jure ac nomine cenſeri ſolebant cum veteribus earum urbium conditoribus, ut ait Ioſephus. Et certum eſt quas Romani ex militibus miſſiciis colonias in variis Aſiæ & Europæ locis condebant, non in exilium à ſe eos miſſos duxiſſe, ſed cives additos numero ſupplendo priorum municipum Denique & illud ex ea Agrippæ Epiſtola, ut etiam ex Ioſepho, conſtat, Hie-

roſolyma non religionis tantùm ac τῆς θρησκείας Metropolim Iudæis fuiſſe, ut putabat Scaliger, ſed etiam τῆς πολιτείας. Quod enim tres Metropoles πολιτειῶν fuiſſe apud Iudæos autumat, Hieroſolyma, Babylonem & Alexandriam, melius dixiſſet, ſi unam tantum nominaſſet Hieroſolymorum civitatem. Vnica quippe illa Metropolis univerſorum Iudæorum extitit, toto orbe ſparſorum, ut ex illa Epiſtola Agrippæ liquido compertum eſt. Nam & Alexandriam, quam Scaliger ſtatuit Europeæ caput ac Metropolim διασπορᾶς, pro ἀποικίᾳ numerat Agrippa unicæ illius Metropoleos. Διὰ τὰς ἀποικίας ἃς ἐξέπεμψεν ἐπὶ καιρῶν εἰς μὲν τὰς ὁμόρους Αἴγυπτον. *Propter colonias quas emiſit variis temporibus in vicinas regiones ut Ægyptum.* Alexandriã intelligit. Et ſanè ratione careret, ut Alexãdria haberetur Metropolis diaſporæ tantum Europeæ, id eſt coloniarum in Europam à Iudæis deductarum quæ ab eodem Agrippa recenſentur in Theſſalia, Bœotia, Macedonia, Ætolia, Attica terra, Corintho, Peloponneſo. τὸν αὐτὸν τρόπον, inquit Agrippa, καὶ εἰς Εὐρώπην Θετταλίαν, Βοιωτίαν, Μακεδονίαν, Αἰτωλίαν, τὴν Ἀττικὴν, Ἄργος, Κόρινθον, τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα Πελοποννήσου. Quod autem idem Scaliger ſcribit, Iudæos Alexandrinos habuiſſe templum quaſi æmulum Hieroſolymitano, id falſum eſt, ſi tempus præcipue ſpectes quo templum Hieroſolymitanum

adhuc

Digitized by Google

adhuc ſtabat, & quo illa, quæ ſupra retulimus, ſcribebat Philo. Ex illo quippe ejus opere, omnibus perſpicuum eſt, nullum Iudæos Alexandriæ templum habuiſſe, ſed ſolas Proſeuchas aut Synagogas, quarum ſæpe meminit in illo ſcripto Philo. De Babylone nón magis verum eſt quod idem ille voluit, Aſianæ διασπορᾶς caput eam extitiſſe, & ad eos Iudæos in Aſiana diaſpora conſiſtentes ſcripſiſſe Petrum ex ipſa Metropoli Babylone. Non dubito ſane quin ex Babylone priorem ſuam Epiſtolam ſcripſerit Petrus. Nam Babylone tum fuiſſe cum eam exaravit, non ſinunt nos ambigere verba quæ in fine addita ſunt: *Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta.* Qui de Roma allegoricè ea dicta accipiunt, toto cœlo errare alibi doceo. Sed quod Babylone poſitus ad Aſianos Iudæos Epiſtolam ſcriſerit Petrus, non inde magis colligitur Babylonem caput fuiſſe Aſianæ Iudæorum diaſporæ, quam Corinthum Romæ eſſe Metropolim, quia è Corintho ad Romanos Epiſtolam ſcripſit Paulus: aut, Philippos Corinthiorum fuiſſe Metropolim, quia ex ea urbe ad Corinthios idem litteras miſit. In aliqua urbe converſantes totam provinciam ei urbi ſubjectam vel circumjacentem per coadjutores ſuos vel præſentia ſua ordinabant ac docebant, ad longinquiora autem loca Epiſtolas ex eo loco dirigebant. Sic Petrus Babylone cum eſſet, totam Meſo-

O 2 pota-

Digitized by Google

potamiam de proximo illuminabat & imbuebat, vel per ſe regionem luſtrando, vel per comites & adjutores ſuos, quos per finitimas oras miſſitabat. Ad Aſianæ autem diaſporæ Iudæos litteras direxit, & nominatim Pontum memoravit, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithyniam. Eam deſignavit Agrippa cum colonias Iudæorum Aſiaticas ita recenſuit: Εἰς δὲ τὰς πόῤῥω διῳκισμένας Παμφυλίαν, Κιλικίαν, τὰ πολλὰ τῆς Ἀσίας ἄχρι Βιθυνίας καὶ τῶν τοῦ Πόντου μυχῶν. Vides Bithyniam & Pontum etiam nominatim ab eo recenſeri, quemadmodum & Petro. Enimvero provinciæ illæ viciniores Babyloni in qua tunc erat Petrus, quàm Europeæ ab Agrippa memoratæ. Et mirum, inter Europæas Iudæorum colonias nec Romam, nec Italiam, non Gallias, non Hiſpanias, non ullam aliam Occidentalis Europæ regionem eſſe nominatam. Καὶ εἰς Εὐρώπην, inquit, Θετταλίαν, Βοιωτίαν, Μακεδονίαν, Αἰτωλίαν, τὴν Ἀττικήν, Ἄργος, Κόρινθον, τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα Πελοποννήσου μέρη. Cur Roma cum Argis & Corintho non nominatur? Numquid in Europa non fuit? Cur prætermiſſa Italia, Gallia, Hiſpania, & Illyricum? An quia nulli per ea tempora in occiduis illis Europæ provinciis Iudæi? Hoc certe eſt. Quid enim aliud eſſet? De Roma ſaltem ex eodem Philone conſtat Iudæos ibi fuiſſe. Non tamen Coloniis in eam urbem deductis eò veniſſe innuit,

ſed

ſed in captivitatem abductos ſervitutem ibi ſerviſſe plures, deinde ex iis manumiſſos ac civitate donatos, in urbe manſiſſe. Ῥωμαῖοι δὲ, inquit, ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες. Αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν, id eſt, *plures ex illis Iudæis qui Romæ conſiſtebant, Romani erant, libertini generis. Nam in captivitatem abducti à dominis manumiſſi fuerant.* Nulla igitur cauſa eſt ut Petrus, cui Apoſtolatus circumciſionis erat commiſſus, Romam & in Occidentis partes convolaret, ubi tam pauci erant Iudæi, & non Babylonem veram quæ Iudæorum maximum numerū habuit, teſte Philone & Ioſepho. Hic, nempe Babylone plena meſſis patebat; ibi nempe Romæ, non niſi tenue ſpicilegium faciendum ſuppetebat. Ex quo alibi concludimus, ubi hoc ex profeſſo tractamus, Petrum nunquam Romæ fuiſſe. Cujus rei infinita alia habemus teſtimonia ſuo tempore & loco promenda. Ad Alexandriam quod attinet, quam Metropolim Europeæ Διασπορᾶς fuiſſe putat Scaliger, videtur etiam velle Iudæos Alexandrinos propriè Ἑλληνιστὰς eſſe dictos, qui utebantur paraphraſi τῶν LXX. interpretum & ob id eam appellationem nactos. Quod parum ab omnibus interpretibus animadverſum queritur. *Nam* ἑλληνίζειν, inquit, *non eſt habitare in Græcia, ut doctiſſimo omnium viſum eſt, ſed Græca lingua loqui.* Sane hoc verum. Sed hæc

Scaligeri ſententia multum ab illa diſſidet Helleniſticariorum cæterorum communi, quæ omnes Iudæos exceptis Palęſtinis & Hieroſolymitanis ſtatuit ἑλληνιϛὰς appellatos. Scaliger ſolos Alexandrinos hoc nomine impertit. Alii, ut ille quem vocat Scaliger omnium doctiſſimum, cenſebant qui inter Græcos habitarent, hanc appellationem mereri ſolos. Nulla ex his tribus opinio vera. Quod enim Scaligero viſum eſt Alexandrinorum peculiare hoc eſſe nomen Iudæorum, Lucæ teſtimonio refellitur, qui Antiochenſium Helleniſtarum meminit, & Hieroſolymitanorum. Veriſimilior videretur eorum aſſertio qui in Græcia conſiſtentes Iudæos ita cenſent fuiſſe appellatos. Nec tamen ea vera. Non enim Helleniſtæ Iudæi fuere, ut ex iis quæ jam diximus patet, & mox pluribus demonſtrabitur. Addit Scaliger tertium genus πολιτείας inter Iudæos, ex Hebræis eſſe, attributis Metropoli Hieroſolymorum. Ideo τὺς Ἑβραίυς diſtingui ἀπὸ τῶν ἑλληνιςῶν cap. VI. Lucæ. Hieroſolymitanæ nempe πολιτείας Iudæos, ab iis qui Alexandrinam πολιτείαν conſtituebant. Sed id falſiſſimum. Nam, ut jam diximus, Hieroſolyma Metropolis erat illo tempore omnium toto orbe diſperſorum Iudæorum, qui & Ἑβραῖοι & Ἰσραηλῖται dicebantur, generali appellatione. Cur tamen Lucas Ἑβραίυς eo loco potius nominarit quam Ἰυδαίυς quos

Digitized by Google

ab Helleniſtis diſtingueret, infra elucidabimus. Quod ἑλληνίζειν Scaliger Græce loqui interpretatur, rectè facit, & verum eſt. Sed inde colligere debuit, omnes ἑλληνίζοντας, id eſt Grӕce loquentes, poſſe dici, & verò dictos eſſe ἑλληνιστάς. Ex quo & videre potuit ἑλληνιστὰς non debere attribui Alexandriæ ſoli, nec ἑλληνιστὰς eſſe Iudӕos, ſed omnes omnino ſermone Græco utentes. Omnes fere urbes, prӕſertim maximæ in Syria & toto Oriente, tria hominum genera habuere, Græcos, Syros, & Iudæos. Omnes Syriæ civitates à trino hoc οἰκητόρων genere incolebantur, ut Cæſarea, Hieroſolyma, Antiochia, Damaſcus, & aliæ. Alexandria præter Syros & Iudæos, etiam Ægyptios habuit. Hi ultimi erant indigenæ, reliqui coloni, Græci nempe, Syri, & Iudæi. In Syria ipſi Syri αὐτόχθονες, ut in Iudæa Iudæi. In omnibus his locis etiam ἕλληνες ſive Græci, Macedones, & alterius generis. Vbicunque Græci eſſent & Iudæi, ſæpe inter eos ſeditiones oriebantur variis ex cauſis: item inter Syros & Iudæos, nec minus inter Syros & Græcos, quorum naturale & perpetuum fuiſſe diſcidium narrat Ioſephus lib. xviii. Quod ibi de Seleucenſibus Græcis ac Syris ab eo memoratur. Σελευκέων τοῖς ἕλλησι πρὸς τοὺς Σύρους ὡς ἐπὶ πολὺ ἐν στάσει καὶ διχονοίᾳ ἐστὶν ὁ βίος. A parte Iudæorum in ea diſſenſione ſtetiſſe Syros contra Græcos dicit. In Seleucia non ſolum Macedones fuere, ſed etiam

Digitized by Google

etiam Græci omnis generis, quos à Macedonibus diſtinguit, Ioſephus eo loco: Σελεύκεια πόλις ἀξιολογωτάτη Σελεύκου, κτίσαντος αὐτὴν τοῦ Νικάνορος. οἰκοῦσι δὲ αὐτὴν πολλοὶ τῶν Μακεδόνων, πλεῖστοι δὲ ἕλληνες. ἔστι δὲ καὶ Σύρων οὐκ ὀλίγον τὸ ἐμπολιτευόμενον. De Iudęis Babylone per ſeditionem expulſis & Seleuciam confugere coactis ibi loquitur. *Vrbem ejus regionis præcipuam à Seleuco Nicanoris filio conditam*, commune tunc temporis, Macedonum, Græcorum & Syrorum domicilium, præter Iudæos. Antiochia ſimiliter Syrię ab omnium horum generum gentibus, habitata erat, Macedonibus, Græcis, Syris & Iudęis. Similiter Alexandria. Si Iudęi qui in his civitatibus habitabant, ἑλληνισταὶ dicti fuerunt, ut placet Helleniſticæ doctoribus, ἕλληνας in his fuiſſe diverſos ab ἑλληνιστὰς conſtat. Qua in re, aut quo jure? Nonne ἕλληνες etiam ἑλληνισταὶ, quatenus ἑλληνιστὴς omnis dicitur qui ἑλληνίζει, id eſt lingua Græca utitur? Si ἑλληνιστὴν eum proprie accipi volumus qui non eſt natione ἕλλην, ſed Gręco ſermone utitur, ſane ἕλληνες in Babylone, Seleucia, Antiochia, Alexandria habitantes, non fuere Gręci αὐτόχθονες eorum locorum, ideo ἑλληνισταὶ potius dicendi videntur quam ἕλληνες. Si Iudæi porro urbium prædictarum incolæ dicti ſunt ἑλληνισταὶ quod lingua Græca uterentur, etiam ἕλληνες potuiſſe appellari videntur. Nam ἕλλην etiam appellatur qui eſt

ἑλλη-

ἑλληνιστὴς tantum vel ἑλληνικός. Prototypum quippe ſæpe uſurpatur pro paragogico ac poſſeſſivo. Sic ἕλληνα πόλεμον pro ἑλληνικῷ dixit Thucydides. Nec abhorruerunt ab hac loquutione etiam recentiores Græculi, ut Photius qui ἕλληνα γλῶσσαν dixit, pro ἑλληνικῇ de Ephraimo Syro, παιδευθεὶς καὶ τὴν ἕλληνα γλῶσσαν. Polluci Ῥήτωρ ἕλλην dicitur pro ἑλληνικός. Hæc cum ita ſint, quæ futura ſit ratio differentiæ inter ἕλληνας & ἑλληνιστὰς Iudæos, non video, ſi linguæ tantum ratio ſpectatur. Exceptis enim germanis ἕλλησι, reliqui omnes ἑλληνισταὶ æque dici queunt, ob linguã ἑλληνίζουσαν, ac Iudæi. Et Iudæi ab eadem linguæ ratione ex æquo ἕλληνες & ἑλληνικοὶ quam ἑλληνισταὶ poſſunt appellari. Nam & cum de religione quæſtio eſt, ἕλλην & ἑλληνιστὴς idem ſignificat, id eſt religionis Græcanicæ cultorem. Ita ergo ἕλλην & ἑλληνιστὴς, id eſt qui Græca lingua utitur. Præterea cur Ioſephus, qui multis locis narrat ſeditiones inter Græcos & Iudæos excitatas, ut Cyrenis & Cæſareæ, & in aliis urbibus quæ Iudæos & Græcos habuere, Ἰουδαίους & ἕλληνας ſimpliciter appellat, nec unquam aliter, non ἑλληνιστὰς & ἕλληνας. Atqui ſic potius debuit, ſi omnes Iudæi alibi quam in Iudæa nati, noti fuere tunc temporis nomine *Helleniſtarum*. Vt Philonem docuimus illos Helleniſtas Iudæos ignoraſſe, ita certum eſt, non melius cognitos fuiſſe Ioſepho. Enimvero

Digitized by Google

vero ſi exules Iudæi illo ævo fuere *Helleniſtæ*, inde concludo nullos tum fuiſſe Iudęos Helleniſtas, quia nulli fuêre Iudæi exules. Nec διασπορὰ Iudæorum inter gentes, cujus mentio apud Iohannem cap. VII. & in Epiſtola priore Petri, facere poteſt, ut de ullo per ea tempora Iudæorum exilio cogitare debeamus. Nec minus in his hallucinatus eſt vir ſummus, Ioſephus Scaliger, quam in illis quæ ſupra refutavimus, dum duas Diaſporas Iudæorum conſtituit, unam Europæam, cujus meminit Iohannes loco ante citato, & alteram Aſianam, quam Petrus initio prioris Epiſtolæ commemorat. Primum nihil eſt cauſæ cur διασπορὰν Iohanni in Euangelio memoratam cap. VII. verſ. XXXV. pro Europæa accipi debere credamus. Contrarium quippe omnia ſuadent. Ἑλλήνων διασπορὰ dicitur. An per Ἕλληνας Europæi tantum intelligendi? At quis ignorat omnes Aſiæ minoris populos, & inſularum celeberrimarum ut Cypri, Cretæ, Rhodi etiam ἕλληνας nuncupatos fuiſſe, & Græcè, id eſt ἑλληνιστὶ loquutos eſſe? Præterea vox ἕλληνες, ut ibi accipitur, & in reliquis Novi Teſtamenti libris, generali notione omnes ἀλλογενεῖς & ἀλλοφύλους complectitur, qui Iudæis opponuntur. Nomen quippe religionis eſt, non regionis, & eo nomine vocantur quotquot idololatræ ſunt, & circumciſi non ſunt, quamvis Græci generis non ſint,

ſed

ſed Syri, puta, vel Parthi, vel Medi, vel Arabes, vel Indi, vel Æthiopes. Quicunque enim Ἰου-δαϊσμὸν non profitebantur, Iudæis ἕλληνες dicebantur, & totus mundus ab his dividebatur in ἕλληνας & Ἰουδαίους. Idem ergo in libris ſacris ἕλλην & ἐθνικός. Quod etſi pluribus alibi comprobatum eſt, duobus exemplis id hic confirmabimus. In Actis cap. XIIII. verſ. I. Ἕλληνες & Ἰουδαῖοι invicem ea, qua dixi, notione opponuntur, ὥστε πιστεῦσαι Ἰουδαίων καὶ Ἑλ-λήνων πολὺ πλῆθος. Paulo poſt verſ. V. ejuſdem capitis, ἔθνη appellat, quos ante ἕλληνας vocaverat, & Ἰουδαίους iis ſimiliter opponit: ὡς δὲ ἐ-γένετο ὁρμὴ τῶν ἐθνῶν τε καὶ Ἰουδαίων σὺν τοῖς ἄρ-χουσιν αὐτῶν. Clemens Alexandrinus lib. VI. Stromatωn, ἕλληνας & ἐθνικοὺς planè confundit his verbis: Νέαν ὑμῖν διέθετο. Τὰ γὰρ ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων παλαιά. Ἡμεῖς δὲ οἱ καινῶς αὐτὸν τρίτῳ γένει σεβόμενοι, χριστιανοί. σαφῶς γὰρ, οἶ-μαι, ἐδήλωσεν τὸν ἕνα καὶ μόνον θεὸν, ὑπὸ μὲν Ἑλ-λήνων ἐθνικῶς, ὑπὸ δὲ Ἰουδαίων Ἰουδαϊκῶς, και-νῶς δὲ ὑφ' ἡμῶν καὶ πνευματικῶς γιγνωσκόμενον. Ex quibus apparet ἐθνικὸν & ἕλληνα pro eodem poni, quandoquidem quod facit ἕλλην in Deo colendo, ἐθνικῶς id facere dicitur, ut Iudæus cum colit Ἰουδαϊκῶς. Plura non addam. Ergo cum ἕλληνες ibi intelligendi generaliter de quacunque natione quæ Græca non eſt, ſed eandem cum Græcis habet θρησκείαν & diverſam à Iudaica; Διασπορὰν etiam ἑλλήνων quæ ibidem

ibidem vocatur, una eſt generali ſignificatu accipienda non de gentium diſperſione, ſed de Iudæorum inter gentes. Ita enim διασπορὰν ἑλλήνων eſſe interpretandam nuper docuit amicus noſter in Confutatione Exercitationis de Helleniſtica. Sic *metus Pompeii* Salluſtio, non quo metuebat Pompejus, ſed quo metuebatur. Et *ignominia ſuperbi victoris* apud poëtam, non qua afficiebatur Victor, ſed quã inferebat. Ita ergo & διασπορὰ ἑλλήνων ἰδιωτικῶς apud Iohannem capienda eſt non de ipſarum gentium diſperſione, ſed de Iudæorum inter gentes. Deinde διασπορὰ ibi ſumitur non pro ipſa diſperſione, ſed pro loco diſperſionis. Loca illa gentium inter quas ſparſi Iudæi habitabant, vocantur διασποραί. Ita διασπορὰ ipſorum ἑλλήνων dicitur, non Ἰουδαίων, ut χώρα ἑλλήνων appellaretur. Si vero ἕλληνας propriè intelligeremus Græcos & Græce loquentes, ut putavit Scaliger, qui ex eo arguit de Europæa diaſpora eam explicandam, ſequeretur inde διασπορὰν illam, cujus meminit Petrus, non diverſam eſſe ab Europæa, quam tamen ille diſtinguit, & Aſianam intelligi voluit. Nam omnes populi Diaſporæ Petri ἑλλήνων nomine illo tempore comprehendebantur, & Græco ſermone utebantur, Pontici, Galatæ, Cappadoces, Aſiani, Bithyni. Sic enim Epiſtolã inſcribit, Ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππα-

δοκίας,

Digitized by Google

θυνίας, Ἀσίας, καὶ Βιθυνίας. Generaliter loquendo, unica erat Iudæorum διασπορὰ, qua per totum orbem inter gentes diſperſi agitabant. Hæc eſt διασπορὰ Ἑλλήνων quam vocavit Iohannes. Cæterum ut orbis ſecatur in partes plures ac provincias, ita διασπορὰ illa univerſalis dividitur in totidem minores διασπορὰς quot ſunt orbis partes & provinciæ. Hinc διασπορὰ Πόντου, Γαλατίας, Ἀσίας, Petro, quod idem eſt ac ſi dixiſſet, χώρα Πόντου, Γαλατίας, Ἀσίας, & ita de cæteris quæ ibi ſequuntur. Non igitur illa propriè Aſiana diaſpora Iudæorum, ad quam ſcripſit Epiſtolam ſuam Catholicam Petrus. Sed pars fuit univerſalis, ex illis regionibus conſtans quæ ibi enumerantur. Diaſpora autem illa Iudæorum, ne quis erret, non Exulum fuit, ſed Colonorum, nec coacta, ſed voluntaria. Ita Romani qui varias orbis à ſe domiti & nominati partes coloniis occupaverunt, ſparſiſſe quidem per orbem cives ſuos videri poſſunt, non exilio multaſſe. Vellejus lib. 1. quo loco de coloniis Romanorum agit, ubi & rationem reddit, cur Hannibale Italiam bello premente nullas condiderint, ita ſcribit: *Deinde neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis poſt exceſſum ejus annis, vacavit Romanis colonias condere, cum eſſet in bellum conquirendus potius miles quam dimittendus, & poſt bellum vires refovenda magis quam ſpargenda.* Διασπορὰ illa quæ per colonias fit,

ſit, maxime in Græcorum ſive ἑλλήνων natione intelligitur, qui à Theſſalia ac Macedonia orti, ut ſupra explicavimus, totam Greciam ſuis colonis repleverunt, nec per Græciam tantum à ſe dictã colonias ſparſerunt, ſed etiam per reliquam Europam & Aſiam. Ideo Apoſtoli, ne quis διασπορὰν illam Iudæorum de diſſipatione ac disjectione gentis acciperet, per fugam & exilia procurata, non Ἰουδαίων διασπορὰν eam nominarunt, ſed ἑλλήνων, & aliarum regionum, in quibus ita ſparſi degebant Iudæi, ut non exules aut relegati in iis cenſerentur, ſed coloni & cives, & eodem jure cum originalibus eorum locorum civibus fruentes. Quod fere ſemper in omnibus quas circa ea tempora habitandas elegerunt, civitatibus eos habuiſſe conſtat. Διασπορὰν populorum aliquam eſſe voluntariam, quæ per migrationes ſponte obitas accidit, & populum ſua voluntate per varia loca diſpergit, certo certius eſt ex iis quæ diximus. Poſt confuſionem linguarum διασπορὰ facta eſt gentium, non coactarum per vim excedere terris originis ſuæ, ſed voluntaria ſeceſſione exeuntium ad novas ſedes petendas, quia tantæ multitudini unus angulus ſufficere non poterat. Quinimo antequã turrim ędificaſſent, ex cujus conſtructione conſequuta eſt linguarum illa σύγχυσις, conſilium ceperant diſpergendi ſe illę Noacidarum familiæ, & varia petendi orbis loca, ut habetur

Digitized by Google

tur x. Geneſeos: καὶ εἶπον· δεῦτε οἰκοδομήσωμεν ἑαυτοῖς πόλιν καὶ πύργον, οὗ ἡ κεφαλὴ ἔσται ἕως τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ποιήσωμεν ἑαυτοῖς ὄνομα πρὸ τοῦ διασπαρῆναι ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. Vſi ſunt interpretes, ut vides, verbo διασπαρῆναι de ſeceſſione & migratione voluntaria, ut eæ omnes ſunt, quæ ἀποικίας fine & propoſito fiunt. Talis itaque διασπορὰ Iudæorum illo ſæculo, ut ex Ioſepho & Philone ſuprà probatum eſt. Et res ipſa id teſtatur. Quare miror ſummnm virum nuper adnotaſſe, ad locum illum Iohannis, nobiles fuiſſe duas διασπορὰς, quibus Iudæi diſperſi ſunt & extorres facti, priorem Babyloniorum, alteram Græcorum: Illam quæ ſub Chaldæis, hanc quæ ſub Macedonibus contigit. Vt de priore tranſmigratione prius agamus quæ ſub Chaldæis contigit, non poteſt διασπορᾶς nomine notari. De loco uno in alterum traducti, hoc eſt de Iudæa in Babyloniam tranſlati, nulla ratione videntur διασπαρέντες. Nam διασπαρῆναι eſt varia per loca ſpargi. Quod non poteſt de iis dici qui ſedes tantùm mutant, & de una in alteram migrant. Vt in agro ſerendo διασπορὰ fit ſeminum, quę per totum agrum vagè ac ſparſim jactantur, ita & populorum, dum ſparguntur per varias orbis partes, quas incolendas accipiunt, aut occupant. Relegati tum in Babyloniam dici debent Iudæi, non diſperſi; ἐξορισθέντες, non διασπαρέντες. Quis Græcos unquam dixit diſper-

diſperſos, aut διασπορὰν eorum nominavit, cum bello Macedonico tam multi Romam in captivitatem abducti ſunt, qui ibi ſervitutem ſervierunt? Romani eodem modo διασπαρέντες videri deberent, cum multa eorum millia Punicis bellis capta, partim Carthaginem, pàrtim in Græciam abducta ſunt. Nam & Valerius Maximus narrat, *Flaminini de Philippo rege triumphantis currum, non unum, ſed duo millia civium Romanorum pileata, comitata eſſe, quæ Punicis bellis intercepta, & in Græcia ſervientia, cura ſua collecta in priſtinum gradum reſtituerat*. Iudæi certe quamdiu in Babylonia captivi manſerunt, pro exulibus ac relegatis, non pro diſperſis cenſendi fuere. Vbi poſtliminio reverſi ſunt in patriam, hoc nomen amiſerunt exulum. Si qui ibi remanſerunt, ut decem tribus totas Ioſephus tradit reverti noluiſſe, ac manſionem in Babylonia prætuliſſe domuitioni, ſive reditui in patriam, ab eo tempore quo libertatem redeundi acceperunt, facti exinde liberi non jam pro exulibus haberi debuerunt, aut captivis, ſed pro colonis vel inquilinis, immo & civibus, earum urbium quarum incolatum poſthabita patria præoptarunt. Quod ad poſteriorem διασπορὰν attinet quam ſub Macedonibus volunt contigiſſe, ea nulla fuit. Nec enim Macedones in cauſa fuerunt, ut per omnes fère orbis partes, vagi, errones, exules Iudæi ſpargerentur. Si

qui

eorum Antiochiam aut Alexandriam ſub Alexandri ſucceſſoribus migrarunt, quantula hæc paucorum ſeceſſio, ut omnium univerſalis διασπορὰ vocari poſſit? Demus multos ſeceſſiſſe, quid tum? Neque διασπορᾶς nomen ſic meruerit, cum conſtet eam cauſam non fuiſſe cur in varias Europæ & Aſiæ regiones ſparſi ſint. Hęc vera fuit illorum διασπορὰ, quã certum eſt Macedones Reges non feciſſe, nec in cauſa fuiſſe cur fieret. Profectò cum ſemper illa gens reſtibilis ad prolem ſufficiendam fœcunditatis fuerit, poſt reditum è Babylonica captivitate, exuberantia populorum examina quę Iudæa non poſſet alere, variis temporibus in diverſos orbis tractus emiſit. Hæc unica ratio eorum διασπορᾶς, ut Philo & Ioſephus referunt, qui ἀποικίας eorum nominant, non ἐξορίζεις, nec exulationes vel relegationes. Perperam igitur, quantum judico, διασπορὰν interpretantur, eo loco Iohannis eas regiones in quibus Iſraelis poſteri exulabant, quos omnes exules *Helleniſtarum* nomine appellatos ſtatuunt etiam perverſius. Sed nec ſenſus eſt eorum Iohannis verborum, μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, quem adfingunt, *ibitne Antiochiam aut Alexandriam quo multi Iſraelitarum migrarunt ſub ſucceſſoribus Alexandri?* An dicent nomine ἑλλήνων proprie intelligendos apud Iohannem eſſe, Antiochenos & Alexandrinos? An ἕλληνες illi

Digitized by Google

ad quos docendos proficiſci velle Chriſtum conjectando hariolabantur, de ſolis Alexandriæ & Antiochiæ Græcis exponi debent? Nec ratio quã vir ille maximus adfert, ad hanc ſtruendam interpretationem hilum valet. *Hos autem*, inquit, *potius quærunt, quam de regionibus ſub Partho, quia Syria & Ægyptus minus longe aberant, à Iudæa, & plurimi inde Hieroſolyma feſtis diebus veniebant, non item ex Mediæ partibus.* An quia Media & Parthia longius ab Hieroſolymis diſſitæ, ideo de Antiochia tantum & Alexandria cogitarunt illi Iudæi, quaſi ad eas partes pergere in animo haberet Chriſtus, ut doceret ἕλληνας ibi conſiſtentes? An ideo ἕλληνες proprie eo loco intelligendi nobis ſunt Alexãdriæ & Antiochiæ cives & incolæ? Ἕλληνας docuimus ibi ſumi oportere non Græci generis & ſermonis homines, ſed omnes gentiles, ſive ἐθνικούς. Prę̨ter Alexandriã & Antiochiam alię̨ etiam prę̨ſtò fuere vicinę̨ Hieroſolymis regiones ad quas migrare potuit Chriſtus doctrina ſua ἕλληνας, id eſt gentes imbuturus, ut Meſopotomia & Arabia. Cypros inſula etiam non longe, quæ & verè dictos ἕλληνας, id eſt ἑλληνίζοντας habuit incolas. Sed propinquitas & longinquitas tractuum nihil hic facit. Nonne potuit Chriſtus etiam ad longinquiora contendere, ut in Parthiam & Mediam, ex facilitate commeandi & navigandi quæ tunc erat? Præterea falſum eſt ex Antiochia & Alexandria plurimos

Digitized by Google

mos tum veniſſe Hieroſolyma diebus feſtis, ex provinciis quæ ſub Partho, nullos. Id refellitur teſtimonio Lucæ in Actis Apoſtolorum tradentis in feſto Pentecoſtes non ſolum Pamphylos, Cappadocas, Aſianos, Ponticos, Phrygas, Cyrenenſes, Romanos, Cretas, Arabes adfuiſſe Hieroſolymis, ſed etiam Medos, Parthos, Elamitas & Meſopotamenos plurimos. Quid de Roma dicemus? Nonne potuerunt ſuſpicari illi Iudæi de Christo eum etiam Romam cogitaſſe cum diceret, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.* Immo ex his verbis magis videri potuit Chriſtus de itinere longinquiore cogitaſſe quam de loco propinquiore, quò ire ſibi deſtinatum diceret. Et cum reſponderunt Iudæi mentem ejus haud capientes, ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι, ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; *Quo hic iturus eſt, quia non inveniemus eum?* ſatis oſtenderunt ſe ſuſpicari eum loqui non de aliqua facili & ad proxima loca peregrinatione, ſed in remotiſſimam aliquam regionem ad quam ipſi nõ poſſent contendere, nec eum invenire. *Potuit* ſcilicet ipſis in mentem incidere Chriſtum verbis illis, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. Ubi ego ſum, non poteſtis eo venire, Alexandriam aut Antiochiam eum velle ſecedere. Quaſi ſcilicet expeditum non fuiſſet Iudæis, eò quoque tendere, & ibi eum invenire. Fuſiùs ideo hæc diſcutienda putavi,

ut magis diluceret, nullos tunc temporis Iudæos fuiſſe Exules, ac proinde nullos *Helleniſtas*, quoniam *Helleniſtas* interpretantur de Iudæis omnibus exulibus, Exules autem omnes fuiſſe hariolantur, præter eos qui in Palæſtina & Hieroſolymis habitarent. Qui autem captivitatem Babylonicam διασπορὰν priorem fuiſſe Iudæorum ſibi perſuadent, quid facient de Ægyptiaca quæ antiquior fuit? Numquid & illa διασπορὰ eorum cenſenda? Ita videtur, ſi διασπορὰν accipiamus, ut putant ſumendam. Atqui διασπορὰ non eſt ullius populi qui in uno reſidet loco, quamvis ibi ſerviat, vel relegatus & concluſus hæreat. Certiſſimum eſt porro, Iudæos poſt liberationem è Babylonica captivitate nunquam ſe pro Exulibus reputaſſe antequam urbs ſancta caperetur à Romanis, & funditus cum ipſo templo everteretur. Poſt urbem dirutam & templum à fundamentis everſum tum verè capti, exules & extorres ſibi viſi ſunt Iudæi. Adrianus demum Imperator, in iiſdem veſtigiis quibus antiqua urbs ſtetit, ſed alio loco, urbem, non camdem, quia aliam, ædificandam curavit, quam & ſuo nomine *Æliam* appellavit, coloniſque novis replevit Græcis ac Romanis. Tempus illud omne quod ab ęquata ſolo urbe ſancta, & templo diruto uſque in hodiernum diem interceſſit, Iudæi ſolent appellare ימי גלות *dies exilii*. Quod non ante ſoliti dicere

ac

ac fateri. Cum urbs antiqua templumque maneret, ſi obtinebat illa diſtinctio Iudæorum Helleniſtarum, qui exules habebantur quia inter gentes habitarent, & Iudæorum Hieroſolymitanorum, qui vocabantur Hebræi, quid huic diſcrimini factum fuit, ubi omnes unius conditionis Iudæi eſſe cœperunt, adempto illis templo, & urbe ſancta erepta, & communis mater ac Metropolis omnium ubique conſiſtentium Iudæorum cenſebatur? An dicemus evanuiſſe hanc omnem differentiam, inter exules, & non exules Iudæos, ubi omnes extiterunt exules? Ita ſane oportet. Quid ergo? An quia exules qui erant, dicebantur *Helleniſtæ* proprio nomine, ubi omnes exules facti ſunt, omnes quoque nuncupati ſunt *Helleniſtæ*? Hoc etiam neceſſe eſt. Nunc nullum ergò habemus Iudæum niſi Helleniſtam, quia nullus eſt qui exul non ſit. Reſpondeant ad hoc ſi poſſunt Helleniſticarii, aut nobis edant, quando cœperit Helleniſtarum appellatio de Iudæis extorribus, quando deſierit, & quæ ratio exigat ut hoc nomen etiam competat Iudæis, Parthis, Perſis, Syris, Romanis, Armeniis, Gallis, Italis, Hiſpanis, Germanis, Polonis, Indis, Arabibus, & omnibus omnino gentium omnium & urbium quæ ſub cælo ſunt, & linguis inter ſe diſſonant. Hanc differentiam Iudæorum Helleniſtarum, & Hebræorum, ſi poſſunt ullo teſti-

 mónio

Digitized by Google

monio vel Græcorum auctorum, vel Iudæorum ipſorum aſſerere, tum ego fatebor libens operam eos, atque oleum in hac quæſtione tractanda non perdidiſſe, nec, quod pejus eſt, famam. Iam dicam quæ diſtinctio Iudæorum à Iudæis ipſis facta ſit, & quo diſcrimine ſignati. Vniverſitatem Iudæorum toto orbe diſperſorum Iudæi in duo genera diviſerunt, in Palæſtinos & Babylonios. Quæ diviſio ex re inducta ab eo tempore quo reduces facti ſunt è Babylonia. Libertate quippe accepta in patriam remeandi, partim ea uſi ſunt, partim uti recuſarunt, quibus acceptius fuit in Babylonia manere. Totæ decem tribus ex duodecim ibi ſubſtiterunt, duæ tantum redierunt. Beniaminis nimirum tribus & Iudæ. Inde illa nata diſtinctio Babyloniorum & Palæſtinorum Iudæorum, cujus meminit Beniaminus in Itinerario ſuo. Et apparet differentiam eam ejus ætate duraſſe. Nam in Mitſraim urbe Ægypti duas tum Synagogas fuiſſe ait, unam אל שאמיין id eſt Iudæorum Syrorum ſive Palæſtinorum, alteram אנשי בבל, Babyloniorum, quæ & כניסה אל עיראקיין, id eſt *Synagoga Al Irbakiim*, Irakenſium ſive Babyloniorum. Ex hac generali Iudæorum diſtinctione, præter quam nulla alia fuit, manifeſtum eſt, exceptis Babyloniis Iudæis cæteros omnes qui per Europam & Aſiam ſparſi agitabant, Palæſtinos ſive Syros dictos, quia è Palæſtina erant oriundi, & per colonias

Digitized by Google

in varias Europæ & Aſiæ partes è Iudæa migraverant. Hi ſunt de quibus loquitur Ioſephus, quos rediiſſe ſolos è captivitate Babylonica tradit, & per Europam atque etiam Aſiam exinde ſparſos, Romanorum Imperio fuiſſe ſubjectos. Ita enim ſcribit lib. XI. ὁ δὲ πᾶς λαὸς κατὰ χώραν ἔμεινε. διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακουούσας· αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶ τοῦ Εὐφράτου ἕως δεῦρο μυριάδες ἄπειροι καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι. *Omnis autem multitudo Iſraëlitarum in ea regione manſit. Quapropter duæ tantum tribus per Aſiam atque Europam ſub Romano degunt Imperio: Decem autem reliquæ tribus uſque in hodiernum diem ultra Euphratem colunt, infinita hominum millia, nec numero comprehendenda.* De ſua ætate loquitur, qua non dubium eſt obtinuiſſe illam Iudæorum diviſionem de qua Beniaminus, in Babylonios & Palæſtinos. Hoc demum ſæculo nata eſt illa differentia Hellenistarum & Hebręorum Iudęorum, quā nulla noverunt ſæcula. Nunc id agimus ut εἰς τὸ ἀφανὲς, καὶ τὸ μηδὲν, unde prodiit, redeat. Hebræorum appellatio antiquiſſima ab auctore Hebero, quæ ad omnes pertinuit ejus gentis homines, etiam tum cum captivi à Babyloniis tenerentur, & cum Ægyptiis ſervirent. Recentiſſima Iudæorum, quæ ſimiliter omnes comprehendebat tam in Europa & Aſia ſub Romanorum Imperio degentes, ultra

Euphratem in Parthorum ditione conſiſtentes. Videndum jam cur cum ubique in ſacris libris *Iudæi* nominentur, in hoc Actorum loco Lucas maluerit eos ἑϐραίους indigetare ubi eos ab Helleniſtis diſtinguit. Nam ut ἑλληνιστὰς ab Hebræis cap. VI. diſcrevit, ita duobus aliis locis eoſdem Helleniſtas à Iudæis dividit, cap. IX. & cap. XI. ut alibi demonſtratum eſt. Ergo inde liquet Iudæos & Hebræos eoſdem eſſe. Quod & à Paulo confirmatur qui in poſteriore ad Corinthios cap. XI. ſe ἑβραῖον eſſe prædicat. ἑϐραῖοί εἰσι; κἀγώ. *Sunt Hebræi? & ego.* Atqui Paulus unus ex his qui in diaſpora inter gentes degebant. Iam ergo ex his conſtat *Helleniſtas* non fuiſſe Iudæos, nec Hebræos, quandoquidem ab utriſque à Luca diſtincti ſunt. An gentiles fuerint, ut quidam opinati ſunt, videndum. Non fuiſſe vel unico argumento probatur. Nondum verbum Dei prædicabatur gentibus, nec iis Eccleſia Chriſti patebat. Nec vero paſſi eſſent Eccleſiæ tum Hieroſolymitanæ Hebræi Iudæive gentiles ſibi aſſociari, qui non æquo animo tulerunt, quod Petrus ad Cornelium eſſet ingreſſus. Præterea in ſacra Scriptura gentiles ſemper Ἕλληνες vocantur. Ipſe Lucas nunquam aliter vocat, ut cap. XIIII. verſ. I. ὥστε πιστεῦσαι Ἰουδαίων τε καὶ Ἑλλήνων πλῆθος, id eſt, *Iudæorum & gentilium multi crediderunt.* Et cap. XVIII. Διελέγετο δὲ ἐν συναγωγῇ κατὰ πᾶν σάββατον, ἔπειθέ τε

Ἰουδαίους

Ἰουδαίους καὶ ἕλληνας. Et alibi paſſim. Non igitur iidem Ἕλληνες & ἑλληνισταί. Hi ἑλληνισταὶ qui Eccleſiam Chriſti naſcentem Hieroſolymis compoſuerunt cum Hebræis, nec gentiles fuerunt, nec origine Iudæi. Gentiles non tuliſſent tunc Hebræi, quia incircumciſos ſecum in eadem congregatione ac conventu verſari paſſi non eſſent. Ergo tales fuiſſe neceſſe eſt, qui nec Iudæi eſſent origine, nec gentiles religione. Medium hujuſmodi gentis inter Iudæos & gentiles nullum, niſi proſelytorum. Hi gente extranei, religione Iudæi. Et certè cum tam magnus eſſet numerus eo tempore proſelytorum, mirum videretur, ſi nemo ex his ad fidem acceſſiſſet, cum multi Iudæi converſi ad Chriſtum forent. Tempore feſti Pentecoſtes inter Iudæos qui Chriſti diſcipulos verbum prędicantes audiebant, fuiſſe etiam proſelytos ſcriptum reliquit Lucas, cap. II. καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, Ἰουδαῖοι καὶ προσήλυτοι. Aliis etiam locis junctim meminit Iudæorum & Proſelytorum, ut cap. XIII. verſ. XLIII. λυθείσης δὲ τῆς συναγωγῆς, ἠκολούθησαν πολλοὶ τῶν Ἰουδαίων καὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων. Non ergo mirum, immo magis mirum ſi non eſſet, Eccleſiam tunc Chriſti compoſitam fuiſſe ex Iudęis converſis & proſelytis Græcis, quos ἑλληνισταὶ Lucas appellavit. Helleniſtas porro illos proſelytos fuiſſe, vel ſaltem quoſdam eorum, ipſe Lucas fidem facit, qui paulo poſt teſtatur in-

ter ſeptem Diaconos Helleniſtas & ex Helleniſtarum corpore electos unum fuiſſe *proſelytũ Antiochenum*, nempe Nicolaum. Καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα. Etiam ſi daretur unicum hunc ex omnibus fuiſſe proſelytũ, inde tamen conſtaret quoſdam proſelytos ἑλληνιστὰς eſſe appellatos. Sic ἑλληνιστῶν hæc appellatio communis eſſet tam Iudęis quam Proſelytis. Quod nequaquam veriſimile videtur. Quis præterea nõ videt quod Nicolaus è numero ſeptem diſertis verbis vocatur Proſelytus Antiochenus, id eo ſignificari reliquos fuiſſe proſelytos Hieroſolymitanos. Hieroſolymis illa Eccleſia coacta eſt, ut in ea urbe conſiſteret & maneret. Conſtitiſſe ergo probabile eſt ex incolis Hieroſolymitanis qua Iudęis qua proſelytis. Nec à vero alienũ eſt inter Proſelytos Hieroſolymitanos, hoc eſt Hieroſolymis natos, aliquot etiam in ea urbe cõmoratos aliunde oriundos, ut de Nicolao dicitur qui Antiochenus fuit proſelytus, id eſt Helleniſta Antiochenus. Paulò ante docuimus nõ ſolùm Hieroſolyma, ſed etiam pleraſque urbes Syrię, Babyloniæ & Orientis, in quo Macedones imperarunt, habuiſſe Græcos, Syros, & Iudæos. Communi nomine cum de religione agitur tam Græcos quam Syros gentiles, ἕλληνας à ſacris ſcriptoribus appellari. Si qui ex Syris & Græcis ad Iudaiſmum ſe conferrent, & eam religionem capeſſerent per circumciſionem, προσηλύτους

eos eſſe appellatos. Per proſelytiſmum inſeri ſolitos Hebrææ & Iudææ genti, ac novos fieri Iudæos. Qui ex Græcis proſelyti fierent, ἑλληνιστὰς vulgo dictos à ſermone quo uterentur, & quia non veri Græci eſſent utpote in Syria nati, ideo Ἑλληνιστὰς potius quam ἕλληνας appellatos. Præterea ad fugiendam nominis ὁμωνυμίαν quia tunc ſcriptores ſacri gentiles eo nomine deſignare ſolerent, ideo potius ἑλληνιστὰς quam ἕλληνας à Luca vocatos. Quod ad Hebræos attinet, qui opponuntur ab eodem Luca Helleniſtis, idcirco potius ἑβραίους dictos qui ad Chriſti fidem converſi eſſent, quia appellatio Ἰουδαῖος religionem proprie denotat, non tantum gentem. Nam & proſelyti qui Iudaiſmum erant amplexi, nomine Ἰουδαίων etiam comprehendi ſolebant. Hinc cum Ἰουδαῖοι & ἕλληνες ſimul appellantur, & invicem opponuntur, nomine Ἰουδαίων omnes Ἰουδαΐζοντας intelligi certum eſt, etiam qui genere & origine Iudæi non eſſent, ſi modo eſſent tales religione. Et recte Theophylactus Ἰουδαίων appellatione comprehenſos interpetatur, προσηλύτους καὶ Ἰουδαίους ἐκ προγόνων. Nomine quippe ἑλλήνων, id eſt gentilium non poterant proſelyti cenſeri qui ſe Iudaiſmo dediderant, & ἑλληνισμὸν, id eſt ἑλληνικὴν θρησκείαν ejurarant. Proſelyti igitur Iudæi religione, quia Ἰουδαΐζοντες, veri autem Iudæi, Ἰουδαῖοι ἐκ προγόνων, ab origine à ſtirpe Iudæa oriundi.

Eos

Digitized by Google

Eos Clemens Alexandrinus, ἀνέκαθεν ἑβραίους appellat, id eſt ab ultima origine Hebræos. Chryſoſtomus βαθεῖς ἑβραίους interpretatur, ad diſtinctionem novitiorum Hebræorum ſive Iudæorum, qui per proſelytiſmum inſerebantur Iudæorum & Hebræorum genti, religionis ratione quam amplexabantur. Sic enim exponit ἑβραίους Lucæ, qui ab Helleniſtis diſtinguuntur, ad illum locum, ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. Ἑλληνιστὰς, inquit, τοὺς ἑλληνιστὶ φθεγγομένους λέγει, καὶ τοῦτο σφόδρα σαφῶς. ἐκεῖνοι γὰρ οἱ ἄλλοι οὐδὲ ἰδεῖν αὐτὸν ἤθελησαν, οἱ βαθεῖς ἑβραῖοι. *Nam illi alii, Hebræi ab ultima origine, ne videre quidem illum ſuſtinuiſſent.* Ideo contuliſſe ſermones dicitur cum Helleniſtis, & ipſis religione Hebræis ac Iudæis, per circumciſionem nimirum in eorum gentem aſcitis, id eſt proſelytis. Iſti, βαθεῖς ἑβραῖοι iidem ſunt cum iis quos Clemens ἀνέκαθεν ἑβραίους appellavit, & Theophylactus, ἀπὸ προγόνων Ἰουδαίους. Cæterum quia ibi ſermo erat de Iudæis fidelibus, ideo Lucas ἑβραίους potius antiquiſſima appellatione ac prope exoleta cenſuit appellandos magis quã Ἰουδαίους, quo nomine religio ut plurimum ſoleret ſignificari Iudaica. Inde Ἰουδαΐζειν in Epiſtola ad Galatas cap. II. verſ. XIIII. Iudaicam religionem profiteri. Εἰ σὺ Ἰουδαῖος ὑπάρχων ἐθνικῶς ζῇς, καὶ οὐκ Ἰουδαϊκῶς, τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις Ἰουδαΐζειν; In eadem Epiſtola cap. I. v. XIII.

Ἰουδαϊσ-

Digitized by Google

Ἰουδαϊσμὸν poſuit pro Iudaica religione: ἠκούσατε γὰρ τὴν ἐμὴν ἀναστροφήν ποτε ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ. *Audiſtis converſationem meam aliquando in Iudaiſmo.* Et paulo poſt: καὶ προέκοπτον ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς συνηλικιώτας ἐν τῷ γένει μου. *Et proficiebã in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo.* Id eſt in genere Hebræorum. At Ἰουδαϊσμὸν de Iudaica religione dixit, quam ſe tum ejuraſſe profitetur, nec amplius Iudæum eſſe, quantum ad legis obſervationem & θρησκείαν. Ideo ſe Ἑβραῖον vocat in Epiſtola priore ad Corinthios cap. XI. verſ. XXII. quia non amplius nimirum Iudæus erat, reſpectu religionis, ſed Ἑβραῖον ſe eſſe dicit gentis ac generis ratione. Et quia de Iudęis ibi loquitur fidelibus & ad Chriſtum converſis, ſimiliter ita ſe cum his comparat ut etiam Ἑβραίους appellet. Ἑβραῖοί εἰσι; κἀγώ. Ἰσραηλῖταί εἰσι; κἀγώ. σπέρμα Ἀβραάμ εἰσι; κἀγώ. Hæc omnia genus & ſtirpem reſpiciunt, non religionem. Nec enim Ἑβραΐζειν & Ἑβραϊσμὸς de religione dicitur, ut Ἰουδαΐζειν & Ἰουδαϊσμὸς, ſed de genere. Sic cum opponuntur in Scriptura Ἰουδαῖοι & Ἕλληνες, reſpectu religionis eos opponi certum eſt. Alioquin ſi natale ſolum ſpectatur, multi etiam Iudæi, Ἕλληνες fuere, utpote in Græcia nati, & à loco originis ſuæ, ut ſupra notavimus, appellati. Ea de cauſa idem Paulus cum ad fideles Iudæos ſcriberet, non inſcripſit Epiſtolam ſuam πρὸς Ἰουδαίους, (hoc

enim

enim nomine πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας ſcripta po-
tuiſſet videri) ſed πρὸς Ἑβραίους. Quo nomine
gentili Iudæos jam Chriſtianos, & non am-
plius Iudaizantes intellexit. Vt probabile eſt
autem, non ex Græcis tantum proſelytis ad
Chriſti fidem adductis conſtitiſſe Eccleſiam
Hieroſolymitanam, ſed etiam ex Syris, quæ
duo maxime genera Græcorum & Syrorum
cum Iudæis Hieroſolyma incolebant, nomine
Hebræorum certum eſt etiam Syros proſely-
tos jam Chriſtianos cum Iudæis fidelibus fuiſ-
ſe à Luca comprehenſos. Cum enim nomen
Ἑβραῖος ſit nomen generis potius ac linguæ
quam religionis, eadem lingua utentes Syros
cum Hebræis illius temporis Hebræorum et-
iam appellatione à Luca intellectos omnimo-
dis mihi perſuadeo. Nam & Ἑβραῖς διάλε-
κτος dicitur in iiſdem Lucæ Actis de Syrorum
quod tunc ab Hieroſolymitanis uſurpabatur
idiomate, Iudæis eo tempore familiari. Vt
enim Iudęorũ appellatio, cum religio intelli-
gitur, tam veros Iudęos, quam inſitivos com-
prehendit: ita nomen *Hebræorum* complectitur
omnes Hebraiſmo utentes Iudæis tunc fami-
liari, qui ad fidem converſi fuerant tam ex
Iudæis quam ex proſelytis Syris, eadem lingua
loquentibus, Hebraica ſive Syriaca tunc tem-
poris appellata. Ergo Ἑβραῖοι apud Lucam
ſunt tam Syri proſelyti quam Iudæi religione
Χριστιανίζοντες, & ſermone Ἑβραΐζοντες, ſive

Συριά-

Digitized by Google

Συϱιάζοντες. Qui his opponuntur Ἑλληνισαὶ, non alii poſſunt eſſe quam Proſelyti ἑλληνίζοντες, & Χϱιςιανίζοντες. Nam Eccleſia Chriſtiana Hieroſolymis tum primum collecta & ſuccreſcens ex his duobus generibus conſtabat, ex Iudæis & proſelytis. Proſelyti duorum generum erant, Syri & Græci. Quæ duo genera Hieroſolymis tum maximè frequentia. Syri, quia eodem ſermone utebantur cum Iudæis, ideo cum Ἑϐϱαίοις una appellatione à Luca comprehenſi ſunt. Græci proſelyti ab eodem non eo tantum loco, ſed aliis prætereà duobus qui à nobis allati ſunt, ἑλληνισαὶ vocati. At ipſe Paulus ubi de religione Chriſtiana quæſtio non eſt, Ἰουδαῖον ſe eſſe dicit, non Ἑϐϱαῖον, ut in cap. XXII. verſ. XXXIX. in oratione qua uſus eſt ad Tribunum: ἐγὼ ἄνθϱωπος μὲν εἰμὶ Ἰουδαῖος, Ταϱσεὺς τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως πολίτης. Alibi Iudæus eſt, alibi Hebræus. Unum ergo idemque eſt Hebræum eſſe & Iudæum. Sed Iudæi, ut dixi, appellatio ad religionem magis pertinet, Hebræi ad gentem. Sermone Græco alloquutus eſt Tribunum, non Helleniſtico. Ideo Tribunus ei dixit: Ἑλληνιςὶ γινώσκεις; *Græcè noſti?* Sic vertendum, non *Helleniſticè*. Idem populum ex permiſſu Tribuni alloquutus eſt Ἑϐϱαΐδι διαλέκτῳ, id eſt Syra, tum familiari Iudæis. Ita Hebraicè ſcivit Paulus & Græcè, ut omnes ferme eo tempore Iudæi in Græcia nati, ſed & in

Syria,

Digitized by Google

Syria, quæ propter Macedonum & Græcorum Imperium non minus familiarem tunc habuit linguam Græcam quam Syriacam. At Helleniſtæ illi de quibus hic agimus, Græce tantum fuere gnari, ut qui eſſent origine Græci & Hebraice imperiti, per proſelytiſmum adſciti in gentem ac religionem Iudaicam. Non poſſe meliorem expoſitionem nominis *Helleniſtarum* cogitari nec reperiri, certum eſt. Nullo quippe auctore probare queunt Helleniſticarii, Iudæos diviſos eſſe in Helleniſtas & Hebræiſtas. In loco Lucæ Helleniſtæ non poſſunt accipi de gentilibus. Reſtat ergo ut ſint Græci proſelyti, hoc eſt de proſelytis Græce loquentibus Chriſtiani. Ab his Helleniſtica lingua qualem definiunt, nullo modo poteſt dicta nec deducta videri, Græce utpote tantum ſcientibus, Hebraicè ignaris, lingua Hebraïſmis referta.

AD VI. QVÆSTIONEM, an Helleniſtica lingua ſcriptum ſit Vetus aut Novum Teſtamentum, & an idem ſtilus ſit Veteris ac Novi.

SVMMARIVM.

Septuaginta Seniores non fuerunt tales Helleniſtæ, quales volunt patroni illius dialecti; neque Aquila, Symmachus, Theodotion. Sed illi Iudæi Hieroſolymitæ, hi Iudaizantes hæretici. LXX *interpretum verſio integra*

Digitized by Google

tegrè hodie non extat. Origines Theodotionis illi immiſcuit. Ejus corruptela illuſtre exemplum. Diſcrimen inter authores qui vertunt ex alia lingua, & qui aliqua per ſe ſcribunt. Ephraimi Scripta Syriaca, malè in græcum ſermonem verſa. De libris Novi Teſtamenti. Idioticum characterem ubiq; præferunt: Scriptores illorum non fuerunt tales Helleniſtæ. Chriſti diſcipulos non fuiſſe uſos verſione LXX. *Apoſtolos tantum omnibus illis linguis locutos quandiu ignea illa lingua iis inſederunt. Petrus Marco interprete uſus cum ad alios quàm Hebræos loqueretur. Epiſtola Pauli ad Hebræos ſermone Hebræo ab ipſo ſcripta. Apoſtolos, excepto Paulo, neſciſſe græcum ſermonem. Teſtimonia ex Hebræo textu citaſſe, non* LXX *verſione, probatur aliquot argumentis.*

REſtat ergo jam, ut diſpiciamus an Helleniſtica illa lingua ſcriptum ſit V. ac N. Teſtamentum. Hoc non poteſt videri verum, niſi intelligatur ab illis Helleniſtis tranſlata, quales ab his ſunt definiti. Helleniſtas nempe eos eſſe vocatos dicunt Iudæos qui inter gentes exulabant. Ab nullis talibus Helleniſtis V. Teſtamentum cōverſum liquet. Septuaginta ſeniores qui primam & antiquiſſimam verſionem Græcam ediderunt non fuêre Helleniſtę, ſed veri, ac germani Iudęi & Hebręi, Hieroſolymitani. Reliquos interpretes *Iudaizantes hæreticos* appellat Hieronymus, *Aquilam, Symmachum* & *Theodotionem*. Aquilā idem Hieronymus Iudęum videtur facere. Sed Epiphanius Græcū facit, Sinopenſem ex urbe Pontica, qui cum primo Chriſti fidem amplexus fuiſſet, poſtea ad Iudaiſmum

Digitized by Google

declinavit, linguæ Hebrææ operam dedit, & ſic ad vertenda Græce Biblia animum appulit. Theodotion quoque Græcus Ponticus, ex diſciplina ſectaque ac ſucceſſione Marcionis Hæreſiarchæ, proſelytus & ipſe Iudæorum factus, eorum linguam edidicit, & Editionem novam ſacræ Scripturæ dedit, ſimplicitate ſermonis, ut ait Hieronymus, id eſt idiotiſmo, non diſſimilem tranſlationi Septuaginta interpretum. Symmachus etiam proſelytus Iudæorum fuit, Samaritanus, ut quidam volunt, ut aliis placet, Græcus, neutro modo Helleniſtes. De quinta & ſexta editionibus non liquet à quibus procuratæ ſint. Nec ergo conſtare poteſt an ab Helleniſtis, ut vulgo accipiuntur, eæ tranſlationes manarint. Ex his ſex Græcis Editionibus Bibliorum, quæ olim ſolæ prodierunt, nulla eſt quam Helleniſtica lingua poſſis affirmare contextam, quia nullus auctor earum Helleniſta fuerat, ſed omnes aut Hebræi germani, aut genuini ac veri Græci; illi qui linguam Græcam didicerant, iſti qui Hebræam. Non poteſt dici Helleniſticum quod auctor non ediderit Helleniſta. Ab Attico ſcriptore eſt Atticæ linguæ χαρακτὴρ, ab Ionico Ionicæ, & ita de cæteris. Ergo ab Helleniſta, qualem depingunt, Helleniſticæ ἑρμηνείας ἰδέα debet effingi, & exprimi. Si nemo Helleniſta, prout ab ipſis χαρακτηρίζεται, auctor atq; editor extitit tranſlationum Biblicarum,

rum, nulla eſt quam poſſint prò Helleniſtica nobis obtrudere. Septuaginta interpretum verſionem vulgò habent iſti doctores Helleniſticarii pro norma linguæ Helleniſticæ, quos tamen conſtat non fuiſſe Helleniſtas. Demus fuiſſe. Iam ſciri non poteſt qualis Helleniſtica eorum fuerit, cum ætate Hieronymi pura non extaret eorum interpretatio. Nam tunc, ut idem affirmat, pro varietate regionum diverſa ferebantur exemplaria, & germana illa antiquaque tranſlatio corrupta habebatur atque violata. *Alexandria*, inquit, *& Ægyptus in Septuaginta ſuis Heſychium laudat auctorem. Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Media inter has provincia Palaſtinos codices legunt, quos ab Origene laboratos Euſebius & Pamphilus vulgaverunt, totuſque orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat.* Alio loco dicit, Septuaginta interpretum exemplaria lacerata eſſe & inverſa, ipſam eorum varietatem demonſtrare. An emendatior & ſincerior hodie extat? Immò ſi quid mihi creditur, quod aliter eſſe non poteſt, multo impurior, & vitioſior. Sed & incertum, an, quæ pro tali hodie circumfertur, tribuenda illis ſit. Si eſt, nemo pro ſincera eam poteſt venditare. Quod etiam hac ratione accidit. Origines in Hexaplis ſuis, Theodotionis verſionem, quod neſcio an aliquis adhuc obſervaverit, miſcuerat & inſeruerat verſioni τ̃ Septuaginta. Sic

Digitized by Google

enim interpretandum eſt quod aliquot locis ſcriptum reliquit Hieronymus Præfatione in Pentateuchum: *Quod ut auderem, Origenis me ſtudium impulit, qui editioni antiquæ tranſlationem Theodotionis miſcuit, aſteriſco & obelo omne opus diſtinguens.* Antiquam editionem vocat tranſlationem Septuaginta interpretum, à qua non multùm diſcordabat Theodotionis editio, ut idem alibi ſcripſit Hieronymus. Eam editionem Theodotionis non appoſuit tantùm antiquæ, ſed etiam miſcuit, obelis & aſteriſcis diſtinguens quæ eſſent Theodotionis, & quæ Septuaginta interpretum. Non aliam capit interpretationem quod idem auctor poſuit in Præfatione ad librum Paralipomenon, his verbis: *Origenes non ſolùm exemplaria compoſuit quattuor Editionũ è regione ſingula verba deſcribens, ut unus diſſentiens ſtatim cæteris inter ſe conſentientibus arguatur, ſed quod majoris audaciæ eſt, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis deſignans quæ minùs fuerant, & virgulis quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita.* Tetrapla illa compoſita erant ab Origene ex quattuor Editionibus, Septuaginta nempe interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quæ ita concinnaverat, ut è regione ſingula verba cujuſque editionis deſcripta viſerentur, una ſerie quaſi columnatim, ut nunc loquuntur, vel κατὰ στῖχον juncta. Præter hanc τετραπλῆν ex quatuor verſionibus contextam compoſitionem, Theo-

dotionis

ditionis Editionem totam inſeruerat Septuaginta interpretum Editioni, eo modo quo dicit Hieronymus. Sic non ſolùm eam adtexuit Septuaginta interpretum verſioni, ſed etiam intexuit. Inde eſt quod multis locis ejus verſionis, quæ hodie nobis pro genuina τῶν ſeptuaginta interpretum datur, duæ ſimul ejuſdem rei ſententiæ verbis variantes exhibeantur. Quod non aliunde potuit proficiſci quam ex duabus illis Editionibus ab Origene mixtis. Cujus vitii illuſtre exemplum dedimus in libro de Trapezitico fœnore ex xxiii. Deuteronomii, ubi ſic legitur, οὐκ ἔσται πόρνη ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται πορνεύων ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Deinde ſubjungitur ſtatim, οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Quæ idem omnino ſonāt, ſed aliis verbis, cum præcedenti complexu. Vt inde liqueat, poſteriora hæc verba eſſe ex altera verſione. Vtra dicemus ex his ſeptuaginta eſſe interpretum, priora an poſteriora? Vtra etiam Helleniſtica? Vtraque, an neutra? Certe Theodotion genere Græcus fuit, non Helleniſta. Septuaginta interpretes vere Hebræi fuêre, id eſt Palæſtini, & quidem Hieroſolymitani, ac proinde Iudæi, non Helleniſtæ. Expediant hic ſe & nos, ſi poſſunt, Helleniſticarii. Præterea ſolum Pentateuchum, à LXX. converſum eſſe multi idonei auctores affirmant. A

 quibus

quibus ergo petenda erit Prophetarũ & ἀγιογράφων Helleniſtica? An ab illis qui nec magis Helleniſtæ fuêre quam ſeptuaginta ſeniores? Ioculare eſt quod & Ioſephum inter Helleniſtas reponunt. Atqui ille Hieroſolymitanus, Matthatiæ filius ex genere ſacerdotali. Si placet Helleniſtam eſſe, at quantopere diſtat ejus Helleniſtica à Biblica? Etiam Philo Helleniſta illis eſt. Et verius hic quidem ex eorum definitione. Nam Alexandrinus. Stilus tamen ejus melius concordat cum Ioſephi ſermone, qui Helleniſta tamen non fuit, quam cum Bibliorum tranſlatoribus. Atqui nec iſti Helleniſtæ. Sic Helleniſtas habemus auctores qui non ſcripſerunt Helleniſticè, & Helleniſticam è contra ab illis procuſam Scriptoribus qui non fuêre Helleniſtæ. *Cæteri omnes*, inquiunt, *adeo Iudæi qui Græco ſermone quid conſcribebant, hac lingua Helleniſtica uſi ſunt, excepto Pilone & Ioſepho.* Ridiculum & vanum. An omnes qui olim Græcè ſcripsêre, Iudæos legerunt? An omnes hodie extant? E contrario aſſerere ego fidenter auſim ac verè, Iudæos omnes olim qui Græcè docti fuêre, & aliquid eo ſermone ſcriptum ediderunt, non aliter ſcripſiſſe quam Philonem & Ioſephum. Alia ratio eſt idiotarum & Græcè imperitorum vel ſemidoctorum Iudæorum, aut eorum qui adſtricti verbis ac phraſibus auctorum Hebræorum quos in Græcum transferendos ſuſce-

ſuſceperant, idiotiſmos illius linguæ ex qua vertebant, Græcè expreſſos reddiderunt. Eſt enim & quidam ἑρμηνευτικὸς χαρακτὴρ eorum proprius & peculiaris qui de alia in aliam linguam Scripta alicuius auctoris converterunt. Vix enim fieri poteſt quin ex ea lingua unde vertitur, in eam qua vertitur, lineamenta ipſa transfundantur, quibus alia pæne evadit ſcribendi idea à communi ejus linguæ, in quam ſermo alterius tranſlatus eſt. Sic qui ex patre nigro ſeu Æthiope natus eſt, & matre alba, imaginem plerumque utriuſque parentis ita mixtam refert, ut colorem facie præferat nec atrum nec album, ſed ex utroque temperatum, fuſcum. Aliud eſt in eo qui Græcè non mediocriter doctus eſt & libero campo decurrit, nulli alligatus tranſlationi, linguæ tantum unius qua ſcribere propoſuit, lineas reddit ſine ulla mixtura alterius Characteris. Ita Philo Iudæus ſcripſit, ita Ioſephus. Ita Agrippa Iudęus grandē illam Epiſtolam ad Cajum pro patrię defenſione, quę legitur apud Philonē. Ita Iuſtus Iudęus Tiberienſis cujus & meminit Ioſephus cui σύγχρονος & ἀντιπολιτευόμενος fuit, hiſtoriamque etiam, ut ille Iudaicam, conſcripſit. Ita Ariſtobulus Iudæus Peripateticus, Epiſtolam ad Ptolemęum Philometorem. Ita Ezechiel vetus poëta Iudæus, qui tragœdiam de Moſe compoſuit. Ita Beroſus Chaldæus hiſtoriam compoſuit,

Digitized by Google

poſuit, ita Manethon Ægyptius, ita Apion, ita omnes Rhetores Syri ac Sophiſtæ. Nam quamdiu flos Sophiſtarum ac Rhetorum fuit, plures eorum ex Syria oriundi fuêre quam ex quacunque alia natione, ut eorum vitas apud Philoſtratum & Eunapium evolventibus patebit. Aliter ſane Græcè ſcripſere ſeptuaginta Seniores, Aquila, Symmachus, Theodotion, Ieſus Siracidæ nepos. Quare? Quia Hebraica in Græcum convertebant, & quia etiam idiotæ erant & vulgare tantum idioma callentes. Sed quomodocunque ea quæ ex alieno tranſtulerunt verterint, Græcè tamen vertiſſe intelligendi ſunt, quoniam Græcis verbis uſi ſunt. Nec aliter quiſquam veterum de his tradidit quam Græcè eos loquutos eſſe, & Græcè ſcripſiſſe ea, quæ tranſlata reliquerunt. Sed id jam ſupra ſatis oſtendimus. Epiphanius Ieſum illum qui vertit Panareton avi ſui Siracidæ, quamvis impuriſſimo ſermone Græco redditum ſit, ἑλληνιστὶ tamen tranſlatum dixit, in libro de Ponderibus. Αἱ γὰρ στιχήρεις δύο βίβλοι, ἥ τε τοῦ Σολομῶντος, ἡ Πανάρετος λεγομένη, καὶ ἡ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ υἱοῦ Σιρὰχ, ἐκγόνου δὲ τοῦ Ἰησοῦ, τοῦ καὶ τὴν σοφίαν ἑβραϊστὶ γράψαντος, ἣν ὁ ἔκγονος αὐτοῦ Ἰησοῦς ἑρμηνεύσας ἑλληνιστὶ ἔγραψε. *Græcè interpretatus ſcripſit.* Ἑλληνιστὶ Græcè, non Helleniſticè. Vnica ſed luculento Photii teſtimonio evinci poteſt, quantum tranſlationes ab archetypo mutent,

mutent, præcipuè ſi ab aliquo curatæ ſint imperito, vel ab eo qui verbum verbo reddere non ſenſum ex ſenſu exprimere laboret. Ephraimi Syri Monachi ſermones diſertiſſimè Syriaca lingua ſcripti extabant ejus ætate, adeo ut non tantum propter ſenſus profundos & eruditos à doctis legerentur, ſed etiam propter elegantiam ſermonis, à Syriacæ linguæ ſtudioſis requirerentur. Qui Græce eos tranſtulerat, tam humili, vulgari & idiotico ſtilo expreſſos ediderat, ut nec ſententiarum pondus, nec figurarum varietas, nec eloquutionis majeſtas & gratia in Græco appareret, ſicut in Syriaco eminebat. Ejus hæc verba ſunt: ἡ δὲ λέξις καὶ τὰ σχήματα οὐ θαυμαστὸν εἰ πρὸς τὸ κοινότερον τῆς ὁμιλίας, καὶ ἠμελημένον νένευκεν. Οὐ γὰρ εἰς τὸν γεννήτορα τῶν νοημάτων, ἀλλ' εἰς τὸν ταῦτα μεταφρασάμενον, ἡ αἰτία διαβαίνει. Ἐπεὶ οἵγε τῆς Σύρας φωνῆς τὴν ἀκρίβειαν ἠσκημένοι, ἐπί τε τούτων ταῖς λέξεσι, καὶ τοῖς σχήμασιν αὐτοὶ ἴσασιν εὐδοκιμῆσαι, ὡς ἀμφήριστον εἶναι, πότερον διὰ ταῦτα, ἢ διὰ τὸν ἐν αὐτοῖς νοῦν, ἡ τοσαύτη χάρις καὶ δύναμις τῶν ἐκείνου πρόσεστι λόγων. Οὐ θαυμαστὸν οὖν ἡ τῆς φράσεως ταπεινότης, ἀλλ' ἐκεῖνο θαυμαστὸν, ὡς καὶ διὰ χυδαιότητος τοιαύτης ῥημάτων τηλικαύτη σωτηρία καὶ ὠφέλεια τοῖς προσέχουσι προχεῖται. Vt robur corporis & pulcritudo, & habitus nitens etiam ſub pannucea veſte, qua obſitum eſt corpus, ſæpe apparet: ita Ephraimi orationis ſen-

Digitized by Google

tentiarum vis & dictionis nitor etiam emicabat extra viles plebeiæ, & impuratæ verſionis ac ſordidos pannos. Idiota ſermones eos in Græcum converterat, qui Syriaſmos omnes cum ſuis lineamentis expreſſerat, & verbis Græcis de trivio petitis eos reddiderat. Hinc illa χυδαιότης Photio notata, quæ in Metaphraſte tantum fuit, nõ in auctore ipſo. Quod ad Novi Teſtamenti libros attinet, ea cauſa quoque afferri poteſt cur multum diverſo ab elegantiore & puriore Helleniſmi loquendi genere conſcripti ſunt. Ab idiotis quippe partim compoſitos dicere licet, partim à metaphraſtis, & ipſis non admodum Græci ſermonis peritis. Hinc idioticum ubique Characterem præferunt, aut ἑρμηνευτικὸν, aut ex utroque mixtum. In iis quæ tranſlata eſſe liquet ex Hebraico illis temporibus familiari, longe major Hebraiſmorum copia invenitur quam in aliis, quæ Græcè tantum edita ſunt, quamvis & in iſtis etiam reperiantur, propter idioma Græci ſermonis illis in locis uſitati quod ex Syriaco propter Syrorum converſationem multa traxerat. Helleniſtica autem lingua ſcriptos illos Novi fœderis libros nemo dicere poteſt niſi qui inſanire paratus ſit, & quod in rerum natura non fuit, hariolari. Primum ex ea definitione Helleniſtarum quam ipſi excogitarunt, non poſſe dici Helleniſtas à quibus ſacri libri, unde fidem diſcimus,

Digitized by Google

mus, ſcripti ſunt, abunde probatur. Galilęos fere omnes fuiſſe ex Palæſtina, ſatis certum eſt. Vnde in miraculo linguarum quod feſto die Pentacoſtes ab Apoſtolis deſignatum eſt, qui eos loquentes audiebant, inter ſe dicebant, οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι; An & Galilæos Iudæos inter exules & diſperſos referri velint Helleniſticarii, neſcio. Ipſi nobis ſignificent. Paulus cum illis Galilæis Chriſti diſcipulis non aderat, utpote nondum converſus. Nec ipſe ſane Galilæus, ſed Tarſenſis ex Cilicia. An propterea Helleniſta? Ita fuit, ſi ſtemus eorum definitioni, & editioni Baſilicæ vel Tyrannicæ potius Helleniſticariorum, qui uno elogio omnes Iudęos qui Palæſtini non erant, exules fuiſſe pronuntiarunt. Atqui ipſe Paulus alibi ſe Ἑβραῖον aſſerit, alibi Ἰουδαῖον, nullibi, ἑλληνιστήν. Quin immò in Actis traditur cap. IX. eum diſputaſſe cum ἑλληνισταῖς. Ex quo ſatis clarum eſt nec ipſum fuiſſe Ἑλληνιστήν. Nullus ergo eorum qui libros Novi Teſtamenti conſcripſerunt, Helleniſta fuit. Nec ergo ulla ratio eſt, qua ſuſpicari adigamur, Helleniſtico ſermone compoſitum eſſe Novum Teſtamentũ, quod ab Helleniſtis non eſt ſcriptum. Præterea longe alius Novi Teſtamenti character quam veteris, quem tamen Helleniſticum quoque fuiſſe volunt, nos negamus, & non eſſe probavimus. Nam in Novo multæ voces Romanæ,

manæ, multæ phraſes Latinæ occurrunt, quæ nuſquam in vetere comparent. Quod enim ſibi perſuadent, ſcriptores Novi Teſtamenti multum verſatos fuiſſe in lectione verſionis τῶν LXX. atque inde hauſiſſe Helleniſticiſmum ſuum, ut ſic loquamur, à veri regionibus plurimum aberrant. Non enim uſi ſunt verſione Septuaginta interpretum, qui Novi Teſtamenti libros conſcripſerunt, Chriſti diſcipuli, ſed Hebraico textu. Vnde enim Galilæis, uti erant fere omnes, & oriundo Hebræis Græcanica tranſlatio? Vt erant Galilæi, Galilæo etiam ſermone uſos eſſe conſtat ex Actis Apoſtolorum ca. II. ubi narratur miraculum linguarum, quod ab Apoſtolis patratum eſt. Sic enim qui eos audituri advenerant, inter ſe loquuntur, οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι; *Nonne ecce omnes qui loquuntur, Galilæi?* Galilæo ſermone loqui alias ſolitos eſſe qui Galilæi eſſent, hæc omnino indicant. At mirabantur Græci qui aderant, ita eos à ſe intelligi, quaſi Græce loquerentur. Similiter & Parthi, Medi, aliarumque nationum homines haud ſecus quæ ediſſertabant, intelligebant, ac ſi Parthicè aut Medicè concionarentur, aut ea lingua quam quiſque eorum qui intererant, callebat. Nec dicendum eſt ex eo miraculo quod tunc in iis operatus eſt Spiritus ſanctus, donum linguarum ita accepiſſe Apoſtolos, ut deinceps omnia loque-
larum

Digitized by Google

larum genera, quę in toto orbe frequentabantur, calluerint, & uſurparint. Non enim veriſimile eſt ultra illum diem duraſſe vim illam quam Spiritus ſanctus iis afflavit, tantiſper locum habituram, quamdiu linguæ igneæ ſingulis diſtributæ ſuprà cujuſque caput inſediſſe dicuntur. Sic enim ſcribitur: καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, quaſi igneæ, ſeditque ſupra unumquemque eorum.* Quamdiu igitur ſederunt ſuper ipſos linguæ, hoc perficiente Spiritu ſancto, linguis omnibus feruntur loquuti. Ablatis linguis ceſſavit miraculum, & deſierunt loqui linguis. Sequitur enim ſtatim: Καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδου αὐτοῖς ἀποφθέγγεσθαι. *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat illis eloqui.* Falluntur ergo qui putant ab illo miraculo Apoſtolis infuſam fuiſſe virtutem variis loquendi linguis, quas non didiciſſent. Fama eſt eos qui poſſidentur à dęmoniis, ſæpe multas externas uſurpare linguas, quas non noverunt, ſed inſpiratione expirata, dæmonio ejecto, in antiquum redeunt, nec amplius ſermones eos profantur, quos ſpiritu maligno ſuggerente effutiebant. Nec mirabitur ex diverſa cauſa eundem produci effectum qui meminerit,

quid

quid actum ſit circa baculorum in ſerpentes converſionem tam à Moſe quam ab Ægyptiis ſapientibus. Spiritus non unus, eadem tamen operabatur. Si Petrus ab eo tempore quo in feſto Pentecoſtes divino afflatu inſtinctus variis loquebatur linguis, quid opus habuit Græcarum litterarum interprete quem veteres omnes patres ei aſſignant, nempe Marco? Pro vero ſane tenendum eſt, omnes fere diſcipulos Chriſti & Apoſtolos, ut erant idiotæ & plebeii, piſcatores nimirum, nautæ & portitores, non aliam noviſſe linguam præter vernaculam, hoc eſt Galilæam, & Syriacum idioma quod in illa regione obtinebat. Etſi enim multi in Syria & Iudæa Græcè ſciebant, hoc ad infimæ plebis homines nihil attinebat qui vernaculam tantum noverant, Græcè prorſus ignari. Nec eam niſi ſero admodum videntur plerique eorum didiciſſe, poſtquam juſſi ſunt ad gentes pergere, Euangelium Chriſti iis prædicaturi. Sed & plures ex iis veriſimile eſt per interpretem Græcis & Romanis Euangelium adnunciaſſe, exceptis ſiqui Græce noverant utpote inter Græcos nati, quod de Paulo certum eſt. At quid opus habuit Petrus linguæ Gręcæ cognitione, cui mandata eſt ἀποστολὴ Iudæorum, qui omnes tunc temporis Syriace & Hebraice intelligebant? Hinc, ut dixi, veteres Marco eum interprete uſum eſſe tradunt. Ideo & Euan-

gelium

Digitized by Google

gelium quod ꝟ Marcum inſcribitur, Petrum habere auctorem veterum pleriſque creditum eſt, ut à Petro nimirum ſcriptum, à Marco Græce verſum. Idem dicere fas eſt de Epiſtola ejus Catholica priore, quam credo à Petro Galilæa lingua vel Syriaca illius temporis dictatam, à Marco ejus interprete Græce tranſlatam, ut ſic & Græcis ad fidem converſis prodeſſet. Sic Epiſtola Pauli ad Hebræos, Hebraico, id eſt ſermone tunc in Syria uſitato ſcripta fuit, & ab alio verſa, quem quidam Clementem fuiſſe volunt, alii alium. De Matthęi Euangelio non dubitatur, & Hebraice ſcriptum ab auctore fuiſſe, ab interprete vel Marco vel alio in Græcum converſum. Ita & Iacobus teſte Hieronymo, *unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Idem de aliis dixerim, Iudæ, & Iohannis Epiſtolis. Paulum unum excipio qui in Græcia natus, linguam Græcam æque aut magis familiarem habuit quam Hebraicam vel Syriacam. Græce neſciiſſe Apoſtolos vel uno vincitur argumento, quod ex Septuaginta interpretum verſione teſtimonia non citarunt, ſed ex Hebraico textu. Ea cauſa eſt cur non concordent Scripturę loci qui ab his Gręce allegantur cum verſione Septuaginta ſeniorum. Cum enim ab ipſis auctoribus ex He-

braico

Digitized by Google

braico deprompti ſint, & ab interpretibus, qui ſcripta eorum convertebant, Grȩcè reddita, ex eo contigit, non uſquequaque convenire Græca verba locorum Scripturæ quæ ab iis proferuntur, cum Græcis tranſlationis per Ptolemæum curatæ. Si quando vero concordant, id eo factum videtur quod interpretes in illis reddendis interdum adhibuerunt ſeptuaginta Senum verſionem, in cujus lectione verſati erant. Poſtquam enim patuit gentibus ad Eccleſiam Chriſti acceſſus, per Spiritum ad gratiam vocatis, Apoſtoli qui genere Galilæi & Hebræi erant, comites & adjutores habuerunt in miniſterio prædicandi Euangelii, partim Græcos Syriæ vernaculos qui etiam Syriace noverant, partim Syros quibus & lingua Græca ex converſatione Græcorum in Syria conſiſtentium erat notiſſima. Interpretibus iis utebantur ad Græcè convertenda, quæ ipſi Hebraicè vel Syriace dictaverant. Apoſtolos ex Hebraico textu teſtimonia produxiſſe, non ex verſione ſeptuaginta interpretum, clarius eſt, quam ut demonſtrari debeat. Nam & multa citant quæ non reperiuntur in ea Tranſlatione, ſed in Hebraico tantum. Non meis verbis hoc dicam, ſed ipſius Hieronymi cujus hæc ſunt, ex Præfatione in Pentateuchum. *In Euangeliſtis*, inquit, *& Apoſtolis multa de veteri inſtrumento legimus quæ in noſtris codicibus non habentur, ut eſt illud:* Vocavi ex

Ægypto

Digitized by Google

Ægypto filium meum. *Et*, Quoniam Nazaræus vocabitur. *Et*, Videbunt in quem compunxerunt. *Et*, Flumina de ventre ejus fluent vivæ aquæ. *Et*, Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt quæ præparavit Deus diligentibus ſe, *& multa alia. Interrogemus ergo eos ubi hæc ſcripta ſint, & cum dicere non potuerint de libris Hebraicis proferamus.* Vide quæ apud eum ſequuntur. Item Præfatione in librum Paralipomenon: *Chriſtus Dominus noſter utriuſque Teſtamenti conditor, in Euangelio ſecundum Iohannem.* Qui credit, *inquit*, in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Vtique ſcriptum eſt, quod Salvator ſcriptum eſſe teſtatur. Septuaginta non habent. Apocrypha neſcit Eccleſia. Ad Hebræos igitur revertendum eſt, unde & Dominus loquitur, & diſcipuli exempla præſumunt.* Si Iohannes, qui tamen Græcè ſcripſiſſe putatur, exempla de vetere ſcriptura ut in Hebraico ſunt, non ut in Græca verſione habentur, depromit, cur non potius Hebraicè quoque eum ſcripſiſſe arbitrabimur qui teſtimoniis utatur Hebraicis? Vt Iudæus & Syrus Palæſtinus origine fuit, ita veriſimile eſt linguam vernaculam Palæſtinæ, & Hebræam melius calluiſſe quam Græcam & peregrinam. Legebat Scripturam Hebraicè ex qua & teſtimonia producebat, non ex ipſa verſione Septuaginta interpretum. Cur ergo non credimus eum potius illa lingua ſcrip-

Digitized by Google

ſiſſe qua legebat Scripturam, quàm ea quam non videtur tenuiſſe, ſaltem minus quam Syriacam? Scribebant igitur Apoſtoli idiomate ſuo, & lingua ſibi familiari & vernacula, quæ protinus à Syris ἑλληνίζουσι vel Græcis ipſis ad fidem converſis, quos ſecum habebant Euangelii prædicandi adjutores & adminiſtros, in Græcum transferebantur. De quibuſdam hoc certò compertum eſt, de aliis ignoratum, quia non proditum: de omnibus tamen veriſimile eſt, quia de quibuſdam verum eſt. Non enim diſpar ratio eorum, qui gente ac genere & vocatione ac munere pares. Inde illi Syriaſmi quibus totus conſperſus eſt Novi Teſtamenti Græci textus ex charactere nimirum ἑρμηνευτικῷ, quo de verbo ad verbum expreſſa peragitur tranſlatio. Nec alio ferme uti ſtilo conſueverunt, qui cum duas calleant linguas, unam ex duabus melius norunt, ſi quando ea quam minus callent, ſcribere velint. Quod de Paulo & Luca licet aſſerere, qui utriuſque linguæ periti, in eam qua ſcripſerunt, ex altera phraſes & genera loquendi transfuderunt. Minus tamen frequentibus eorum ſcripta ſcatent Syriaſmis, quam ea quæ ex Hebraico vel Syriaco tranſlata ſunt. Et hanc differentiam ſtili in Græce tranſlatis & merè Græcis notavit aliquot locis Hieronymus. Colligamus ergo ex ſupra dictis ſtilum quo ſcripti ſunt Novi
Teſta-

Digitized by Google

Teſtamenti libri, nec eſſe, nec dici poſſe Helleniſticum, quandoquidem Helleniſtæ non fuerunt, à quibus compoſiti ſunt.

Ad VII. Quæstionem, & ultimam quo nomine nuncupanda ſit lingua Novi Teſtamenti.

Summarium.

Lingua græca idea qua ſcripti libri Novi Teſt. idiotica. Quis ſit Idioticus ſtylus ſecundum Ariſtotelem. Veteris Teſtamenti dictio partim ἑρμηνευτικὴ, partim Macedonica. Veteres ſtylum utriuſque Teſtamenti nunquam vocarunt Helleniſticum. Concluſio hujus Libri, nullam eſſe Helleniſticam dialectum.

Vltima ſuper hæc quæſtio, ut ſciamus, & id neſcientibus intimemus, quo nomine nuncupanda ſit ea linguæ Græcæ forma vel ἰδέα qua Novum conſcriptum eſt Teſtamentum. Hoc ſi à me quærere nunc inſtituant Helleniſticarii in promptu & ad manum reſpõſio eſt. Quales ipſi fuêre, tale & loquendi genus habuerunt. Non fuêre autem Rhetores, non poëtæ, non aulici, non Philoſophi, nec Sophiſtæ, nec Hiſtorici, nec omnino docti homines, vel ex eorum genere quopiam qui in excolendo & expoliendo ſermone verſari ſolent. Idiotæ plane ſermone fuêre, ſed non

Digitized by Google

ſcientia, ut ipſe de ſe fatetur Paulus. Ergo ſtilus eorum idioticus, ut poëtarum poeticus, Rhetorum Rhetoricus, Sophiſtarum Sophiſticus, Aulicorum aulicus, Hiſtoriæ ſcriptorum hiſtoricus. Patres omnes Græci Latinique ἰδιώτας, ἀγροίκους, ἀμαθεῖς, ἀγραμμάτους, ſermone imperitos, ruſticos, illiteratos eos appellant, qui tamen dicendo confutarunt τοὺς φιλοσόφους, τοὺς ῥήτορας, τοὺς δεινοὺς εἰπεῖν. Hinc eorum dictionem iidem patres vocare ſolent ἀγροικιζομένην, σολοικίζουσαν, βαρβαρίζουσαν & ἰδιωτικήν. Et rationem reddit Iſidorus ſatis idoneam, cur verbum Dei hujuſmodi ſermone plebeio & communi gentibus adnuntiatum ſit, lib. 11. Epiſt. v. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἀνθρώποις ἐνομοθέτει ἀσθενέσι τυγχάνουσι, καὶ ἀνθρωπίνων δεομένοις λόγων, οὕτω γὰρ ῥαδίως τὰ ὑπὲρ αὐτοὺς νοῆσαι ἠδύναντο, ἰδιωτικαῖς λέξεσιν ἐκέρασε τὰ θεῖα μαθήματα. *Quoniam autem hominibus natura infirma & imbecillis leges ferebant, qui humanis opus habebant verbis; Sic enim facile conſequi poterant, quæ captum ipſorum ſuperabant; idcirco idioticis & incultis loquutionibus cæleſtem temperavit doctrinam.* Trivialem & *ſordidum* ſermonem Arnobius appellat quo conſcriptæ ſunt Novi Fœderis Tabulæ, *barbariſmis* & *ſolæciſmis obſitum.* Nihil neceſſe eſt plura congerere teſtimonia, quę affatim ab aliis collecta ſunt. Ἰδιωτικὸς ſermo idem cum κοινῷ & vulgari. Nam ἰδιῶται proprie dicuntur homines

de

de plebe, indocti, & ſolo ſermone utentes, quo vulgus utitur, in converſatione communi, quemque pueri à nutricibus ſuis imbiberunt. Galenus in III. Commentario ad VI. Epidemiarum. Λευκόνοτον ab Idiotis ait vocari qui Homero ἀργεστὴς νότος dicitur, à quo nubila ſæpe diſpelluntur & ſerenitas inducitur: Cumque Notus aliâs ſoleat udus eſſe, hic ſudus eſt. Φαίνεται γὰρ ἐνίοτε ξηρὸς γινόμενος, ὃν καὶ προσαγορεύουσιν ἰδιῶται Λευκόνοτον. De eo intelligendus Horatius in his verſibus:

Albus ut obſcuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos.

Ἰδιωτικὸς ſtilus qualis ſit optime explicavit Ariſtoteles in libro de Poëtica. Ex propriis fere verbis & in uſu communi tritis conſtat, ideo humilis eſt, ſed clarus, utpote ab omnibus intellectus. Λέξεως δὲ, inquit, ἀρετὴ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι. Orationis virtus eſt, ut clara ſit, ſed non humilis. Σαφεστάτη μὲν οὖν ἐστιν, ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων ἀλλὰ ταπεινή. Maxime perſpicua eſt quæ ex propriis verbis conſtat, ſed eadem humilis. Talis eſt ἰδιωτικὴ, cui opponit τὴν σεμνὴν, quæ tranſlatis utitur, & peregrina admiſcet vocabula. Σεμνὴ δὲ, inquit, καὶ ἐξαλλάττουσα τὸ ἰδιωτικὸν, ἡ τοῖς ξενικοῖς κεχρημένη· ξενικὸν δὲ λέγω, γλῶτταν καὶ μεταφορὰν καὶ ἐπέκτασιν, καὶ πᾶν τὸ παρὰ τὸ κύριον. Et paulo poſt, τὸ μὴ ἰδιωτικὸν τῷ ἰδιωτικῷ opponit.

Digitized by Google

Οὐκ ἐλάχιστον δὲ μέρος συμβάλλονται εἰς τὸ σαφὲς τῆς λέξεως, καὶ μὴ ἰδιωτικὸν, αἱ ἐπεκτάσεις, καὶ ἀποκοπαὶ, καὶ ἐξαλλαγαὶ τῶν ὀνομάτων. Si quis autem orationem totam contexat ex tranſlationibus aut ex peregrinis vocabulis, ænigma inde exiſtet, aut βαρβαρισμός. Si ex tranſlatis, ænigma: ſi ex vocibus peregrinis, barbariſmus. Ἐὰν μὲν οὖν ἐκ μεταφορῶν, αἴνιγμα. Ἐὰν δὲ ἐκ γλωττῶν, βαρβαρισμός. Atqui idiotarum ſermo ut plurimum propriis verbis cõſtat, ſæpe tamen peregrina etiam & γλώττας admiſcet ab exterorum commercio aut apud ſe conſiſtentium, aut inter quos ipſi verſantur. Inde in idiotiſmo Græcorum eo ævo quo ſcriptum eſt Novum Teſtamentum tam multæ voces Romanæ, quæ totidem βαρβαρισμοὺς in eo ſcripto pepererunt. Nam ut ait Ariſtoteles, ἐκ τῶν γλωττῶν βαρβαρισμός. Omnis autem peregrina vox orationi inſerta, γλῶττα eſt. In loquelam porro idiotarum maxime cadit definitio dialecti quæ dicitur ἐθνικὸς vel τοπικὸς γλώσσης χαρακτήρ. Nam in unaquaque gente plures idiotæ. Definitio autem cujuſque rei de pluribus. Et cum dialectus idioma ſit gentis vel civitatis, idioma proprie idiotarum, quorum longe maximus numerus in ſingulis gentibus ac civitatibus. Interdum vel totæ gentes ex idiotis, ubi non eſt alter altero doctior. Vbi ſunt docti, ſolent iidem eſſe rariores, & numero vincuntur ab

idio-

idiotis. Docti autem quod loquuntur, vel ex antiquitate accerſunt, vel ex libris hauriũt, vel dictionem ex humili attollunt, novatis vocibus tranſlatis, figuratis, aut extraneis, ut ſic ἀπὸ τοῦ ἰδιωτικοῦ recedant. At idiotæ ea loquela utuntur, quæ communiter & paſſim in ſua gente aut civitate frequentatur. Aut plurium eſt aut omnium idioma idiotarum. Vbi nulli docti ſunt, omnium eſt. Quare magis iis competit definitio Dialecti, quæ ad plures pertinet aut omnes, τοὺς λαλοῦντας in unaquaque natione vel populo. Ejuſdem porro linguæ plura πολλὰ ἰδιώματα; & inter ſe diverſa. Vt linguæ Græcæ, eo tempore quo Novum editum eſt Teſtamentum, totidem fere idiomata, id eſt idiotarum differentes λαλιαὶ, quot populi vel civitates vel inſulæ in Græcia. Græci quidem ſermonis κοινότατος per ea tempora χαρακτὴρ fuit, quod plurimas qua voces qua phraſes ex latio admixtas haberet ob Romanorum univerſalem dominationem. Cæterum quod attinet ad cujuſque nationis peculiarem dialectum cujus proprietas in vocibus ſingulis cernitur, unicuique populo vel civitati ſua fuit, alia quam vicinorum. Sic Græcorum in Syria conſiſtentium aliud extitit idioma. Nam & præter Romanas voces ac phraſes, etiam non paucas à Syris mutuatas acceperat. Aliud in Caria erat. Nam Strabo notat Carum ſermonem tempe-

ratum fuiſſe Græcis ac barbaris vocibus. Aliud Cilicum. Hinc πέρπερον & περπερεύεσθαι ab eorum dialecto mutuatum eſſe Paulum veteres notarunt. Nullus denique in Græcia populus aut urbs fuit, quin innumeras voces habuerit peculiares non alibi uſitatas. Quod innumeris, ſi opus eſſet, teſtimoniis poſſet comprobari. Sed nolo molem hujus libri extendere. Concludamus igitur non Helleniſticum fuiſſe ſtilum N. Teſtamenti, ſed partim Idioticum Syriacũ, partim ἑρμηνευτικόν. Nam Syriaſmos ex utroq; habet, ſed pręcipue ex verſionis genere. Phraſium autem rationem nihil facere ad idiomatum differentiam conſtituẽdam jam ſupra docuimus. Veteris Teſtamenti dictio partim etiam ἑρμηνευτική, quod eloquutionem ſpectat, ex Hebræo ad verbum expreſſam, partim Macedonica propter Macedonum in Ægypto & Syria ſub Alexandri ſucceſſoribus firmatum imperium. Ex omnibus porro rebus, quæ oppidò mihi mirandæ videri poſſent, hanc vel maximè admiratione dignam judicarem, ſi Veteres auctores Helleniſticam dialectum noviſſent, & ejus tamen nominatim nõ meminiſſent. Aut noverunt eam, aut ignorarunt. Si noverunt, hoc etiam ſcire debuerunt propriam eſſe Veteris ac Novi Teſtamenti hanc linguam, qua &. conſcriptum fuerit. Cur ergo, quoties loquuntur de ſtilo utriuſque Teſtamenti, nunquam ἑλληνιστικὸν

cum

eum appellarunt, ſed ἰδιωτικὸν & ἑλληνικόν. Ita certe ἑλληνικὸς, ut ſit etiam ἰδιωτικός, hoc eſt Græcorum idiotarum, vel alienigenarũ ἰδιωτικῶς Græcè loquentium, id eſt imperite, & phraſes nativæ ſuæ loquelæ verbis Græcis idioticis induentium. Si hodie excitarentur à mortuis priſci illi auctores Eccleſiaſtici qui Novi ac Veteris Teſtamenti libros commentationibus ſuis illuſtrarunt, quid dicerent, ſi in hodiernis noſtrorum Criticorum commẽtariis aut Notis legerent: *Helleniſtæ ſic loquebantur. Hæc vox Helleniſtarum eſt. Hæc dictio Helleniſtica. Vocabulum eſt hoc ſignificatu lingua Helleniſtica proprium.* Riderent, mirarentur, an ſtomacharentur, an omnia ſimul? Mirarentur ſane, alii cum riſu, partim cum ſtomacho extremis his temporibus ſuſcitatam gentem in mundum veniſſe, Criticorum ventoſo natam cerebro, quæ in rerum natura non erat, quo tempore vixerunt. Tunc noti non erant, ſed nec nati Helleniſtæ, cum vixiſſe putantur. Nunc demum prodeunt in ſcenam, quaſi hodie atque heri geniti, ubi nulla gens uſpiam extat, quæ Græcè loquatur. Latebant ea in ætate qua ſcribebant & vitã agebant, omnibus doctis ignorati. Habebantur tamen eorum ſcripta, manibus terebantur, ſalus ab his & vitæ æternæ doctrina hauriebatur, cum neſciretur quænã eſſet lingua qua concepta erant, & quinam illi eſſent Helleniſtæ qui linguam

Digitized by Google

Helleniſticam condidiſſent, & ſacra volumina eo ſermone compoſuiſſent. Tale acumen eſt mortalium hoc tempore ævum agitantium, ut pervideant quod priſcis inviſum & inaudi-tum. Tandem igitur concluſum habeamus neceſſe eſt, quod abunde probavimus, nullam Helleniſticam fuiſſe dialectum, quia nulla gens fuit, populus nullus qui ea uſus ſit, nullus locus certus, aut regio, in qua uſui fuerit: Quia Helleniſticæ nullus Veterum meminit: Quia nulli Helleniſtæ Hebræi à quibus Græco-hebræa hæc lingua denominari potuerit: Quia Helleniſtæ non fuêre illi, à quibus conſcripta ſunt Veteris Teſtamenti volumina, ut nec illi, à quibus ſcripti ſunt Novi Fœderis libri: Quia Helleniſtica lingua non ſcripſerunt, nec LXX. interpretes nec alii Bibliorum tranſlatores, nec Apoſtoli: Quia deniq; Helleniſtica vocabulum nihili eſt, nulla ratione nec auctoritate confictum, temere & perperam procuſum eo ſenſu quo nobis obtruditur, haud melius ſonans quam Hebraiſtica lingua aut Atticiſtica, aut Ioniſtica.

S E-

Digitized by Google

SECVNDA PARS,

DE

LINGVÆ GRÆCÆ ORIGINE ET DIALECTIS.

CAPVT I.

SVMMARIVM.

Propoſitio eorum quæ hic deinceps explicanda. Communē linguam Græciæ non fuiſſe dialectum. Multos communi ea lingua ſcripſiſſe, imprimis Polybium. Illam tamen non fuiſſe cuiquam populo peculiarem. Univerſa Græcia ſermone in quatuor dialectos fuit diviſa, Atticam, Ionicam, Doricam, Æolicam. Nulla gens olim fuit in Græcia quin ad aliquod horum idioma, quantum ad linguam attinet, reduci poſſit. Principium generis & linguæ penes Hellena; cujus quatuor gnati commigrantes has dialectos pepererunt. Ab una γενικῇ plures ſubinde propagatæ εἰδικαί. Idem in Burgundica Dialecto obſervatum. Tam γενικαὶ quam εἰδικαὶ dialecti gentem ſuam habent aut populum. Κοινὴ dialectus dicta, à nulla gente nomen ducit. Ἑλληνὶς vel ἑλληνικὴ vel ἑλλὰς etiam vocatur. Ἕλληνες aliquando in una tantum parte Græciæ dicti. Hellas urbs Theſſaliæ. Pelaſgi. Argivi. Thucydidis locus explicatus. Pelàſgi olim barbaro ſermone uſi, ex Herodoto. Ἕλληνες quando primum com-

Digitized by Google

communiter dicti. Macedni. Stephanus correctus. De Pindo diſquiritur urbe an monte. Doris regio: ejus quarta urbs Pindus. Herodotus intellexit montem. Μακεδνὸς, Μακεδὼν *&* Μακέτης *ſunt Synonyma. Nominis ratio.* Δρυοπὶς *qua Heracleia Phthiotidis. Quando græci ſint appellati Dores: etiam antequam in Peloponneſum deſcenderent. Lectio Thucydidis emendata. Dubia aliquot ſolvuntur. Deucalionis & Pyrrha hiſtoria: eorum filius Hellen. Pelaſgorum & Græcorum inter ſe comparatio. Strabo diſſentit ab Herodoto de Pelaſgis. Illius ſententia firmamenta. Argos duplex. Achæorum origo è Theſſalia. Peloponneſus primo Ægialia dicta, deinde Ionia. Iones antiquiores incolæ Peloponneſi quam Pelaſgi. Hellen imperium Æolo filiorum natu maximo reliquit, reliquos extra patriam emiſit. Achæi in Theſſalia: in Creta, Pelaſgi Peloponneſiaci è Theſſalia oriundi. Græci ante dicti quam Hellenes.* Τῶν ἑλλήνων *nomen prævaluit per Græciam & de Græcia. Æmonia.* Πύῤῥα *non* Πυῤῥαία *legendum in verſibus Rhiani. An duo fuerint Pelaſgi uno eodemque tempore, unus in Peloponneſo, alter in Theſſalia, diſquiritur: Diluvium Deucalionis tempore. Pelaſgos è Theſſalia poſt diluviũ veniſſe in Peloponneſum. Clementis Alexand. locus emendatus. Theſſaliæ nomen recentius. Longè probabilius Pelaſgos Theſſaliæ Peloponneſiacis nomen & originem dediſſe quam contra. De Inacho. Phoroneus primus mortalium. Duo cataclyſmi traduntur in Græcia.* Ἄδηλον *quid ſignificet. Vnus tantum cataclyſmus in Græcia credendus: is à græcis adumbratus ex vero, quem S. Scriptura tradit. Arcades magnam jactant antiquitatẽ. In Peloponneſo nulla umquam alia lingua uſurpata niſi Æolica & Dorica, vel ex utraque mixta. De Api & Apio. Græciæ univerſa antiquiſſima* τὰ Θετταλικὰ *&* Φθιωτικά: *Clementis locus correctus. Prometheus in Scythia regnavit.* Λυκώρεια *vicus Delphorum.*

Abſo-

Digitized by Google

ABſolutis ſeptenis de lingua, ſi lingua fuit, Helleniſtica quæſtionibus, & expoſitis rationibus & argumentis omnibus cur nec fuiſſe unquam in rerum natura, & hominum loquela talem dialectum cenſeri debeat, jam tempus eſt ut explicemus originem & dialectos linguæ Græcæ varias. Sic enim melius conſtabit de eo quod poſuimus, linguam Helleniſticam, quæ populum nullum habuit auctorem ac fundum, qui ea uſus ſit, fundamentum habere in cerebro hominum doctorum quidem, ſed conjecturis ſuis vel ſomniis potius, nimis indulgentium. Videndum ergo an populus aliquis aut natio extiterit cui peculiaris lingua Helleniſtica fuerit. Simul etiam diſpiciendum, an & lingua communis Græciæ quæ Κοινὴ appellatur, populum etiam olim habuerit aut gentẽ qui eam primitus uſurparit. Tum etiam diſcutiemus quæ origo prima, quod principium linguæ Græciæ & ejus variarum dialectorum extiterit. Si lingua porro communis Græca, & ἑλληνικὴ dialectus non fuit, multo minus Helleniſtica poſtulet inter dialectos locum ſibi vindicare. Nam pro dialecto non poteſt haberi niſi detur fuiſſe alicujus populi vel gentis propria dialectus. Quod commune eſt, ἴδιον non eſt cujuſquam. Atqui hæc definitio dialecti. Non eſt ergo dialectus quæ plurium vel omnium in genere communis eſt ſermocinatio.

natio. Conſtat tamen hanc loquendi Græcè ἰδέαν quæ & ἑλληνικὴ & κοινὴ vocatur, aliqua proprietate cenſeri, quia multi Scriptores ea uſi reperiuntur, quos non poſſis dicere Atticè ſcripſiſſe, nec Doricè, nec Æolicè, nec Ionicè. Polybii hiſtorici præſtantiſſimi dicendi characterem eſſe Atticum nemo dixerit, cùm tamen ſit ἑλληνικὸς & Græcus. Multo minus Ionicus, vel Æolicus, vel Doricus videri queat. Hoc genere ſcripſiſſe conſtat plurimos alios Græciæ auctores, qui nec Atticiſmum affectaſſe dicuntur, cum tamen ab ἑλληνισμοῦ non receſſerint, nec contra ejus leges peccarint, quibus nec Doriſmi, aut Æoliſmi, aut Ioniſmi character attribui poteſt. Si μίξις eſt & cinnus reliquarum dialectorum hæc διάλεξις, quærendum unde & quomodo hæc commixtio linguarum quę unam fecerit linguam, Græciam pervaſerit. Vtrum partem tantum Græciæ, an univerſam occuparit. Quando hæc loquendi ſartago, quæ κοινὴ inde appellatur, cœperit. Ἑλληνὶς διάλεκτος & ἑλληνικὴ etiam vocatur, cum tamen eo tempore nulla gens aut populus hoc nomine ἑλλήνων in Græcia vocaretur. Vt ecce Biblia in ἑλληνίδα διάλεκτον converſa eſſe omnes auctores uno ore ſcribunt, cum illa verſio nec Attica dici queat, nec Ionica, nec Dorica, nec Æolica. Vnde igitur ille ἑλληνισμὸς qui non eſt Ἀττικισμὸς, non Δωρισμὸς, non Ἰωνισμὸς, nec Αἰολισμός?

Digitized by Google

σμός? Hoc nunc explicandum, à nemine hactenus enodatum. Vniverſa Græcia generatim in quattuor dialectos ſermone dividebatur, Atticam, Ionicam, Doricam, & Æolicam, à populis id nomen gerentibus nuncupatas. Nulla in Græcia gens olim fuit quin ad aliquod horum idioma quantum ad linguam attinet, reduci poſſet. Hæ γενικαὶ quattuor fuêre loquendi formæ à populis ſuis denominatæ, quarum & plures εἰδικαὶ χαρακτῆρες ſive ἰδέαι noſcitabantur ad unum genus revocandæ, ſuis tamen & ipſæ populis inſiſtentes, ut ita dicam, & inde appellationem nactæ. Nam per migrationes ſive μετοικεσίας & colonias, cum ſedès mutarent qui ab una ſtirpe oriundi erant, linguam patriam plus aut minus immutatam & ſic ab originali dialecto differentem retinebant. Principium generis & linguæ penes Hellena. Cujus nati quattuor commigrantes in varias Græciæ regiones, quàttuor illas peperêre loquendi formas ſive διαλέκτους, quas γενικὰς eſſe diximus. Ab una γενικῇ plures etiam ſubinde propagatæ εἰδικαὶ differentes inter ſe, ſed non tantum ut ipſæ generales invicem diſtabant. Vt alia Dorica utebantur Dores Pentapolis, alia Lacones, alia Cretes, alia Siculi, alia majoris Græciæ populi, alia etiam Libyes & Cyrenenſes. Sic plures χαρακτῆρας Ionum recenſet Herodotus. Nec Æolum unus fuit genius. Et ſingulæ urbes

ut

ut Ionum, ita & Æolum & Ionum peculiare & ſuum idioma habuerunt. Nec aliter nunc ſeſe res habet in noſtris dialectis. Cum Burgundica una ſit dialectus generalis, nulla tamen eſt civitas quin propria ſpeciatim utatur διαλέξει. Aliter quippe Divionenſes loquuntur, aliter Belnenſes, aliter Cabillonenſes, aliter Auguſtoduni cives, alio modo Antiſiodorenſes. Sed tam γενικαὶ quam εἰδικαὶ dialecti gentem ſuam habent & populum ἴδιον, cui habentur uſitatæ. Atqui ut nullus eſt populus, nulla gens ſine dialecto, ita nulla dialectus ſine gente aut populo. Quintam quattuor memoratis dialectis adjiciunt, Κοινὴν dictam. A nulla, ut apparet, natione vel populo. Non igitur dialectum eſſe liquet. Communis quippe appellatur, qua omnes & in commune utuntur. Sic inter genera loquutionum eſt quod *commune* appellant Grammatici, quod nec eſt artificiale, nec rationale, nec hiſtoricum, nec gloſſematicum. Ita & in qualitatibus loquutionum quę ſunt dialecti gentium variæ vel linguæ, quæ Κοινὴ appellatur, à nulla gente nomen ducit quæ omnium communis eſt, & *in qua omnes*, ut ait Diomedes, *idem ſentiunt*. Sed oportet hujus aliquam eſſe originem, & quoddam principium. Ἑλληνὶς vel ἑλληνικὴ, vel ἑλλὰς etiam vocatur. Hoc nomen commune eſt omnium Græciæ populorum, & omnium Dialectorum. Cum ſit com-

munis

munis omnium, cur quod omnium eſt commune, nomen quaſi proprium poſſidebit? Fuit tempus cum ἕλληνες in una tantum parte Græciæ dicerentur, nec hæc appellatio communicaretur cum omnibus Græciæ nationibus. Qui partem Theſſaliæ Phthiotin appellatam incolebant, hoc nomine primùm propriè donati ſunt. Inde ἕλληνες Homero peculiariter nuncupati, qui Achillem ex Phthiotide ad Trojam ſequuti ſunt. Nondum tunc temporis Græci omnes in hanc appellationem convenerant. Quin etiam Ἑλλάς eidem Homero appellatio eſt urbis in Theſſalia ſitæ. Πολλαὶ Ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίαν τε. Phthia ſimiliter urbs, & pars Theſſaliæ. Conditam illam Helladem ab Hellene volunt, non Deucalionis filio, ſed Phthii. Ita enim Stephanus, de Hellade. Ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ Ἕλληνος οὐ τοῦ Δευκαλίωνος, ἀλλὰ τοῦ Φθίου καὶ Χρυσίππης τοῦ Ἴρου. Et tamen certum eſt illum Ἕλληνα Deucalionis in illa parte Theſſaliæ hæſiſſe, & totum genus ejus. Nam & Macedonia ei regioni vicina dicta eſt à Macedone Iovis & Thyiæ Deucalionis filiæ. Et ἕλληνες populi qui ab illo Hellene denominati ſunt, non aliunde ortum duxerunt quam ex illa Theſſaliæ regione in qua Phthia urbs, & Hellas ab ipſo Hellene Deucalionis filio, ſive ut alii volunt, Phthii, conditæ ſunt. Ibi ergo primi ἕλληνες ſubſtiterunt, Ea regio propria ἑλ-

λήνων fuit, vel Homeri ætate, longe poſt Troica tempora. Ibi & Pelaſgi, quo nomine conſtat Græcos ſæpe Poëtis appellatos, & Πελασγικὸν Ἄργος, à qua urbe Græci *Argivi* etiam dicti ſunt. Thucydides initio lib. I. Πρὸ γὰρ τῶν τρωϊκῶν ὐδὲν φαίνεται πρότερον κοινῇ ἐργασαμένη ἡ Ἑλλάς. Δοκεῖ δέ μοι τὄνομα τοῦτο ξύμπασά πω ἔχειν, ἀλλὰ τὰ πρὸ τοῦ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος καὶ πάνυ ὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις αὕτη, κατὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ πελασγικὸν ἐπὶ πλεῖστον ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι, Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰχυσάντων καὶ ἐπαγομένων αὐτὺς ἐπ' ὠφελείᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις, καθ' ἑκάςυς μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας, ὐ μέντοι πολλῦ γε χρόνυ ἠδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι. Dicit ante Hellena Deucalionis filium nomen Hellenum ſive Græcorum incognitum prorſus in Græcia fuiſſe. Κατὰ ἔθνη ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι. Verba hæc obſcura ſunt. Scholiaſtes vetus ita ea interpretatur, τέως τοῖς ἰδίοις ὀνόμασιν ἐχρῶντο, οἷον Πλάσγιοι μόνοι Βοιωτοί. Οὕτω δὲ κοινῷ ὀνόματι Ἕλληνες. Atqui, ubi cœpti ſunt vocari omnes communi appellatione Ἕλληνες ſive Græci, nihiloſecius propriis ſinguli Græciæ populi nominibus appellabantur, Bœoti, Megarenſes, Achæi, Crêtes, Æoles, Dores, Iones, & ſimiles. In univerſum Ἕλληνες generali nomine nuncupabantur. Agit autem

Thucy-

Thucydides de eo tempore, quo Græci ſive ἕλληνες nondum erant, nec nomine. At Pelaſgi jam tum erant diverſi à Græcis, lingua & moribus. Hinc τὸ Πελασγικὸν & τὸ Ἑλληνικὸν opponit Herodotus in Clio. De quibus Pelaſgis quærit qua lingua loquuti ſint priuſquam Græcam didiciſſent, & in Græcorum appellationem conceſſiſſent. Barbaro ſermone, id eſt longe alio quam Græcus eſt, uſos eos fuiſſe aliquot rationibus conjicit quæ apud eum legi poſſunt, in prima Muſa. Ἦσαν, inquit, οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες. Antequam ſcilicet ab Hellenibus ſive Græcis aliam accepiſſent, id eſt Græcam. Ante Hellena igitur nec ſpeciatim nec generatim nomen ἑλλήνων de ulla natione vel populo notum erat. Cum verò Hellen & ejus nati Phthioride Theſſaliæ vires collegiſſent, & in proximas quaſque urbes ſemet induxiſſent, ἐπ' ὠφελείᾳ αὐτῶν, ad eorum quos vincebant commodum & utilitatem. Quia ſcilicet moribus & lingua barbaros ad meliorem ſermonis ac diſciplinæ cultum deducebant. Tum inter ſe privata appellatione vocabantur ἕλληνες. Nec tamen, ait Thucydides, niſi poſt longum tempus invaluit & evicit, ut omnes ἕλληνες generali nomine nuncuparentur. Nam ætate adhuc Homeri haud alios ἕλληνες mos erat vocari quam qui Phthiotin regionem Theſſaliæ incolebant. Quod igitur ſcribit,

Digitized by Google

bit, Thucydides, κατὰ ἔθνη ἄλλά τε καὶ τὸ πελασγικὸν ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι, non ita intelligendum, ut cenſuit Græcus Scholiaſtes, nempe tunc temporis Græcos propriis appellationibus Pelaſgos, Bœotos appellatos fuiſſe, non communi Græcos ſive ἕλληνας. Pelaſgi & eorum urbes fuêre ex illis, quas occupaſſe primo dicit Hellenis filios, quæ & in ἑλλήνων nomen & linguam conceſſerunt poſtea, non ſtatim ab occupatione. Nam diu etiam poſtquam earum ditionem adepti ſunt Hellenidæ, victores victique nominibus diſtinguebantur, cum illi dicerentur inter ſe ἕλληνες, Pelaſgi vero antiquum nomen retinerent. Hoc eſt quod dixit Thucydides, καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι ἕλληνας, οὐ μέντοι πολλοῦ γε χρόνου ἠδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι. Sic diu Franci & Romani in Gallia nominibus diſtincti ſunt, legeſque quę à victoribus condebantur, Romanos & Francos diverſis tractabant modis. Sublata tandem diſtinctione Francorum nomen in Gallia ſolum remanſit, ſicque tandem omnes Galliæ Romani vocati Franci ſunt. Idem de Hellenibus tunc contigit. In Phthiotide parte Theſſaliæ oriundi, incrementis aucti, viribuſque collectis totam Theſſaliam ſubjugarunt, cujus & una pars ex quattuor Πελασγιῶτις in eorum etiam jura conceſſit. Inde & Πελασγοὶ Gręci Poëtis ſæpe appellantur. Ἑστιαιῶ-

τιν etiam aliam partem Theſſaliæ inſederunt quæ ſub Oſſa & Olympo monte ſita eſt, Doro Hellenis filio regnante. Inde ejecti à Cadmeis Pindum tenuerunt, & *Macedni* vocabantur. Sic enim accipiendum in Herodoto, Μακεδνὸν καλεόμενον. Qui enim de loco in Pindo ſic vocato intellexerunt, etiam veteres, ſanè falſi ſunt. In his eſt Stephanus. Μακεδνὸν, χωρίον ἐν Πίνδῳ ὡς Ἡρόδοτος ἐν πρώτῃ. Atqui Herodotus Μακεδνὸν non de loco dixit, ſed de gente. Nam illud Μακεδνὸν referri debet ad τὸ ἑλληνικὸν ἔθνος quod præceſſit. Hoc ἔθνος Ἑλληνικὸν primùm regionē Phthioticam in Theſſalia habitavit, ſub rege Deucalione. Deinde ſub Doro Hellenis filio, Deucalionis nepote, regionem circa Oſſam & Olympum tenuit Heſtioticam dictam. Inde pulſum à Cadmeis montana Pindi habitavit, & tunc nominatum eſt Μακεδνόν. Nempe τὸ ἔθνος illud ἑλληνικὸν, cum in Pindo conſedit, vocatum eſt Μακεδνόν. Hęc mens eſt Herodoti. Addit idem inde, ex Pindo nimirum, migraſſe in Dryopidē, & ex Dryopide in Peloponneſum veniſſe, & Δωρικὸν eſſe vocatum: οἰκέειν ἐν Πίνδῳ, Μακεδνὸν καλεόμενον. ἐντεῦθεν δὲ αὖθις εἰς τὴν Δρυοπίδα μετέβη, καὶ ἐκ τῆς Δρυοπίδος εἰς Πελοπόννησον ἐλθὸν, Δωρικὸν ἐκλήθη. Quis non videt eodem ſenſu dixiſſe illum de ἔθνει ἑλληνικῷ, Δωρικὸν κληθῆναι cum in Peloponneſum tranſiit, ac μακεδνὸν quando ex Heſtiæotide in

Pindum ſe contulit. Pindum pro urbe videtur accepiſſe Mela, qui Doridi Pindum urbem attribuit, ut Lariſſam Theſſaliæ, & Phthiam Phthiotidi. Certe Pindus urbs eſt etiam Straboni, haud ſcio an à Pindo monte appellata. Longius ſanè ab eo ſita fuiſſe videtur. Siquidem in Regione Doride ponitur à Strabone. Sed & Erineon huic Pindo urbi proximam facit idem Mela, quæ una ex tribus Doridis regionis urbibus. *In Doride Pindus & juxta ſitum Erineon.* Ea regio Doris circa Parnaſſum cujus tres urbes à Geographis memorantur, Cytinion, Erineon, & Bœon. Βοιόν. Stephanus: Ἐστὶ καὶ Κυτίνιον μία τῶν τετρα τῶν Δωρικῶν. Id eſt Doridis, quæ ſub Parnaſſo. Idem: Ἐρινεός, πόλις Δωριέων ὑπὸ τῷ Παρνασσόν. Si hæc Doris τετράπολις, nihil ad illam pertinet Pindus. Sed olim πεντάπολιν fuiſſe conſtat ex Strabone, qui & Pindum tribus ſupraſcriptis adnumerat lib. IX. Dores iſtos Tetrapolis, hoc eſt quattuor urbium incolas collocat inter Epicnemidios Locros & Ænianas: οὗτοι μὲν οὖν, inquit, εἰσὶν οἱ τὴν τετράπολιν οἰκήσαντες, ἣν φασὶν εἶναι μητρόπολιν τῶν ἁπάντων Δωριέων. Πόλεις δ᾽ ἔσχον Ἐρινεὸν, Βόϊον, Πίνδον, Κυτίνιον. Cum hæc ita ſint, nihil tamen hæc urbs Pindus cum monte Pindo in quo conſediſſe Ἕλληνας ſcribit Herodotus, commune habet. Nam certum eſt eum ſcriptorem de monte intellexiſſe, non de urbe.

Quod

Quod enim tradit Herodotus, ἕλληνας ex Dryopide, quæ pars erat Phthiotidis, tranſiſſe in Peloponneſum, & ibi primum Dorum nomen accepiſſe, probabilius eſt Doridem regionem ſupra memoratam prius incoluiſſe, & denominaſſe, deinde ſic in Peloponneſum trajeciſſe. Idque ex Strabone colligi poteſt qui Δωρίδα illam τετράπολιν quattuor urbibus conſtantem, ait fuiſſe omnium Dorum Metropolim. Cum Pindum montem incoluêre Græci, tum vocati ſunt *Macedni*, Μακεδνοὶ, id eſt Macedones. Nam Μακεδνὸς, Μακεδὼν & Μακέτης Synonyma ſunt. Μακέδονος Ætolicè pro Μακεδὼν, & per contractionem Μακεδνός. Si quæratur ratio, cur Μακεδνοὶ appellati ſint Græci cum Pindum incolerent, ea in promptu eſt, quia Pindus mons à Septentrione Macedoniam habet. Strabo lib. IX. ὁ δὲ Πίνδος ὄρος μέγα, πρὸς ἄρκτον μὲν τὴν Μακεδονίαν, πρὸς ἑσπέραν δὲ Περραιβοὺς μετανάστας ἀνθρώπους ἔχουσα. Idem lib. VII. πλησίον τε ἤδη τῆς τε Μακεδονίας καὶ τῆς Θετταλίας περὶ τὸ Ποῖον ὄρος καὶ τὸ Πίνδον Αἴθικες. Apud Herodotum igitur τὸ Μακεδνὸν ad ἔθνος referendum, ut τὸ Δωρικὸν, nec de loci nomine, ut fecit Stephanus, accipiendum. Nunc diſpiciendum quænam illa ſit Δρυοπὶς in quam tranſiſſe dicit Herodotus ἕλληνας poſtquam Pindum reliquerunt, & ex qua in Peloponneſum conceſſerunt? Sic

enim ſcribit ἐντεῦθεν δὲ αὖθις εἰς τὴν Δρυοπίδα μετέβη, καὶ ἐκ τῆς Δρυοπίδος οὕτως εἰς Πελοπόννησον ἐλθὸν, Δωρικὸν ἐκλήθη. An ea Dryopis eſt quæ ab urbe Dryope dicta eſt circa Hermionenſem ſinũ qui Argolico proximus? Δρυόπη, Stephano, πόλις περὶ Ἑρμιόνα. Quid ſi potius accipienda videtur hæc Δρυοπὶς de regione circa Oetam montem, quæ in Theſſalia? Nam ſcribit Herodotus, ἐντεῦθεν δὲ αὖθις εἰς τὴν Δρυοπίδα μετέβη. Cum ex regione primum Theſſaliæ Phthiotide appellata Græci in eam partem quæ eſt ſubjecta Oſſæ & Olympo montibus, & Heſtiæotis dicta eſt, migraſſent, atque inde ad Pindum pulſi eſſent, iterum tranſierunt in eam Theſſaliæ partem quæ Δρυοπὶς nuncupabatur, & ſubjacebat Oetæo monti, ubi poſtea Trachis urbs ab Hercule condita fertur, quæ ab ejus nomine dicta eſt Ἡράκλεια. Hæc in Phthiotide collocatur à Ptolemęo, *& Heraclia Phthiotidis* appellatur. Hinc ergo liquet cur dixerit Herodotus, ἐντεῦθεν δὲ αὖθις μετέβη εἰς Δρυοπίδα. Quia ex Phthiotide venerant, & poſt multos vagationũ circuitus redierunt in eum Phthiotidis tractum ubi Oeta mons eſt, & Dryopis regio. Ab ea in Peloponneſum porro devenêre & *Dores* ibi vocati ſunt. Atque ita diſertè tradit Strabo Dryopidem illam quæ eſt in Theſſalia, Metropolim habitam fuiſſe Dryopidis Peloponneſi, hoc eſt originem illi dediſſe,

lib.

lib. IX. Πρὸς νότον δὲ τῇ Οἰταίᾳ εἰς τετραπεντεκαίδεκα δῆμους διῃρημένη Ἡρακλεῶταί τε καὶ Δρυοπίδα τετράπολιν γεγονῦιαν ποτὲ καθάπερ καὶ Δωρίδα, μητρόπολιν δὲ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ δρυόπων νομιζομένην. Non tunc tamen Dores vocati ſunt Græci cum in Peloponneſum migrarunt, ut vult Herodotus, ſed multo antè ſic appellati ſunt, & nomen ſuum Doridi illi τετραπόλει dedêre. Quin & Heſtiæotis pars Theſſaliæ Doris olim nuncupata eſt à Doro Hellenis filio, priuſquam Ἑστιαιῶτις vocaretur, teſte eodem Strabone. Iidem Ἕλληνες ab Hellene dicti, in medio Theſſaliæ & Peloponneſi interjectam Ἑλλάδα de ſuo nomine vocarunt, multis variiſque coloniis ſui generis inſtauratam, priuſquam in Peloponneſum deſcenderint. Nam & Atticam quæ Pelaſgica antea erat ac Barbara, Græcis urbibus inſtruxerunt, Græciſque moribus & linguis erudierunt, eodem teſte Herodoto. Ἦσαν, inquit, οἱ Πελασγοὶ, βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες. Εἰ τοίνυν ἦν καὶ πᾶν τοιῦτον τὸ Πελασγικὸν ἔθνος, τὸ Ἀττικὸν ἐὸν Πελασγικὸν ἅμα τῇ μεταβολῇ τῇ εἰς Ἕλληνας, καὶ τὴν γλῶσσαν μετέμαθε. *Pelaſgi linguam barbaram proloquebantur. Si igitur tales fuêre omnes Pelaſgi, cum Attici Pelaſgici generis fuerint, ſimul ac in Græcos tranſmutati ſunt, hac eadem converſione & linguam nativam dedidicerunt, accepta Græca.* Præterea certum eſt Dores etiam vocatos eſſe

à Doro, Græcos illos vel priuſquam in Peloponneſum ex Theſſalia tranſmigrarent. Iam porro videndum quomodo accipi debeant verba illa graviſſimi Scriptoris Attici, κατὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν ἐπιπλεῖστον ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι. Nam omnino conſtat, non eam illius loci eſſe mentem, quam voluit Scholiaſtes Græcus. Tempus fuiſſe primum docet quo nondum Græciæ appellatio univerſo terrarum tractui qui poſtea id nominis induit, daretur. Certæ tantum regionis incolis quæ Phthiotis in Theſſalia dicebatur, propriè ac peculiariter hoc nomen conveniebat, atque etiam id Homeri ætate obtinuit. Δοκεῖ δέ μοι, inquit, οὐδὲ τοὔνομα τοῦτο ξύμπασά πω εἶχεν. *Mihi verò videtur ne quidem toti hanc tunc appellationem competiſſe.* Immò verò fuit etiam ætas qua Græcorum ſive ἑλλήνων nomen protſus inauditum & incognitum habebatur. Ante Ἕλληνα nimirum qui Deucalionis filius fuit. Ab hoc primum Ἕλληνες vocati ſunt, & Ἑλλὰς dicta. Ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸ τοῦ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος, καὶ πάνυ οὐδὲ εἶναι ἡ ἐπίκλησις αὕτη. *Quinimo ante Hellena Deucalionis filium nec omnino fuiſſe videtur hæc Græciæ & Græcorum appellatio.* Quænam igitur erant, & quo nomine dicebantur, quæ Græciam tunc occupabant gentes, cum Græci non eſſent? Καὶ τὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν ἐπιπλεῖστον ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι.

Digitized by Google

ἐχεῶθαι. Sic enim legendum, non ut vulgo eſt, κατὰ ἔθνη τὰ ἄλλα ἄτε. Cum aliæ gentes tum, Pelaſgica præcipuè, de ſuo nomine majorem Græciæ partem nuncuparunt. Hoc igitur vult, antiquiores vel Deucalione fuiſſe Pelaſgos, qui nempe erant antequam ulli ἕλληνες eſſent ac dicerentur, quos ita conſtat nuncupatos ab Hellene filio Deucalionis. Herodotus quoque in eadem ſententia Πελασγικὸν ἔθνος extitiſſe priuſquam ulli extarent Græci, Barbaro eos ſermone uſos eſſe, & diverſo à Græcis. Ab ipſis Græcis edoctos linguam vernaculam & barbaram mutaſſe. Sed multa hîc dubia occurrunt, vix ſolvenda. Deucalion Hellenis pater, ſolus cum Pyrrha uxore ſuperfuiſſe diluvio perhibetur quo magna pars, immo univerſa ut quibuſdam placet, generis humani deleta, & pleraque terrarum, quibus poſtea Græciæ nomen adhæſit, aquis obruta. Præterea ille ipſe Deucalion ſub quo Cataclyſmus contigit, & qui ex eo ſolus cum Pyrrha uxore evaſit, filius Promethei narratur, qui primus homines qui antea non erant, de luto finxiſſe fingitur. Fabula hæc ſit, per me licet. Hinc tamen fabulæ conſonantia dicant oportet, qui eam commenti ſunt, & qui vera eſſe volunt quæ ad hunc modum conficta fuerunt. Reparatum porro genus humanum à Deucalione & Pyrrha jactu lapidum poſt tergum ex Oraculi monitu eadem

dem fabula perhibet, cum quos Pyrrha jactaret, in fœminas reſurgerent, quos Deucalion, in viros. Deucalione natus & Pyrrha ſcilicet, non ex lapide jacto, ſed ex ſemine per coitum, Hellen à quo Hellenes ſive Græci. Ergo Pelaſgos ſi antiquiores Græcis ſtatuantur, ſuperſtites diluvio fuiſſe neceſſe eſt cum Deucalione. Quo tamen caſu ne anteriores quidem Hellenibus poſſint dici. Nam Deucalion & ipſe diluvio illo prior & poſterior ſimul fuit, cum evaſerit, qui Hellenum ſive Græcorum auctor per filium Hellena fuit. Quod ad linguam attinet Hellenicam ſive Græcam non eam Deucalion aut filius ejus Hellen condidit, & formavit, quæ ante non fuerit. Hellen, ut veriſimile eſt, eodem ſermone utebatur quo pater Deucalion, Deucalion eodem quo Prometheus cujus filius memoratur. Atqui ab illo Prometheo genus humanum primum plaſmatum Græci ipſi tradunt. Vnde igitur illi Pelaſgi quos Tucydides Hellenibus, id eſt Græcis antiquiores facit? Non antiquiores certe Prometheo. Ergo nec Deucalione, nec Hellene, hoc Promethei nepote, illo filio. Præterea ſi ab eodem Prometheo Pelaſgi, ut & Hellenes, non aliam linguam videntur noviſſe nec uſurpaſſe, utpote eodem auctore & patre ſati. Atqui Herodotus ſcriptor antiquiſſimus ita τὸ Πελασγικὸν ἔθνος cum ἑλληνικῷ confert & comparat, ut

Digitized by Google

ab antiquo moribus & lingua diſſimiles fuiſſe velit, cum Pelaſgi barbari eſſent ſermone, Hellenes Græco, qualem novimus, uterentur. Temporis proceſſu Pelaſgos linguam mutaſſe barbaram Græcâ, idem auctor eſt. Græcos autem ſemper ſuam conſervaſſe qualis ab initio fuit. Τὸ δὲ ἑλληνικὸν, inquit, γλώσσῃ μὲν ἔπειτε ἐγένετο, ἀεί ποτε τῇ αὐτῇ χρέεται, ὡς ἐμοὶ καταφαίνεται εἶναι. *Græca verò natio ex quo extitit, ſemper eadem lingua uſa eſt, ut mihi quidem videtur.* Non dicit ex quo exiſtere cœperit. In eo etiam ab aliis Scriptoribus diſſidet quod Græcos & Pelaſgos comparans, ut diſſimiles oſtendat, Pelaſgos nuſquam erraſſe palabundos ſcribit, cum Græci ſæpius ſedibus mutatis vagati ſint. Ταῦτα γὰρ ἦν, inquit, τὰ προκεκριμένα ἐόντα τὠρχαῖον. Τὸ μὲν Πελασγικὸν, τὸ δὲ Ἑλληνικὸν ἔθνος. Καὶ τὸ μὲν οὐδαμῇ κω ἐξεχώρησε. Τὸ δὲ πολυπλάνητον κάρτα. Deinde narrat, quas mutationes ſedium ſubinde errando & vagando paſſi ſint Græci, Pelaſgis nuſquam pedem è ſuo ſolo moventibus. Contrarium de Pelaſgis tradit Strabo, omnium gentium maximè πολυπλάνους & πλανήτας fuiſſe. Et inde illis nomen. Nam Πελασγοὶ quaſi Πελαργοὶ vocitati ab Atticis, id eſt ciconiæ, quod tantum loci ſcilicet, quantum ciconiæ volant, & harum avium more ubique vagarentur. Διὰ τὸ πλανήτας εἶναι καὶ δίκην ὀρνέων ἐπιφοιτᾶν ἐφ' οὓς ἔτυχε τόπους, πελαργοὺς ὑπὸ τῶν

Ἀττι-

Digitized by Google

Ἀττικῶν κληθῆναι. Quin etiam Eretrienſes, qui aliis Πελασγοὶ dicebantur, vocabant Πελαργοὺς, teſte Phrynicho. Nam Ῥῶ pro Sigma ponebant. Vnde Ἐρετρικὸν Ῥῶ apud Athenęum. Pro Strabonis ſententia facit, quo confirmatur Πολυπλανήτους fuiſſe Pelaſgos, quod ubique terrarum per Græciam univerſam, & alibi hoc nomine populi noſcitarentur. Inter Cretæ populos recenſet Homerus Δίους τε πελασγούς. In Epiro fuêre. Vnde Iuppiter Δωδωναῖος & Πελασγικὸς eidem nominatus. In Theſſalia fuiſſe arguit pars illius regionis Πελασγιῶτις appellata. In Peloponneſo etiam ſedem poſuiſſe argumento eſt Πελασγίας nomen ei peninſulæ à Pelaſgis impoſitum. Atticam etiam aliquando tenuiſſe præter Strabonem teſtis eſt Herodotus, qui & in Helleſponto habitaſſe perhibet. In Thracia etiam Lares habuiſſe & Creſtona urbem incoluiſſe idem narrat. Plurimum tamen eos in Theſſalia cum Æolibus fuiſſe inter omnes ferme conſtare tradit Strabo lib. V. Τοὺς δὲ Πελασγοὺς, inquit, ὅτι τὸ μὲν ἀρχαῖον τι φῦλον κατὰ τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ἐπεπόλασε, καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι κατὰ Θετταλίαν, ὁμολογοῦσιν ἅπαντες σχεδὸν τι. Addit ex Ephori ſententia cum antiquitus eſſent origine Arcades, militarem vitam ſectantes, ubique inclaruiſſe, & hoc nomine inde appellatos plurimos, qui militiam apud exteros ſequerentur. Ex Peloponneſo ergo

in

in Theſſaliam potius veniſſe Pelaſgos, quam ex Theſſalia in Peloponneſum, ſenſiſſe videtur Ephorus. Nam ut Theſſalia Pelaſgia dicta eſt, ita etiam Peloponneſus. Stephanus: Θεσσαλία ἐστὶ Θεσσάλου, ἡ πρότερον Πελασγία. Inde & Πελασγιῶτις pars ejus appellata. De Peloponneſo etiam conſtat, πελασγίαν vocatam. Nam Α'πία primo ab Apide Phoronei, nomen nacta eſt, deinde à Pelaſgo dicta *Pelaſgia*. Idem: πελοπόννησος τρεῖς ἐπωνυμίαι. Ε'πὶ μὲν γὰρ Α'πιος τοῦ Φορωνέως ἐκαλεῖτο Α'πία. Ε'πὶ δὲ πελασγοῦ, πελασγία. Ε'πὶ δὲ Α'ργου ὁμωνύμως Α'ργος ἐκαλεῖτο. Atqui etiam Α'ργος in Theſſalia fuit, quod & πελασγικὸν Α'ργος Homero dicitur. Α'ργος autem Peloponneſi Α'χαϊκὸν Α'ργος, cognominatur ab Acheis. Qui Achæi etiam in Theſſalia fuêre. Homerus: Μυρμιδόνες δ' ἐκαλοῦντο καὶ Ε'λληνες καὶ Α'χαιοί. A Pelaſgo quodam, Peloponneſi indigena Pelaſgos Peloponneſios vocatos fuiſſe tradit Apollodorus ex Heſiodo, vel ut alii maluerunt, & inter eos Acuſilaus, Niobes & Iovis filio, Argi fratre. Νιόβης δὲ καὶ Διὸς ᾗ πρώτῃ γυναικὶ Ζεὺς θνητῇ ἐμίγη, παῖς Α'ργος ἐγένετο, ὡς δὲ Α'κουσίλαος φησὶ καὶ πελασγὸς, ἀφ' οὗ κληθῆναι τοὺς τὴν πελοπόννησον οἰκοῦντας πελασγούς. Η'σίοδος δὲ τὸν πελασγὸν αὐτόχθονα φησὶν εἶναι. Idem Heſiodus Lyaconem hujus Pelaſgi filium fuiſſe cecinit quo auctore Ephorus Pelaſgos ex Arcadia originem habuiſſe voluit, &

inde

inde in alias penetraſſe Græciæ regiones. Strabo lib. v. de Pelaſgis. Τῷ γ' ἐφόρῳ τὸ ἐξ Ἀρκαδίας εἶναι τὸ φῦλον τοῦτο ἦρξεν Ἡσίοδος.

Υἱεῖς δ' ἐξεγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο,
Ὅν ποτε τίκτε πελασγός.

Magna hic, ut in aliis omnibus inconſtantia Græcorum, & pugna. Achæi fuêre in Theſſalia, & in Peloponneſo. Eadem Peloponneſus Argos ſimul & Pelaſgos habuit haud minus quam Theſſalia. Vix potuit fieri ut ὁμωνυμία tot gentium καὶ συγκυρίαν in tam diverſis locis extiterit. Oportet ergo Pelaſgos & Argivos & Achæos in alterutra regione ortum habuiſſe & in alteram migraſſe. Videndum utri magis tribui debere veriſimilius ſit. De Achæis hoc inter auctores conſtat Theſſaliæ eorum originem eſſe aſſignandam. Ergo Achæi Peloponneſi ab Achæis Phthioticis deducti. Et de hoc fere inter auctores convenit. Achæus ille à quo vocati Achæi, filius Hellenis fuit, nepos Deucalionis, qui in Phthiotide regnavit, & cui ortum Theſſalia dedit. Strabo lib. VIII. Οἱ δ' Ἀχαιοὶ Φθιῶται μὲν ἦσαν τὸ γένος, ᾤκησαν δ' ἐν Λακεδαιμονίᾳ. Paulo ante ſcribit Achæum unum ex filiis Xuthi Hellene nati cæde per imprudentiam perpetrata in Laconicam perfugiſſe & Achæos populos ibi à ſe denominaſſe. Apollodorus autem Xuthum ipſum Hellenis

Digitized by Google

Hellenis natum occupaſſe Peloponneſum, & ibi Achæum ex Creuſa Ereithei filia genuiſſe, & Ionem, à quibus Achæi & Iones appellati. Iones etiam Peloponneſum tenuiſſe compertum eſt, quæ & Ionia pro Ægialia inde appellata. Idem Strabo lib. VIII. de Ionibus ab Ione Xuthi filio ſic dictis: τὴν χώραν τὴν κατέχον Ἰωνίαν ἐπώνυμον ἑαυτῶν ἐποίησαν, Ἰωνίαν ἀντὶ Αἰγιαλείας κληθεῖσαν. Quod notandum. Nam cum Ægialea antiquiſſima fuerit Peloponneſi denominatio, proximam & ſecundam fuiſſe *Ionia* appellationem hinc liquet, non *Apia* vel *Pelaſgia*, ut aliis placet. Ergo Iones Peloponneſi antiquiores incolæ quam Pelaſgi. Idem Strabo de Peloponneſo: Ταύτης δὲ τῆς χώρας τὸ μὲν παλαιὸν Ἴωνες ἐκράτουν, ἐξ Ἀθηναίων τὸ γένος ὄντες, ἐκαλεῖτο δὲ τὸ μὲν παλαιὸν Αἰγιάλεια, καὶ οἱ ἐνοικοῦντες Αἰγιαλεῖς· ὕστερον δὲ ἀπ' ἐκείνων Ἰωνία, καθάπερ καὶ ἡ Ἀττικὴ, ἀπὸ Ἴωνος Ξούθου. Subjungit ibidem Hellena Deucalionis filium fuiſſe: qui in regione Theſſaliæ circa Phthiam imperaverit, inter Peneum & Aſopum amnes. Hunc Hellena imperium filiorum natu maximo, nempe Æolo, reliquiſſe, reliquos extra patriam emiſiſſe, ut ſibi quiſque ſedes, ubi poſſent, quærerent. Sic Dorum loca Parnaſſo vicina inſediſſe, & Dores à ſe nominaſſe. Hæc Δωρὶς τετράπολις vel τρίπολις, de qua ante diximus. Hos ipſos Dorienſes, & Peloponneſum aliquando

 quando

quandò habuiſſe ex Herodoto diſcimus, qui tum primum Dores vocatos eſſe ſcribit, cum Peloponneſum tenuerunt. Quod falſum eſt, Nam prius loca circa Parnaſſum incoluerunt, ubi *Doris* regio Tetrapolis vocata eſt, deinde ſub idem tempus quo Iones Peloponneſum invaſerunt, Dorienſes ab Heraclitis deducti non ſolum Megara condiderunt, ſed multas alias urbes in Peloponneſo. Ionibus paulo poſt per vim & ſeditionem ejectis ab Achęis, ſolæ duæ gentes in Peloponneſo remanſerunt, Æolica & Dorica. Æoles enim ab Æolo Deucalionis filio Peloponneſum quoque habitaſſe ex Theſſalia ab Endymione eò deductos, & Elida præcipue regionem obtinuiſſe, Apollodorus, libro 1. Καλύκης δὲ καὶ Ἀεθλίου παῖς Ἐνδυμίων γίνεται, ὅστις ἐκ Θεσσαλίας Αἰολέας ἀγαγὼν Ἦλιν ᾤκισε. Et ſtatim quidem Peloponneſum à Xutho fuiſſe occupatam; qui Achæum & Ionem ibi genuerit, auctor eſt Apollodorus. Æolum vero unum ex Hellenis filiis in Theſſalia diu imperaviſſe, & Æolenſes de ſuo nomine dixiſſe, Dorum vero loca circa Parnaſſum accepiſſe. Apollodorus de Hellene. Τοῖς δὲ παισὶν ἐμέρισε τὴν χώραν. Καὶ Ξοῦθος μὲν λαβὼν τὴν Πελοπόννησον, ἐκ Κρεούσης Ἐρεχθέως Ἀχαιὸν ἐγέννησε καὶ Ἴωνα, ἀφ᾽ ὧν Ἀχαιοὶ καὶ Ἴωνες καλοῦνται. Δῶρος τὴν χώραν περὶ Παρνασσοῦ λαβὼν τοὺς κατοίκους ἀφ᾽ ἑαυτοῦ Δωριεῖς ἐκάλεσεν. Αἴολος δὲ βασι-

λεύων

Digitized by Google

λείων τῶν περὶ Θετταλίαν τόπων τοὺς ἐνοικοῦντας Αἰολεῖς προσηγόρευσεν. Manſiſſe in Theſſalia Æolum ſignificat, ibique imperaſſe Æolibus à ſe nominatis, cum reliqui Hellenis filii alias ſibi ſedes quæſiverint. Achæos tamen etiam in Theſſalia ab Achæo Xuthi filio nuncupatos, uſque ad Homeri tempora reſtitiſſe, ipſe Homerus teſtis eſt, qui inter Phthiæ ſive Phthiotidis populos qui ſub Achille militabant, Ἀχαιοὺς numerat. Idem etiam Cretæ inſulæ incolas enumerans Ἀχαιοὺς recenſet. Sic enim de Cretæ populis diverſis canit:

Ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα μεμιγμένη, ἐν μὲν Ἀ-
χαιοὶ,
Ἐν δ' Ἐτεόκρητες μεγαλήτορες ——

Hos Achæos Cretenſes ex Phthioticis oriundos eſſe quis neget? Nec minus certum de Peloponneſiis. Sed ſerior ex Theſſalia in Peloponneſum eorũ migratio quam Apollodoro & aliis videtur. Cum Pelope eos in eam Inſulam deveniſſe placet auctoribus antiquis, ut Strabo lib. VIII. tradidit. Ἀχαιοὺς γὰρ, inquit, τοὺς Φθιώτας φασὶ συγκατελθόντας Πέλοπι εἰς τὴν Πελοπόννησον, οἰκῆσαι τὴν Λακωνικήν. *Memoria namque traditum eſt, Achæos Phthiotas cum Pelope in Peloponneſum profectos, Laconicam inhabitaſſe.* Inde & Ἀχαϊκὸν Ἄργος Homero dicitur de Peloponneſiaco, ad diſtinctionem Theſſalici vel Phthiotici, quod appellavit Πελασγικόν. Vt ut ſit, conſtat Hellenicas gentes omnes,

quæ Peloponneſum quandoque tenuerunt & inhabitarunt, Iones, Dores, Achæos, & Æoles, à Theſſalia profectos ibi conſediſſe. De Pelaſgis, cum & in Theſſalia pariter & Peloponneſo fuerint haud minus quam Iones, Æoles, Achæi, & Dores, videndum utri alteros produxerint. Veriſimilius Peloponneſios à Theſſalicis profectos, quod & de Æolibus, Ionibus, Doribus, & Achæis conſtat. Pelaſgos in rerum natura fuiſſe, priuſquam Hellenes extiterint, Thucydides affirmat. Nam cum nondum eſſent ἕλληνες, qui ſic dicti ſunt à Deucalionis filio, Pelaſgos extitiſſe autumat, & aliarum gentium nomina pro Hellenicis. In his & Γραικοί. Nam conſentiunt auctores veteres qui antea *Graci* vocabantur, Hellena de ſuo nomine Ἕλληνας nuncupaſſe. Apollodorus, lib. I. Bibliothecæ, de Hellene filio Deucalionis: Αὐτὸς μὲν οὖν ἀπ' αὐτοῦ τοὺς καλουμένους Γραικοὺς, προσηγόρευσεν Ἕλληνας. Ergo Græcis nomen erat huic genti quæ Græce loquebatur, priuſquam appellatio Ἑλλήνων audita eſſet. Inde & Latini *Græcos* & *Graios* nominarunt, non Ἕλληνας. Idem eſt de Pelaſgis. Nam Πελασγοὶ pro Græcis ſive Hellenibus, non ſolum auctoribus Græcis, ſed etiam Latinis. Vnde hoc niſi quia Pelaſgi iidem erant cum iis qui poſtea nomine mutato, & mutuato ab Hellene, dicti ſunt Ἕλληνες? Ita intellexit & Thucydides cum dixit,

Digitized by Google

xit, antequam Ἕλληνες hoc nomen haberent, καὶ τὰ ἄλλα καὶ τὸ πελασγικὸν ἔθνος ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι. Nimirum ita ſenſit nihil mutatum ab Hellene in illa gente quæ ante ipſum ibi habitabat, & cujus ipſe pars fuit, niſi nomen. Græca lingua vigebat, & natio, ſed ſub alio nomine. Πελασγοὶ vocabantur & Γραικοὶ, quos ipſe Ἕλληνας nominavit. Alia eſt Herodoti ſententia exiſtimantis Pelaſgos quod ad linguam attinet, nihil commune habuiſſe cum Hellenibus ſive Græcis, ſed peculiari lingua & barbara uſos eſſe. Neceſſe tamen eſt linguam Ἑλλήνων, ſive malis Γραικῶν, ante Ἕλληνα in uſu fuiſſe, ſed non diu, ſiquidem Deucalion Hellenis pater, primus mortalium fuerit, utpote à Prometheo editus, ſi Græcis auctoribus creditur. Quomodo igitur conſtare poterit quod de Pelaſgis traditum eſt, Græca & Hellenica antiquioribus? Si præceſſerunt Cataclyſmum Deucalioneum, etiam poſt Cataclyſmum vixerunt. Ergo & Græci ſive Ἕλληνες, quamvis alia appellatione, cum ſua ſibi lingua. Non enim Hellen, nec Deucalion linguam hanc Græcis peculiarem condiderunt. Præterea ſi Γραικοὶ ante Ἕλληνα Deucalionis filium fuêre, quandoquidem ab eo pro Græcis Hellenes ſunt nominati, & ipſi ſimul cum Pelaſgis diluvio priores ſtatui debent. Ergo etiam poſteriores & ſuperſtites diluvio fuerint. Sic

falſa fuerit hiſtoria diluvii, è quo ſolus enatarit in Græciæ regione Deucalion cum uxore. Nec latet eruditos quid Græcia mendax in Fabulis confingendis ſibi permiſerit. Certe Græci illi quorum nomen antiquius Hellenum nomine volunt fuiſſe, poſteriores ipſo Hellene reperiuntur. Atqui cum prius Γραικοὶ appellarentur, poſtea Ἕλληνες dicti ſunt, ab Hellene Deucalionis filio. Id falſum eſſe arguit quod Γραικὸς, à quo Græci appellati, ex proſapia Deucalionis fuerit. Theſſali filius dicitur Stephano: Γραικὸς, ὁ Ἕλλην, ὁ Θετταλοῦ ὑιὸς ἀφ' οὗ Γραικοὶ οἱ ἕλληνες. Contrarium aſſerere videtur Apollodoro. Nam hic ſcripſit, qui prius Græci erant poſtea dictos Hellenes. Eadem ſententia eſt vetuſtiſſimi Chronici auctoris in Marmoribus Arundellianis. Stephanus contra Ἕλληνας à Græco Theſſali filio dictos eſſe Græcos. Vtrum verius? Hoc nomen ad gentem Hellenicam ſignificandam retinuêre Romani, Æolum propago. Ergo & Æoles ita eos vocabant. Certe & plurimi auctores antiqui, præcipue poëtæ, ita eos appellarunt, ut Callimachus & Lycophron. Τῶν Ἑλλήνων nomen prævaluit per Græciam & de Græcia. Non propterea tamen neceſſe ſit, antiquiorem eſſe τῶν Γραικῶν appellationem quam Ἑλλήνων. Sic Syri & Arabes numquam Ἕλληνας more Græcorum, nec *Græcos* more Romanorum appellant, ſed Ionas. Nec tamen

men Ionum nomen antiquius quam ἑλλήνων ſi Græcis ipſis creditur. Aliud ſtatuendum ſi veritati Hebraicæ fidem habemus. De quo nos infra. Nec obſtat etiam quod Ariſtoteles videtur exiſtimaſſe Γραικῶν appellationem vetuſtiorem eſſe nomine Ἑλλήνων. Καὶ οἱ καλούμενοι, inquit, τότε μὲν Γραικοὶ, νῦν Ἕλληνες. Nihil aliud fortaſſean his verbis innuit quam Ἑλλήνων appellationem tunc invaluiſſe, Græcorum abolita. Sic Δαναοὶ Græci appellati ſunt, & Πελασγοὶ & Ἀχαιοί. Quæ appellationes recentiores ſunt, Ἀχαιῶν ſaltem & Δαναῶν quam Ἑλλήνων. Et vetuſtior tamen obtinuit, cum recentiora ut plurimum derogent priſcis. Græcorum, ἢ Γραικῶν nomen locale videtur fuiſſe, quod in generalem τῶν πανελλήνων appellationem nunquam tranſiit. Cum plures Hellenicę gentes Peloponneſum olim obtinuerint, Iones, Dores & Æoles cum Achæis, Achæorum nomen in ea prævaluit, ut Ἑλλήνων in Gręcia, quæ ἑλλὰς inde appellata eſt. Sic Ἀχαΐα Peloponneſus ab Achæis. Græcus Stephano Theſſali filius. Theſſalus Herculis filius ex Chalicœco Eurypyli filia. Haud ſcio tamen an hic Theſſalus fuerit à quo Theſſalia appellata. Eurypylus ille ex quorumdam ſententia Endymionis filius fuit, pronepos Deucalionis. Si idem fuit, alius ei pater à Stephano aſſignatur, nempe Æmon. Hic pater Theſſali qui Chlorum genuit Pe-

Digitized by Google

laſgi patrem. Sic enim ſcribit : Αἱμονία, ἡ Θετταλία ἀπὸ Αἵμονος. Αἵμων δὲ υἱὸς μὲν Χλώρου τοῦ πελασγοῦ, πατὴρ δὲ Θετταλοῦ. Ita Pelaſgus, à quo Pelaſgi in Theſſalia nominati ſunt , *longe* Hellene poſterior. Nam Chlori filius fuit, qui Chlorus patrem Æmonem habuit, quo natus Theſſalus à quo Theſſalia, quæ hoc nomen nacta eſt à Theſſalo, Æmonis filio. Ab Æmone vocabatur *Æmonia*. At priuſquam Αἱμονία vocaretur, Pyrrhæa appellabatur à Pyrrha Deucalionis uxore qua genitus Hellen. Strabo lib. IX. de Theſſalia : Καθόλου δὲ πρότερον ἐκαλεῖτο Πυῤῥαία ἀπὸ Πύῤῥας τῆς Δευκαλίωνος γυναικός. Αἱμονία δὲ ἀπὸ Αἵμονος, Θετταλία δὲ ἀπὸ Θετταλοῦ τοῦ Αἵμονος. Alii partem Theſſaliæ quæ verſus meridiem ſita eſt, volebant Deucalioni ceſſiſſe, nomine *Pandoram*, ſic nominatam ab ejus matre, alteram Æmoni quæ *Æmonia* dicta eſt. Ita Æmon æqualis fuerit Deucalionis. Quod non mirum ſi Æmon unus ex Lycaonis filiis fuit, ut eſt apud Apollodorum. Ad eorum impietatem puniendam diluvium terris immiſſum, plurimi auctores ſunt. Contigit Nyctimo regnante, filio Lycaonis. Τοῦτον ἔνιοι φασὶν, ait Apollodorus, διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσεβίαν γεγενῆσθαι. Sed unde Æmon Lycaone natus Arcadum rege in Theſſaliam, ut eam de ſe nominaret *Æmoniam*, & cum Deucalione dividuam faceret ? Si propter ejus impietatem,

& fratrum, diluvio terræ coopertæ ſunt, non ſuperfuit ipſe Cataclyſmo, ſed cum reliquis extinctus, ſolo Deucalione enatante cum uxore Pyrrha. Superſtitem diluvio fuiſſe Æmonem qui Æmoniam de ſuo nomine dixit, ex eo conſtat, quod poſterius appellata eſt *Æmonia* quam *Pyrrhaa* ab uxore Deucalionis. Rhianus Poëta:

> Πύῤῥαν δή ποτε τήν γε παλαιότεροι καλέεσκον·
> Πύῤῥης Δευκαλίωνος ἀπ' ἀρχαίης ἀλόχοιο,
> Αἱμονίην δ' ἐξαῦτις ἀπ' Αἵμονος, ὅν ῥα Πελασγὸς
> Γείνατο φέρτατον υἱόν.

Scaliger in his verſibus Πυῤῥαίαν pro Πύῤῥαν cenſebat legendum, Πυῤῥαίαν ποτε τήν γε. Nam Πύῤῥα nomen, urbis & regionis, ut φθία & Ἑλλάς, Ἄργος & aliæ. Sic *Babel* apud Hebræos nomen regionis & urbis, item *Bagdad* apud Arabes. Præterea Πύῤῥαν legit Scholiaſtes vetus Apollonii, qui verſus illos Rhiani citavit. Καὶ Θεσσαλία ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν πυῤῥαῖς Ῥιανός. Longe antiquiorem apparet Rhianum facere appellationem Theſſaliæ Pyrrhæam quam Æmoniam. Sic enim à vetuſtioribus vocatam canit nomiue priſcæ Deucalionis uxoris. Poſtea verò, hoc eſt, ſatis longo poſt tempore, Æmoniam ab Æmone nuncupatam. Hunc Æmonem filium Pelaſgi facit, nempe Theſſaliotæ, à quo Pelaſgi in Theſſalia nomen adepti ſunt. At Stephano

Pelaſgus Theſſaliota filius eſt Chlori qui pater Æmonis. Sic Pelaſgus avus Æmonis. Rhiano verò pater. Vtrique Theſſalus Æmonis filius. Rhianus:

——Ο῾ δ᾽ αὖ τίκε Θέσσαλον Αἵμων.

Et ordo ita poſtulat. Nam & *Pelaſgia* à Pelaſgo dicta eſt pars Theſſaliæ. Stephanus: Θεσσαλία ἀπὸ Θεσσάλου, ἡ πρότερον Πελασγία. Pelaſgus quippe avus Theſſali Rhiano. Stephanus autem abavum facit. Nam Æmon ei Chlori filius eſt, Chlorus Pelaſgi. Æmon quoque Arcas ex Peloponneſo, Lycaonis filium avum habuit Pelaſgum, Apollodoro auctore. Γενεαλογία convenit Æmonis qui nepos fuit Pelaſgi tam in Theſſalia quam in Peloponneſo. Tempora etiam non abludunt. Pelaſgi Theſſaliæ, ut Peloponneſii Pelaſgi auctorem habuere Pelaſgum. Nunc quæſtio eſt an duo fuerint Pelaſgi uno eodemque tempore, unus in Peloponneſo, alter in Theſſalia, & duo diverſi populi ab illis nominati. Si hoc non ſit, oportet Pelaſgos Theſſaliæ ortos eſſe à Peloponneſiis, aut hos ab illis. Vtrum veriſimilius ſit, jam laboramus inveſtigare. Hoc ſic eſt explorandum. Pelaſgus ille Lycaonis pater, avus Æmonis, ante diluvium Deucalionis vixit. Nam ob impietatem nepotum ejus diluvium accidiſſe plerique auctores memorant. Conſtat autem, ſi fides auctoribus, eo diluvio Deucalioneo totam Peloponneſum fuiſſe obrutam,

obrutam, ut & maximam Græciæ partem. Nullus enim in Peloponneſo mons tantæ altitudinis, ut aquis ſuperextare potuerit, aut quemquam ex ea regione ſervare. Theſſaliæ vero montes altiſſimi, per diluvium diviſi ſunt, & Peneum qui intra eos ſtagnabat emiſerunt, ac Tempe fecerunt. Sic explicandus Apollodorus: Τότε δὲ καὶ τὰ κατὰ Θεσσαλίαν ὄρη διέςη, καὶ τὰ ἐκτὸς Ἰσθμοῦ καὶ Πελοποννήσου συνεχέθη πάντα. Omnia extra Iſthmum & intra, quæ in Peloponneſo ſcilicet, aquis obtecta fuiſſe, & inundata indicat. Theſſalia Græciæ regionum, ſi modo his accenſeatur, altiſſima, celſoſſimoſque montes habet. Nam inde plurimi amnes oriuntur & decurrunt in alia Græciæ loca. Peloponneſus autem maximè depreſſa. & humillimis aſſurgit montibus. Vnde non mirum ſi omnia ejus loca aquis diluvii cooperta ſunt. Pauci qui in Theſſalia erant, evaſerunt, proximis, & excelſis montibus aſcenſis. Apollodorus, ὥστε διαφθαρῆναι πάντας ἀνθρώπους, ὀλίγων χωρὶς οἳ συνέφυγον εἰς τὰ πλησίον ὑψηλὰ ὄρη. Alii etiam auctores qui tradunt diluvio illo Deucalioneo omnes homines interiiſſe. Stephanus: γενομένου δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ τοῦ ἐπὶ Δευκαλίωνος πάντας διεφθάρησαν. Deucalionem porro, ait idem Apollodorus, in arca vice naviculæ novem dies totidemque noctes ſuper aquas erraſſe, ac nono demũ die aquis decreſcentibus ad Parnaſſum

arcula

arculæ appulſa, ſic ex undis ſervatum. Quem Parnaſſum inde nomen accepiſſe hariolantur, quaſi Λαρνασσὸν, ἀπὸ τοῦ λάρνακος. Aquis obrutum illum montem cum aliis Græciæ per diluvium vel inde conſtat, quod non niſi poſt nonum diem pluviis ceſſantibus, & aquis minuentibus detectus ſit. Peloponneſum igitur totam cum ſuis montibus opertam inundatione aquarum fuiſſe, nullumque in ea mortalium perniciem ex aquis evitaſſe liquet. Quod etiam alia ratione, ſi ratio eſt in fabulis, colligitur. Cum enim Lycaonis filios, qui in Peloponneſo vivebant, exterminare ob impietatem vellet Iuppiter, & diluvium terris propterea immiſerit, maxima vis ejus & inundatio regioni illi, quam incolebant ſcelerati, & diluvio puniendi, incumbere debuit. Nemine igitur ex Peloponneſo mortalium incolumi ex aquis relicto, tota Pelaſgorum & Pelaſgidarum natio in ea regione extincta eſt Cataclyſmo. Probabile ergo eſt, nullum eorum veſtigium nec memoriam remanſiſſe. Quis enim poſt diluvium extincto univerſo hominum per illa loca genere ſcire potuit, quo nomine fuerint & unde incolæ regionis illius ante diluvium? Atqui poſt diluviũ Peloponneſum Pelaſgiam fuiſſe vocatam certum eſt, & Pelaſgos eam incoluiſſe. Ergo aliunde illos eò veniſſe conſtat. Vnde autem niſi ex Theſſalia in qua diu multumq; vixêre,

& inter Æoles inclaruêre, ut Strabo ſcriptum reliquit lib. v. Τοὺς δὲ Πελασγοὺς, inquit, ὅτι μὲν ἀρχαῖον τὸ φῦλον κατὰ τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ἐπεπόλασε, καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι τοῖς κατὰ Θετταλίαν, ὁμολογοῦσιν ἅπαντες σχεδόν. *Cæterum Pelaſgos antiquam eſſe gentem & per totam fere Græciam efferbuiſſe, & maxime apud Æoles Theſſaliæ populos, inter omnes ferè convenit.* Quid ergo veriſimilius quam cum iſtis Æolibus Theſſaliæ populis, poſt diluvium antiquiſſimis, quibus immixti erant, in Peloponneſum perveniſſe, terramque illam propter diluvium ab hominibus vacuam & deſertam repleviſſe & coluiſſe? De Æolum Theſſalorum in Peloponneſum migratione nos ſuprà. Pelaſgiam porro vocatam tum fuiſſe Peloponneſum, & Pelaſgos ſive Pelaſgiotas eam inhabitaſſe cum Danaus eò venit, conſentiunt auctores. Euripides:

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ
Ἐλθὼν ἐς Ἄργος, ᾤκισ᾽ Ἰνάχου πόλιν.
Πελασγιώτας δ᾽ ὠνομασμένους τὸ πρὶν
Δαναοὺς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκ᾽ ἀν᾽ Ἑλλάδα.

Per Ἄργος intelligit regionem, per Ἰνάχου πόλιν quam à Danao conditam dicit urbem Argos. Danaum condidiſſe Argivorum arcem auctor eſt Strabo. Et ſic intelligendi illi verſus Euripidis de Danao qui condidit Ἰνάχου πόλιν, nempe τὴν ἀκρόπολιν τῶν Ἀργείων. Strabo lib. VIII. τὴν δ᾽ ἀκρόπολιν τῶν Ἀργείων

οἰκίσαι

Digitized by Google

οἰκίσαι λέγεται Δαναὸς, ὃς τοσοῦτον τοὺς πρὸ αὐτοῦ δυναστεύοντας ἐν τοῖς τόποις ὑπερβαλέσθαι, ὥστε κατ' Εὐριπίδην.

Πελασγιώτας ὠνομασμένους τὸ πρὶν
Δαναοὺς καλεῖσθαι νόμον ἔθηκ' ἀν' Ἑλλάδα.

Idem Euripides vel alius, non enim nunc ſatis memini. Πρῶτον Πελασγοὶ, Δαναΐδαι τὸ δεύτερον. Æſchylus verò Pelaſgum illum Arcadem indigenam recentiorem facit quam ab aliis fit. Nam imperaſſe tum Argis dixit cum Danaides eò advenerunt.

Τοῦ γηγενοῦς γάρ εἰμ' ἐγὼ Παλαίχθονος
Ἶνις Πελασγὸς τῆσδε γῆς ἀρχηγέτης.

Nam Danaides ſex γενεαῖς ab Inacho diſſitæ fuêre, cum Pelaſgus tribus tantum γενεαῖς ab eodem in deſcenſu diſtaret, juxta γενεαλογίαν Apollodoro delineatam. Præterea nondum Argos erat cum Danaus aut Danaides in Peloponneſum commigrarunt. Nam à Danao conditum fertur. Non igitur Argis imperabat Pelaſgus, cum Danaus Peloponneſi incolis nomen, occupata ea regione, mutavit, & Danaos pro Pelaſgis curavit appellandos. Sed Æſchylus, ex perſona ſua loquutus eſt, non regionem eo nomine appellavit, quo vocabatur tempore Danai. Quod ſollemne Poëtis, & præcipuè Tragicis. Sic Euripides in verſibus ſupra citatis Danaum εἰς Ἄργος veniſſe dicit, & condidiſſe ibi urbem Inachi, id eſt Ἄργος. Nam regio ab urbe nomen

men ſortita eſt. Ita Virgilius, *portuſque require Velinos* dixit, ex perſona ſua, cum nondum Velini eſſent. Et Homerus Πελασγικὸν Ἄργος appellat Theſſalicum. Ergo vetuſtius illud Peloponneſiaco, quod ab eodem vocatur Ἀχαϊκὸν. Achæi enim iſtud condiderunt, quorum origo Theſſalica vel Phthiotica. Pelaſgi proinde in Theſſalia antiquiores quam in Peloponneſo. Nec audio auctores temporum antiquitatis Græcanicæ, qui τὰ Ἀρκαδικὰ à Pelaſgo ducta duabus γενεαῖς vetuſtiora ſtatuunt τῶν Φθιωτικῶν ſub Deucalione. Ita enim ſcribendum apud Clementé Stromateon l. 1. Τούτων δὲ τῶν Ἀρκαδικῶν ἀπὸ Πελασγοῦ, ἄλλαιν δυοῖν νεώτερα, τὰ Φθιωτικὰ, τὰ ἀπὸ Δευκαλίωνος. Vulgo legitur corruptiſſime, τούτων δὲ ἄλλα πεντήκοντα δυοῖν νεώτερα. Quomodo enim poteſt fieri ut Pelaſgus Arcas quinquaginta duabus generationibus antiſtaret Deucalione? Nam ſecundum γενεαλογίαν Apollodori & aliorum Pelaſgus pater Lycaonis fuit, ſub cujus natis & propter eos, diluvium Deucalionis contigit. Ergo duabus tantum γενεαῖς poſterior Deucalion Pelaſgo Arcade. Et ſane ſic ſcribitur apud Euſebium, ἄλλων δυοῖν. Nihil verius noſtra correctione. Cæterum ſi rectè calculus ducatur earum γενεαλογιῶν, quibus primi illi percenſentur mortales, prior ipſo Pelaſgo reperietur Deucalion. Cœli filius fingitur in illis Iapetus, Iapeti Prome-

theus

theus, Prómethei Deucalion, qui quartus à Cælo numeratur. Pelaſgus autem ab eodem Cælo ultimo auctore ſextus exiit. Nam Cælus genuiſſe proditur Oceanum, Oceanus Inachum, Inachus Ægialeum, Ægialeus Apin, Apis Pelaſgum. A quibuſdam *αὐτόχθων* traditur. Sed hoc argumento indicatur aliunde in Peloponneſum pervectus, non ibidem natus. Quorum enim ignorabatur origo, aut quibus ex locis advenissent, *genuini terræ* fingebantur. Ipſi etiam ſe tales ferebant, ut tanto majore in pretio eſſent apud eos quibus ignoti antea adventu ſuo innoteſcebant. At in Theſſalia in qua vere principium eorum hominum conſtituendum eſt, qui Græciæ loca humano genere repleverunt, nemo *αὐτόχθων* dictus eſt. Nemo quippe ex ignotis regionibus adventans ſedem ibi ceperat, ſed omnium inde loci mortalium initium & ortus ibidem noſcebatur. Ponemus Pelaſgos Arcadiæ in Peloponneſo vernaculos fuiſſe, & inde in Theſſaliam ſe contuliſſe, & proinde A'ρκαδικὰ duabus generationibus, ut volunt, antiquiora extitiſſe, id multis modis incredibile deprehendetur. Primum oporteret Pelaſgos ante diluvium & Deucalionem ibi fuiſſe & præterea diluvio quod *publicæ mortis* nomine appellat quidam auctor, ſuperfuiſſe. Hoc etiam demus, (quod tamē dari non poſſe ex iis quæ ſupra docuimus, certum eſt.) Poſt diluvium

diluvium retectis terris, & iterum coli cœptis, Deucalionis nati ad quærendas ſedes patria excedentes alii in Attica, alii locis circa Parnaſſum, partim in Peloponneſo ſubſtiterunt. Ergo eodem tempore Pelaſgi à Peloponneſo egreſſi in Theſſalia ſedes locaſſent. At nemo ſcriptum reliquit veterum auctorum, quamdiu Æolii ab Æolo Hellenis filio in Theſſalia regnarunt, ab aliis populis inde fuiſſe ejectos, aut Pelaſgos aliunde profectos ibi locum ſedibus delegiſſe. E contra plurimæ mutationes, & populorum, ut loquitur Tertullianus, *compulſationes* in Peloponneſo accidiſſe memorantur, quaſi diluvio quodam gentium è Theſſalia in eam regionem irruentium, Ionum, Dorum, Æolum & Achæorum; ergo etiam Pelaſgorum. Nam & hi ab ultima origine in Theſſalia reſederant, cum Phthiotis. Vnde & pars Theſſaliæ Πελασγιώτις appellata, ut *Phthiotis*, quo tempore nec Theſſaliæ nomen auditum fuerat. Recentem quippe eſſe hanc appellationem inter plures conſtat. Necdum erat Iliacis temporibus, quamvis qui hiſtoriam Iliacam compoſuerunt ejus nominis Theſſaliæ mentionem fecerint, more poëtarum ex ſua perſona, non pro ratione temporum, de nominibus locorum commemorantium. Sunt qui à Theſſalo natione Theſprotio, dictam perhibent, Iliacis temporibus poſteriore. Qui volunt antiquius eſſe

Digitized by Google

hoc nomen Iliaca ἁλῶναι, eorum alii à Theſſalo Herculis filio, alii ab Iaſonis, dictos Theſſalos affirmant. Quibus eſſe antiquiſſimam appellationem placet, Theſſalum, eum qui Theſſaliæ nomen à ſe dedit, Pelaſgi nepotem, Æmonis filium aſſerunt, ut ſuprà oſtendimus. Pelaſgus certe Theſſalus antiquior videtur Arcade Pelaſgo, & ſic Arcadiæ Pelaſgi à Theſſalis potius oriundi videri debent, quam hi ab illis. Ephorus Pelaſgos Theſſaliæ fuiſſe ἀνέκαθεν Arcades probabat auctoritate Heſiodi, qui Lyaconis patrem illum Pelaſgum fecerat, & ſic Argi fratrem, qui Argus Pelaſgi filius. Atqui αὐτόχθονα idem alibi eſſe dixerat. Nec quærenda fides in poëtis, nec conſtantia. Præterea illum ipſum Pelaſgum Arcadem, à quo & Arcadia nomen Pelaſgiæ olim invenit, quartum ab Argo Charax ſtatuebat in Chronicis. Πελασγὸς, inquit, Ἀρέστορος παῖς τοῦ Ἐκβάσου, τοῦ Ἄργου μετοικήσας ἐξ Ἄργους εἰς τὴν ἀπ' ἐκείνου μὲν τότε Πελασγίαν, ὕστερον ἢ κληθεῖσαν Ἀρκαδίαν ἐβασίλευσεν ἔτη πέντε, καὶ πόλιν Παῤῥασίαν ἔκτισε. Idem Stephanus in voce Ἔφυρα, Pelaſgum Lycaonis filium facit, & Lycaonem Arcadis, quem Pelaſgum Theſproti patrem ibidem fuiſſe tradit. Alia hæc Pelaſgi γενεαλογία eſt, quam quæ ab aliis memoratur. Auctor quem hîc ſequitur Stephanus, videtur Arcada iſtius Lycaonis filium propter Theſprotum ad partes Mace-

Macedoniæ potius revocare quam ad Peloponneſum ejus originem. Quod apertius fecit Duris apud Scholiaſtem Apollonii. Ille Duris auctor celeberrimus τὰ Μακεδονικὰ ſcripſerat. In eorum quinto ac decimo libro Arcadem, à quo Arcadia denominata eſt, filium fuiſſe Orchomeni tradidit, à quo Orchomenus urbs etiam Arcadiæ appellata. Sed ſine dubio cum in Macedonicis rebus illius Arcadis mentionem fecit, à Theſſalia & Macedonia ejus originem repetebat. Nam & Orchomenii coloni Theſſalorum fuêre. Et urbs etiam cognominis fuit in confinio Macedoniæ & Theſſaliæ. Inde & φθίη πόλις Ὀρχομενοῖο Apollonio. Ad quem locum notat Scholiaſtes vetus, Δυνάστου δὲ, inquit, ἐν Ὀρχομενῷ μνημονεύειν τοῦ μεθορίου Μακεδονίας καὶ Θεσσαλίας. Ἔστι γὰρ καὶ Ὀρχομενὸς καὶ ὄρος καὶ πόλις Θεσσαλίας, καὶ Βοιωτίας, καὶ Ἀρκαδίας καὶ Πόντου. Non eſt igitur dubium quin Duris hujus Arcadis in Macedonicis meminerit, quod è Theſſalia eſſet prima ejus origo. In tanta opinionis varietate cum nullius ſufficiat auctoritas, per conjecturas veritas eruenda eſt, unde major ejus lux, & manifeſtior apparet. Illud generaliter verum eſt, nullos è Peloponneſo populos in Theſſaliam inundaſſe, plures è Theſſalia diverſis temporibus Peloponneſum coloniis occupaſſe. Caranus Macedonis filius qui maternus Deucalionis nepos fuit,

dux Peloponneſiacæ multitudinis Solino dicitur, *qui juxta reſponſum datum à Deo, ubi Caprarium pecus reſediſſe adverteret, urbem condidit, quam dixit* Αἴγας. Græciam inter Peloponneſum & Theſſaliam ſitam, ſub Ἑλλάδος nomine ab Ἕλληνι Deucalionis filio, non Peloponneſum, aut Theſſaliam populis à ſe ortis & urbibus inſtruxit. Corinthum in Iſthmo ipſo poſitam Siſyphus Æoli filius, Hellenis nepos, & Deucalionis pronepos condidit. Longe itaque probabilius Theſſaliæ Pelaſgos Peloponneſi Pelaſgis nomen & originem dediſſe quam illos ab his accepiſſe. Argumento quo Ephorus utebatur ex auctoritate Heſiodi ſumpto, qui Lycaonem Arcadem Pelaſgi filium faciebat, poſſet etiam probari Macedonem, & Phthium, & Theſprotum, & Peucetium & Æmonem (à quo Æmonia olim Theſſalia eſt nominata,) & Teleboan à quo Τηλεβοὶς pars Acarnaniæ dicta, origine Arcadas fuiſſe. Nam inter Lycaonis filios omnes ſupraſcripti recenſentur ab Apollodoro. Μακεδνὸς in iis numeratur, qui omnino idem eſt, qui & Μακεδὼν, ut ſupra oſtendi. Nam & Ἕλληνες Phthiotici Μακεδνοὶ appellati ſunt, cum Pindum incolerent, quia Macedoniam à Septentrione attingit. At Μακεδὼν, ſive Μακεδνὸς maternus nepos fuit Deucalionis, ex Thyia Deucalionis filia & Iove genitus. Phthius unus ex Lycaonis filiis Apollodoro nomi-

nominatur, à quo Phthia Theſſaliæ urbs & regio vocata, quem Phthium Achæi filium, Xuthi nepotem quidam tradiderunt, ac proinde Deucalionis pronepotem. Hujus Phthii filium Hellenem eſſe, non Deucalionis, nonnulli ſcripſerunt, à quo Hellas in Theſſalia urbs condita fuerit, & Ἕλληνες appellati. Sed plures quod Deucalionis fuerit, conſentiunt. Sic multa eadem nomina non ſolum hominum, ſed etiam locorum, & fluminum in Theſſalia & Peloponneſo, (ne de alia Græcia dicam,) in Peloponneſum è Theſſalia traducta eſſe potius quam contra, mihi veriſimile eſt. Nec dubitabunt æquiores ac peritiores mecum ſentire. Salmoneus, quem ad Alphei fluenta inſaniſſe Iovis fulmen imitando dixit Euripides, ab Hellene Phthiote originem duxit, cujus & nepos fuit per Æolum patrem Héllenis filium.

Ἕλλην γὰρ, ὡς λέγουσι, γίγνεται Διός,
Τοῦ δ' Αἴολος παῖς, Αἰόλου δὲ Σίσυφος,
Ἀθάμας τε, Κρηθεύς θ', ὅστ' ἐπ' Ἀλφειοῦ ῥοαῖς
Θεοῦ μανεὶς ἔρριψε Σαλμωνεὺς φλόγα.

Eleos in Peloponneſo Æolici generis eſſe ſcribit Strabo lib. VIII. Nomen illis ab Elide, qui Elis ſecundum Cononem apud Photium filius Neptuni & Eurypyles, Deucalionis neptis ex Protogenia ejus filia, quæ patrem habuit Endymionem. Endymion quippe μητροπάτωρ fuit τοῦ Ἤλιδος, & nepos Deu-

Digitized by Google

calionis. Aſopus ex Sicyone fluvius. Ejuſdem nominis eſt & in Theſſalia, prope Heracleam Trachiniam. De Inacho ipſo quid dicendum, quem à Pindo monte oriri dixit Sophocles? Sic enim de Inacho Peloponneſi:

—— Ῥεῖ γὰρ ἀπ' ἄκρας
Πίνδου, Λάκμου τ' ἀπὸ Περραιβῶν
Εἰς Ἀμφιλόχους καὶ Ἀκαρνᾶνας,
Μίσγει δ' ὕδασι τοῖς Ἀχελώου.

Hactenus quidem rectè. Nam amnem eodem nomine fuiſſe conſtat in Acarnania. Sed quod vult eumdem eſſe qui apud Argivos fluit in Peloponneſo, ſanè errat.

Ἔνθεν δ' Ἄργος διὰ κῦμα τεμὼν
Ἥκει δῆμον τὸν Λυρκείου.

Inachum Amphilochicum dictum eſſe ab Inacho Argivo auctoribus placet. Sed quid ſi contra eſt? Multa alia concurrunt, quibus ita potius quam illo modo credam. Sane controvertitur apud auctores, utrum Græcia ſive Ἑλλὰς, quæ media eſt Peloponneſo & Theſſaliæ vel Magneſiæ, illinc potius quam hinc homines acceperit, à quibus culta ſit, & frequentata. Ab una extremitate qua Theſſalia eſt, Prometheum nominant primum hominum plaſten, & Deucalionis patrem, à quo poſt Cataclyſmum reparatum ſit genus humanum, diluvio per totam Græciam extinctum. Ab altera qua eſt Peloponneſus Phoroneum proponunt, quem & primum mortalem fuiſſe autu-

auctumant. quem & patrem propterea humani generis indigitaverit Phoronidis poëta. Clemens Stromateo 1. Ἀκουσίλαος γὰρ Φορωνέα πρῶτον ἄνθρωπον γενέσθαι λέγει. ὅθεν καὶ ὁ τῆς Φορωνίδος ποιητὴς εἶναι αὐτὸν ἔφη πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων. Ecce Phoroneus primus mortalis, & mortalium primus auctor & conditor. Quid aliud de Prometheo fabulati ſunt, & Deucalione hujus filio? Nam ſane hic πρῶτος ἄνθρωπος fuit, Pater quippe ejus non homo mortalis, ſed Deus, & hominum quidem primus fictor. Et hic quidem in Theſſalia natus, Deucalionem dico, Phoroneus verò quem Deucalioni oppono, in Peloponneſo; unde Ἄργος poëtis Φορωνικὸν ἄστυ appellatur. Quod antiquitatem ſpectat, ambo æquales, ſi vera ſunt quæ de illorum origine prodiderunt auctores Græci. Nam Phoroneus à Cœlo quartus, qui pater Oceani, cujus filius Inachus, à quo Phoroneus. Nec plures gradus à Deucalione ad Cælum. Patrem quippe habuit Prometheum, qui Iapeti filius, Iapetus porro Cœli. Pares & ea parte ſunt Deucalion & Phoroneus, quod ſub utroque Cataclyſmum extitiſſe perhibent, & quidem in Græcia utrumque. Clemens: Ἦν δὲ κατὰ τὴν Ἑλλάδα κατὰ μὲν Φορωνέα, τὸν μετὰ Ἴναχον, ὁ ἐπὶ Ὠγύγου κατακλυσμός. De Deucalione non eſt monendum. Nihil vulgatius. Ejus quoque κατακλυσμὸν Græciam præcipuè diluiſſe inter

auctores convenit. Sed mirum cum hæc ita ſint, tam diſtantibus poni temporibus utrumque Cataclyſmum. Priorem illum qui ſub Phoroneo contigit, nominant, iſtum poſteriorem qui ſub Deucalione, in iiſdem locis. Ex his quæ ſupra notavimus, conſtat, iiſdem vixiſſe ferme temporibus Phoroneum & Deucalionem, quandoquidem pari gradu ambo primum generis auctorem Cœlum contingebant. Varro apud Cenſorinum ita prioris Cataclyſmi meminit, ut non nominet poſteriorem, ſed tamen ex prioris nomine iſtum ſubintelligendum præbeat. *Varro*, inquit; *tria diſcrimina temporum eſſe tradit, primum quod ab hominum principio uſque ad Cataclyſmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum à Cataclyſmo priore ad Olympiadem primam, quod quia in eo multa fabuloſa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur ἱστορικὸν: quia res in eo geſta veris hiſtoriis continentur.* Poſteriorem Cataclyſmum tacite comprehendit ſub illo intervallo, quod à priore Cataclyſmo uſque ad Olympiadem primam proceſſit. Non igitur mirum ſi in utroque temporum intervallo ἀδήλῳ & μυθικῷ tam multa incurrant explicatu & creditu difficilia. In Adelo omnia obſcura, in Mythico propter fabulas omnia incerta. Ἄδηλον autem id potius ſignificare videtur, quod prorſus ignoratur, de quo nihil

dici

dici aut ſciri poteſt. Sic ἄδηλα opera dicuntur & Epigrammata, quorum auctor omnino neſcitur. Incertum eſt de quo variant ſententiæ, utrum huic an illi magis tribuendum ſit opus. Sic incerta potius τὰ Μυθικὰ, τὸ ἄδηλον autem an omnino fuerit aut quale fuerit, prorſus latet. Iam illud quod ajebat Varro ab hominum principio uſque ad Cataclyſmum priorem, totum id ſpatium eſſe ἄδηλον, certe non multum tempus inter primos homines fluxit & Cataclyſmum, ſi credimus traditis. Phoronei ætate & Deucalionis qui primi hominum traduntur, ille in Peloponneſo, hic in Theſſalia, diluvium extitit. Poëtæ in tertia hominum γενεᾷ quæ ſæculum ferreum condidit, Cataclyſmum contigiſſe cecinerunt. Deucalion ſanè & Phoroneus in tertia γενεᾷ conſiſtere reperientur, ſi Cœlus rerum omnium primus auctor & conditor non numeretur. Cum rivi numerantur, fons ipſe numeri partem non facit, nec cum rami arboris computantur, truncus aut ſtirps inter ramos reponitur. Vnum omninò Græcis puto cognitum fuiſſe Cataclyſmum. Nam quod Phoronæi ætate accidiſſe narrant, & priorem reputant, cum poſteriore Deucalioneo eumdem jure meritoque ſtatuo. Fabuloſum illum geminum Cataclyſmum ſuum, qui unus eſt, Græci adumbrarunt ex vero, quem novimus ex ſacra Scriptura. Omnia ſanè pariant, cauſa, res ipſa,

& rerum circumſtantiæ. Exterminanda hominum malitia cum ipſis, unus homo cum domo ſua ſervatus. Sic enim & de Deucalione narratur. Arca in qua enatavit. appulſus arcæ ad montem, poſt retecta montium cacumina. Arcam Deucalionis in Parnaſſo conſediſſe, Græcorum fabulæ memorant, Noaci arcam in monte Armeniæ ſubductam ſcriptores veridici tradunt. Arcam ipſam de qua elapſus eſt Deucalion, ab eo fabricatam fuiſſe ſcribit Apollodorus, τεκτηνάμενος τὴν λάρνακα. Tempora ſola non conveniunt. Nam Jnachus Phoronei pater, cui reſpondet ætas Deucalionis, quia Phoroneus & Deucalion ſecundum fabulas, pari ſpatio abſunt à primo progenitore Cœlo, æqualis Moſi traditur. Aliquid Græci inaudiverant de Noaci Cataclyſmo quaſi per caliginem. Atqui, ut eorum mos eſt, omnia ad ſe rapere præ vanitate & inani gloria, quæ aliorum ſunt, quod de Noaco vera & ſacra tradidit hiſtoria, de ſuo Phoroneo ea memorarunt Peloponneſii, de ſuo Deucalione Theſſali. Altius autem ire, ac ad tempora Noaci uſque pervenire non potuerunt, quia majorem ſuarum rerum & hominum antiquitatem non noverant, ſive inopia monumentorum, ſive quod revera Græcia ante id tempus homines non habuerit. Hac ergo cauſa factum eſt ut haud longe à principio hominum, quorum antiquiſſima extaret

in

in Græcia memoria, diluvium quod fama perceperant, collocarint. Primi etiam hominis πλᾶσιν apud ſe inſtitutam finxerunt. De cujus protoplaſti creationis tempore ſi errarunt, quid mirum ſi & de Cataclyſmo hallucinati ſunt. De ea prima humani generis formatione duæ regiones contenderunt, Peloponneſus, & Theſſalia. Hæc Deucalionem jactat cujus temporibus Cataclyſmum tribuit, illa Phoroneum. Vtri veriſimilius eam gloriam ſibi vindicaverint, facile judicium eſt. Neutros rectè vindicare in promptu deciſio eſt. Sed tamen & æſtimari poteſt utri probabiliorem fabulam & magis argumento convenientem commenti ſint. Ex ſeptentrione ſemper potius quam ex meridie hominum profluxiſſe copiam, qua diverſis temporibus inundata eſt Europa, nemini incompertum eſt. Cum Græcia itaque primos homines accepit, à ſeptentrionis eos plaga veniſſe quam à meridianis oris veri magis eſt ſimile. Si autem talis unquam in Græcia extitit Cataclyſmus, qualem volunt ipſi Græci fuiſſe, quo hominum genus, exceptis paucis, abolitum fuerit, magis ſervatos probabile eſt qui altiſſimam regionem incoluerint, quam qui depreſſiſſimam. De Theſſalia non eſt controverſum quin excelſiſſimos habuerit montes, & diluvio inſuperabiles. Contra eſt de Peloponneſo, quæ aquis pæne tota circumflua, inſulæ in morem,

rem, & multis fluminibus irrigua, depreſſo ſolo, montibus non ita elatis, diluvio maxime & internecioni omnium animantium generali maxime obnoxia fuiſſe videtur. Auctores quinetiã conſentiunt, Theſſaliæ montes diluvii fuiſſe immunes, ac proinde multis in ea hominibus perfugium, qua mortem ex diluvio vitarent, præbuiſſe. Solinus: *Pergam ad ea juga quæ in Theſſaliam & Athamaniam contendunt. Sunt enim arrectiora quam uſquam proceritas montana attolli valeat. Nec eſt in terris omnibus quod merito ad iſtas eminentias comparetur. Quippe quas ſolas diluvialis irruptio, cum univerſa obduceret humido ſitu, intactas reliquit.* Vnum reſtat, ſed longe validiſſimum argumentum, quo conſtet, primos Peloponneſi colonos è Theſſalia adveniſſe, non Peloponneſum Theſſaliæ influxiſſe. In Theſſalia convenit inter omnes ſcriptores genitum Græcum, à quo Græci: etiam Hellena, à quo ἕλληνες & Ἑλλάς. Inde igitur & lingua Græca ſive Hellenica. Pelaſgi ipſi, quo nomine & Græci olim nuncupati ſunt, quoſque ἀρχαιοπότυς τῆς ἑλλάδος fuiſſe aliquot locis pronuntiavit Strabo, Græce loquutos liquet, quamvis eos barbaros Herodotus faciat. Ἔστι δὲ, ὥς φησιν Ἔφορος, Πελασγῶν ἵδρυμα Δωδώνη. Οἱ δὲ Πελασγοὶ τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα δυναστευσάντων, ἀρχαιότατοι λέγονται. Græco eos ſermone uſos eſſe certum eſt. Cære apud Tuſcos olim

olim Agylla dicebatur, à Pelaſgis Theſſalia oriundis condita. Cære pro Agylla ea occaſione nominata fertur, quam retulit Strabo. Cum Agyllenſibus Lydi qui Tyrrheni dicti ſunt, bellum intuliſſent, & mœnibus adequitans unus ex obſidentibus ſciſcitatus eſſet urbis nomen, obſeſſorum aliquis à muro reſpondit, χαῖρε. Omen accipere ſe Tyrrheni dixerunt, & captam poſtmodum urbem Χαῖρε inde nominarunt. ſic factum *Cære* oppido nomen. Ex his conſtat Pelaſgos Græce loquutos. Pelaſgos illos, qui Agyllam condiderunt, ex Arcadia profectos videtur putaſſe Dionyſius, qui ita ſcribit:

Τυῤῥηνοὶ μὲν πρῶτ', ἐπὶ δὲ σφίσι φῦλα Πελασγῶν
Οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες
Αὐτόθι νηήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυῤῥηνοῖσι.

Sed de Pelaſgis, qui cum Evandro & Carmenta ejus matre in Italiam ex Arcadia venerunt, interpretes accipiunt. Sane Pelaſgos Agyllæ conditores, quorum illa reſponſio Græce concepta fuit, Theſſalos fuiſſe Strabo aſſerit. Ἄγυλλα γὰρ ἐλογίζετο τὸ πρότερον ἡ νῦν Καῖρε. Καὶ λέγεται Πελασγῶν κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας ἀφιγμένων. Scio Arcadas magnam antiquitatem ſui venditaſſe, & luna priores ſe dixiſſe. Primus qui eos προσελήνους dixerit, Hippys Rheginus fertur. Non debita ſic ſibi vindicarunt. Quod uno argumento poteſt refelli,

&

& quidem potentiſſimo. Nunquam alia lingua uſi traduntur illi Arcades antelunares, niſi Græca, & quidem Æolica. Talem Evander intulit Latio, quæ & Latina poſtea per μετάπτωσιν facta eſt. Æolios in Theſſalia ab Æolo dictos poſt Hellena ejus patrem regnaſſe quis neſcit? Nemo ſane veterum dubitavit cum omnes id affirment, qui Αἰολεῖς Θεσσαλίας appellant, quos poſtea in Peloponneſum linguam ſuam invexiſſe certum eſt. Elei quoque cum Arcadibus à ſtirpe Æolii, ut ante docebamus. Conon in narratione XXVII apud Photium quæ tota de Deucalione Theſſalo & ejus progenie contexta erat, καὶ περὶ Ἕλληνος τοῦ παιδὸς Δευκαλίωνος, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν βασιλείαν τελευτήσαντος αὐτοῦ, καὶ τίκτει παῖδας τρεῖς, ὧν Αἴολον μὲν τὸν πρῶτον βασιλεύειν ἐδικαίωσεν, ἧς ἦρχε γῆς Ἀσωποῦ καὶ Ἐνιπεῖ δυσὶ ποταμοῖς τὴν ἀρχὴν διορισάμενος. De reliquis duobus filiis Hellenis ſequitur, Doro & Xutho, à quibus etiam Dores & Iones Peloponneſo invecti, & lingua Dorica eodem illata. Nam in tota Peloponneſo nulla unquam alia lingua uſitata proditur niſi Æolica & Dorica, vel ex utraque mixta. Omnia præterea locorum nomina & fluminum Græca omnino in ea videntur: quædam etiam Theſſaliæ locis ὁμώνυμα, ut Inachus, Aſopus & alia. Ὀ-ρεσθάσιον Arcadiæ ab Oreſtis populis Theſſaliæ. Scio quid de his ſcriptores dicant. Στύμφα-

λος

Digitized by Google

λ☉· mons ex Τύμφη, vel Σλόμφη Theſprotico monte deductus. Appellationes antiquiſſimorum hominum, quos & Peloponneſo genuinos volunt, omnes Græcæ, Φορωνεὺς, Ἆπις, Αυκάων, Ἰὼ, & reliquæ. Nam Ἰὼ eſt μονογενὴς, filia unica ab antiquo Græco Ἶ☉·, cujus fœmininũ Ἶα Homero uſitatum. Inde & Ἴων quoque Xuthi filius, qui & ipſi unicus, licet Achæum fratrem illi dent nonnulli, forte ex alia uxore. Vnde igitur illa nomina quæ Græca ſunt, niſi à Græcis Theſſaliæ, ubi hæc lingua, & nomen & originem invenit? Ipſe Apis quem Phoronei filium faciunt, non Peloponneſi genuinus, ſed advena. Ex Epiro enim veniſſe, & à ſerpentibus regionem liberaſſe auctores ſunt qui dicant, ut eſt apud Dionyſii Scholiaſtem. Æſchylus hoc etiam tradit: Ἆπις γὰρ ἐλθὼν ἐκ πέραν Ναυπακτίας. Inde Apia vocata quondam Peloponneſus. Ἀπίδαν☉· amnis Peloponneſi, ſed nec minus Theſſaliæ, qui ab Api nomen videtur nactus. Inde & populi Ἀπιδανῆες. Æoles quorum Aborigines Romani Ἄπιον vocabant, quod cæteri Græci σέλινον. Inde Romani *Apium*; quod plurimum in Macedonia ac Theſſalia naſceretur. Vnde & Μακεδονικὸν σέλινον ejus ſpecies vocatur Græcis. Hodie abſolute appellat Græcia vulgaris Μακεδονίσιον, id eſt *Macedonienſe*. Pauſanias in Eliacis Apin illum Peloponneſi longe recentiorem dat quam ut
videri

videri poſſit Phoroneo natus. Iaſonis enim filium eſſe vult. Gentes & genera, quæ Peloponneſum ab antiquo obtinuerunt, quinque eſſe ſtatuit. Primam partem dat Eleis & Arcadibus qui Arcadiam incolebant, ſecundam Achæis, tres reliquas Dorienſibus. Omnes ſane ab origine Theſſali. Nam quod ipſe Pauſanias Arcadas & Achæos αὐτόχθονας Peloponneſi facit, de Achæis eum errare omnes ſcriptores teſtantur. Nam Achæi ab Achæo Deucalionis pronepote, Hellenis nepote, Xuthi filio, & ipſi ἐπήλυδες. De Arcadibus non minus fallitur. Arcas ex Calliſto Lycaonis, quem Lycaonem & ipſum ab ſtirpe Theſſalum fuiſſe plurima fidem faciunt. Vt & ipſum Arcada, ſicut antea docuimus. Plerique filiorum ejus nomen à ſe dederunt pluribus Theſſaliæ locis & vicinis. Ipſe Μακεδὼν, à quo dicta Macedonia, inter ejus filios ponitur ab auctoribus. Atque is eſt quem Μακεδνὸν vocat Apollodorus. Idem quippe eſſe nomen Μακεδὼν & Μακεδνὸς in ſuperioribus oſtendimus. Vocatur & *Macedon* aliis. Stephanus in voce Ὠρωπός. Κέκληται ἀπὸ Ὠρωποῦ τοῦ Μακεδόνος τοῦ Λυκάονος. Oropus urbs Macedoniæ inde vocitata. Ab ea in Euboea urbs cognominis. Euboicam Γεραίαν nominatam Ariſtoteles ſcripſit. Γεραία etiam urbs Eretriæ. Vrbium illa nomina etiam ex Græcis vel Graiis Theſſaliæ. Nam ἐθνικὸν Γεραῖος.

Æoli-

Æolicè, Γραϊϐ. Nam nullam diphthongum agnoſcebant, ſed eas dividebant. Inde *Graii* Latinis iidem qui & *Græci*, Γραικοί. Γραῖες enim & Γραῖκες iidem, Γραῖοι & Γραῖκοι. Æolenſes qui Parium incolebant, etiam Γραῖες dicti. Stephanus: Γραῖκες δὲ παρὰ τῷ Α'λκμᾶνι καὶ τῶν Ε'λλήνων μητέρες. Καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Ποιμέσιν. Ε'στὶ δὲ ἡ μετάπλασμος, ἢ τῆς γραῖ ξ εὐθείας. Εἰσὶ δὲ καὶ Γραῖες Αἰόλεων οἱ τὸ Πάριον οἰκοῦντες. Oreſteus etiam Lycaonis filius, à quo Oreſtæ Macedoniæ vicinus populus. Ο'ρεσθεὺς reſcribendum in Apollodoro pro ὄρος, ubi natos Lycaonis enumerat. Pauſanias repetens ab ultima origine antiquitates Peloponneſi & Eleorum, Aethlium primum in eorum regione ſcribit regnaſſe, maternum Deucalionis nepotem. Elis Cononi filius Eurypylæ & Neptuni, maternus etiam nepos Endymionis, Aethlio geniti cui pater Iuppiter aſſignatur & mater Protogenia Deucalionis filia. In tanta obſcuritate memoriarum antiquarum per illud præcipuè tempus, quod ab hominum principio & priore Cataclyſmo partim ἄδηλον partim μυθικὸν Varro, licet cõjecturis indulgere. Nec aliter poteſt lux veritatis ex tantis tenebris erui. Illud tamen ex iis quæ jam diximus liquet, & lucet, Græciæ univerſæ antiquiſſima eſſe τὰ Θετταλικὰ & Φθιωτικά. Ibi nati Γραικοὶ, Πελασγοὶ & Ε'λληνες, à quibus Ε'λλὰς & appellata & propagata.

Digitized by Google

Nec minus Peloponneſus. In ea parte Muſæ quoque, hoc eſt omnis litteraturæ & artium Græcanicarum magiſtræ domicilium habuêre, quæ & *Pierides* à Pieria dictæ ſunt, Macedoniæ in Theſſaliæ vicina. Mela cap. IV. de Macedonia. *Hic Muſarum parens domuſque Pieria. Hic noviſſimè calcatum Graio Herculi ſolum, ſaltus Oetæus. Hic ſacro nemore nobilia Tempe: Hic Libethra carminumque fontes objacent.* Mira confuſione, ac ſine ullo veri falſique diſcrimine hæc tractarunt Græcarum antiquitatum ſcriptores Chronologi, etiam Chriſtiani. Maximam Græcarum rerum vetuſtatem in Argolicis circa Inachum ponunt, cui Moſis tempora reſpondent. Inacho quattuor γενεαῖς recentiora faciunt Attica negotia quibus Cecrops ille διφυὴς præfuit. Sic enim ſcribendum apud Clementem: Τούτων δὲ, ſcilicet, τῶν ἑλληνικῶν, ſive Ἀργολικῶν ab Inacho, τέσσαρσι μὲν γενεαῖς τὰ Ἀττικά, τὰ ἀπὸ Κέκροπος τοῦ διφυοῦς δὴ καὶ αὐτόχθονος. Falſum enim eſt quod vulgo ſcribitur, τεσσαράκοντα μὲν γενεαῖς. Quod nullo modo verum eſſe poteſt. Sic enim plus quam mille & trecenti anni Cecropem inter & Inachum intereſſent. Atqui paulo poſt in totum viginti plus minus γενεὰς intereſſe tantum ſcribit ab Inacho ad Iliaca tempora, quibus viginti & amplius γενεαῖς cum quadringentos tantum annos tribuit, maximus calculi error eſt. Ita enim ponit: Εἰς δὲ τὸν

χρόνον

χρόνον τῶν τρωϊκῶν ἀπὸ Ἰνάχου γενεαὶ μὲν εἴκοσιν ἢ πλείους διαριθμοῦνται. ἔτη δὲ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τετρακόσια καὶ πρός. Non video tamen, quomodo hoc poſſit procedere. Paulo infra eodem libro tres γενεὰς ſingulis centenis annis imputat. Sic una & viginti γενεαὶ redderent ſeptingentos annos, non quadringentos. Atque ita omninò corrigendum apud Clementem: ἔτη δὲ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἑπτακόσια καὶ πρός. Apud Euſebium verba illa Clementis referentem, ſcriptum eſt, γενεαὶ μὲν εἴκοσιν ἢ μιᾷ πλείους. Hac ratione una & viginti γενεαὶ efficiunt annos ſeptingentos. Quod autem quattuor γενεὰς interjicit, Cecropem inter & Inachum, videndum quænam illæ ſint. Quartus ab Inacho fuit Pelaſgus, ergo temporis ejus æqualis fuerit Cecrops bicorpor. Atqui mox ſubjicit idem Clemens, novem γενεαῖς diſtare τὰ Ἀρκαδικὰ τὰ ἀπὸ Πελασγοῦ, ab Inacho. Quinque igitur generationum ductibus diſtabat Pelaſgus à Cecrope, Cecrops quattuor ab Inacho. Sic quinque exeunt γενεαί. Iuxta eum tamen calculum Cecropem & Pelaſgum æquævos fuiſſe oportet. De Pelaſgo itaque aliquo juniore intelligendum ſit, qui abfuerit à Cecrope quattuor aut quinque γενεαῖς. Is eſt quem ſuperius indicavimus, qui quartus fuit ab Argo. Nam Argus quem fratrem antiquioris Pelaſgi Apollodorus vult, genuit Ecbaſum, Ecbaſus Areſtorem, Areſtor Pelaſgum.

Cæterum ſi de hoc Pelaſgo intelligamus, falſum erit quod adjicit, hoc Pelaſgo recentiora rurſus eſſe τὰ Φθιωτικὰ ſub Deucalione duabus γενεαῖς. Τούτων δὲ τῶν Ἀρκαδικῶν ἀπὸ Πελασγοῦ, ἄλλαιν δυοῖν γενεαῖν νεώτερα τὰ Φθιωτικὰ ἀπὸ Δευκαλίωνος. Nam hoc Pelaſgo non ſolum antiquior aliquot γενεαῖς Deucalion, ſed etiam illo priore qui diſtabat ab Inacho quattuor generationibus. Actæus αὐτόχθων fuiſſe dicitur, qui primus in Attica regnavit quam à ſe Ἀκτὴν appellavit. Hujus filiam duxiſſe in uxorem Cecrops ille bicorpor fertur. Ergo contemporanei ambo niſi quod, ut videtur, paulo antiquior Actæus. Hunc tempore Phorbantis fuiſſe Clemens paulo poſt ſcribit. Cecropem autem eadem ætate vixiſſe qua Triopas, Atlas, Prometheus & Epimetheus vixerunt. Κατὰ δὲ Φόρβαντα, inquit, Ἀκταῖος ἀφ' οὗ Ἀκταία ἡ Ἀττική. Κατὰ δὲ Τριόπαν, Προμηθεὺς καὶ Ἄτλας καὶ Ἐπιμηθεὺς καὶ διφυὴς Κέκροψ, καὶ Ἰνώ. Id quî verum poſſit eſſe, non video. Nam Triopas iſte ex Canace Æoli filia, Deucalionis pronepte, qui Deucalion patrem habuit Promethea. Sic Triopas quinque γενεαῖς à Prometheo diſtabat, qui tamen hîc ei σύγχρονος ſtatuitur. Alio loco apud eumdem Clementem Triopas Iſidi συγχρονεῖ, quæ dicitur ἑβδόμῃ γενεᾷ abeſſe ab Inacho. Quî ſtare hoc poſſit, non video, ſi Iſis eadem cum Io, & Io, ut à pleriſque ponitur,

tur, Inachi filia? Iſter eam Promethei filiam eſſe ſcripſerat, ut eſt apud eumdem Clementem. Sic ergo ſoror fuerit Deucalionis, cujus & Prometheus pater aſſeritur. Et hinc licet colligere quæcunque de Peloponneſi originibus prodita ſunt, ad Theſſalos & Macedonas eſſe revocanda, & Thraciæ Scythiæque vicina loca, unde hominum primum genus in Græciam propagatum eſt. Ibi enim Prometheus & tota ejus progenies, Deucalionidarum collocatur. Inde & Prometheum Caucaſo monti Scythico alligarunt fabulæ, non Parnaſſo nec Cithæroni, nec alii cuiquã Græciæ monti in pœnam donati ignis mortalibus. In propria patria ſupplicio illo fuiſſe affectum veriſimile eſt. Et ſane plurimi auctores conſentiunt, eum in Scythia regnaſſe. Theophraſtus apud Scholiaſtem Apollonii Scytharũ eum regem fuiſſe ſcribit, quem vinxerunt ſubditi propterea quod neceſſaria illis ſuppeditare non poſſet, ob fluminis nomine *ἀετῦ* diluviem qua agri inundabantur. Ejus exitum in mare cum reperiſſet Hercules, & Prometheum ſolviſſet, inde fabulæ locus datus de aquila jecur Promethei corrodente & ab Hercule occiſo. Vide Scholia Apollonii. Pandoram quam Dii primam omnium fœminarum fabricarunt, Epimetheo Promethei fratri uxorem eædem fabulæ dederunt, cujus filiam porro Pyrrham Deuca-

 lion

lion Promethei filius in uxorem duxit, ex qua Hellenem habuit. Προμήθεως ἢ παῖς Δευκαλίων ἐγένετο. Οὗτος βασιλεύων τῶν περὶ τὴν Φθίαν τόπων, γαμεῖ Πύῤῥαν τὴν Ἐπιμήθεως καὶ Πανδώρας, ἣν ἔπλασαν θεοὶ πρώτην γυναῖκα. Et tamen cum hæc ita ſint, ut ſcias conſtantiam in fabulis non requiri, Deucalionea ſeptem γενεαῖς inferiora ſtatuuntur τῶν Ἀττικῶν, hoc eſt, ducentis & quinquaginta annis, & ab Argolicis Inachiis removentur intercapedine undecim γενεῶν, quæ efficiunt plus minus annos quadringentos. Apollodorus tamen, ut in fabuloſis, auctor ſatis idoneus & locuples, Apin qui tertius eſt ab Inacho, nepos ejus utpote, longe infra Deucalionis ævum deprimit. Nam occiſum ab Ætolo Apin Phoronei filium dicit. Ætolus autem ille Endymione genitus ex Calyce Æoli filia, proavum habuit maternum Hellena, ſextus à Deucalione Hellenis patre; Apis vero Ætoli æqualis à quo fertur occiſus, tertius ab Inacho fuit. Et ſic Deucalion tribus γενεαῖς antiquior Inacho deprehenditur, in quo tamen Inacho remotiſſima antiquitas ſtatuitur negotiorum ac temporum Græcanicorum. Ipſa Attica quæ ſeptem γενεαῖς poſteriora τῶν Φθιωτικῶν perhibentur ab illis auctoribus temporum, haud ita diſſita ſunt à Deucalioniis ſive Phthioticis, quin pœnè σύγχρονα inveniantur. Nam Amphictyon ſecundus Deucalionis filius regnaſſe

Digitized by Google

gnaſſe in Attica proditur poſt Cranaum qui Cecropi ſucceſſit. Ergo Cecrops & Deucalion hoc pacto pœne eodem tempore vixerunt. Præterea Xuthus Deucalionis nepos, ex conſtanti auctorum opinione, uxorem duxit Creüſam Erechtei Attici regis filiam. Hic Erechteus Pandione natus qui poſt Erychtonium regnavit à quo expulſus eſt Amphictyon filius Deucalionis alter, natu Iunior. Quidam etiam ſub Cranao qui priori Cecropi ſucceſſit, Cataclyſmum Deucalionis accidiſſe perhibent, ut apud eundem legitur Apollodorum. Res Atticæ antiquæ utrique, aut anteriores diluvio quo Græcia merſa eſt, aut poſteriores fuére. Si anteriores, omnis eorum memoria diluvio intercidit. Si poſteriores, etiam poſt Deucalionem fuêre. Sic reges omnes illi Attici aut ex progenie Deucalionis extitêre, aut certè una cum ipſo è Cataclyſmo evasêre incolumes, & per eadem proinde tempora cum Deucalione vixerunt. Fabula eſt autem Κέκροψ ille διφυὴς. Nec Actæus aut Cranaus in rerum natura unquam fuêre. Qui ſi fuêre, aut Deucalione poſteriores & ex ejus proſapia, aut ejus συγχρόνους fuiſſe oportet, & unà cum ipſo ſervatos Cataclyſmo ſuperfuiſſe. Antiquiores certe Deucalione & Diluvio non poſſunt ſtatui. Sed nec ſciri qui fuerint, & quo nomine quondam appellati, penitus oblitterata per Cataclyſ-

mum omnium earum rerum quæ diluvium præceſſerunt memoria. Chronici quoque auctor vetuſtiſſimus utpote ſcripti bis mille ab hinc annos, centenis minus, ex Arundelliano marmore editus, inter Cecropem illum διφυῆ, à quo res Atticas & Græcas auſpicatur, & Deucalionem octo tantum annorum ſpatium ponit. Nonne hæc συγχρονία eſt? Sed priorem ſtatuit Cecropem octo annis, quia Atticis faciebat. Et quo magis eam gloriam antiquitatis Græcis adroget, ademptam Theſſalis, filium quidem Deucalionis Hellenem in Phthiotide regnaſſe ſcribit, ipſum verò Deucalionem circa Parnaſſum in Lycoria imperaſſe, imperium Athenarum obtinente eodem Cecrope. Λυκωρεία autem vicus eſt Delphorum. Κώμη ἐν Δελφοῖς. Eam dictam eſſe Stephanus tradit à Lycoreo rege. Ergo rex Λυκωρεὺς ille antiquior Deucalione. Quaſi verò non potius dicta videatur à Λύκος & ὄρος, mons lupi? Sed hic mos eſt Græcorum in Etymologiis locorum fabricandis ut nomen fingant aliquod regis vel Herois à quo appellata ſint. Quadraginta duobus annis poſt diluviũ Deucalioneum contigiſſe ait auctor illius Chronici, ſub Cranao Athenarum rege qui Cecropi ſucceſſit. Quo periculo evitato Deucalion ex Lycoria venit Athenas, ſacra Soteria Iovi Φυξίῳ ſoluturus, ob ſalutem adeptam tribus annis à diluvio elapſis.

Ergo

Digitized by Google

Ergo non ſolus Deucalion ex Cataclyſmo evaſit, ſed etiam Cranaus, & omnes qui in Attica habitabant. Verum proinde non eſt quod ab auctoribus aſſeritur diluvium illud inundaſſe, pleraſque Græciæ partes. Τὰ πλεῖςα μέρη τῆς Ἑλλάδος κατέκλυσεν. Athenæ cum Attica ex illis fuêre regionibus quas diluvium nō attigit. Sed & illud falſum quod in Chronico habetur, Deucalionem in regione quę Parnaſſo circumjacet, regnaſſe. De Doribus hoc verū eſt, ut inter omnes auctores convenit, qui Doro duce, Hellenis filio, in eam venerunt, quæ & Doris inde appellata Tradunt quidem auctores ut ante diximus, Deucalionem in arca quam ad diluvium fugiendum ſibi & uxori compegerat, ſubſidentibus aquis appuliſſe ad montem Parnaſſum, & ſic evaſiſſe. Sed poſt retectas & ſiccatas ab illa eluvie terras, veriſimile eſt in patriam Theſſaliam rediiſſe, & ibi genuiſſe quos ei dedit ſcriptorum conſenſus filios, Hellenem & Amphictyonem. Hunc juniorem natu faciunt Apollodorus, & reliqui ſcriptores, auctor verò Chronici primum Deucalioni natum fuiſſe tradit, & Thermopylis imperaſſe & congregaſſe vicinos omnes accolas, & de ſuo nomine Amphictyonas appellaſſe, cum Athenis regnaret Amphictyon, Cranai ſucceſſor. Sic duo fuêre Amphictyones cognomines, alter Deucalionis filius natu major qui poſt Cranaum in Attica regnum obtinuit.

obtinuit. Apollodorus verò hunc Athenarum regem qui poſt Cranaum imperavit, filium Deucalionis fuiſſe narrat. Circa idem tempus Hellenem alterum Deucalionis filium in Phthiotide imperaſſe, & qui antea dicebantur Γραικοὶ, Ἕλληνας nominaſſe. Duos tantum annos inter Amphictyonem & Hellena ponit. At illud de Amphictyonum & Pylaico conventu vel conſeſſu ab Amphictyone Deucalionis filio inſtituto, Strabo Acriſio tribuit, antiquiora ignorari ſcribit. Ita enim de Amphictyonibus ſcribit lib. IX. Τὰ πάλαι μὲν οὖν ἀγνοεῖται. Ἀκρίσιος δὲ τῶν μνημονευομένων πρῶτος διατάξαι δοκεῖ τὰ περὶ τοὺς Ἀμφικτύονας καὶ πόλεις ἀφορίσαι τὰς μετεχούσας τοῦ συνεδρίου. Non dubito ſane quin Thermopylas & omnem illam regionem Parnaſſo ſubjectam, totamque Bœotiam Græci ſive Hellenes à Deucalionis filiis oriundi tenuerint, ſed de ipſo Amphictyone vix fides eſt. Hujus nepos Βοιωτὸς memoratur, Itoni filius qui Bœotiam à ſe nuncupavit. Nihil autem auctor ille de Æolo dicit Hellenis majore natu filio, à quo Æolii dicti, nihil de Doro à quo Dores, nihil etiam de Ione & Achæo filiis Xuthi, Hellenis nepotibus, à quorum altero Iones qui in Attica regnarunt, ab altero Achæi qui Peloponneſum obtinuerunt, ſcriptum aut notatum reliquit. Nihil de Attica Ionia ab illo Ione vocata, quem Xuthus ex Crëuſa Erichtei filia

filia ſuſcepit Athenarum regis. Hæc tamen omittere videtur non debuiſſe, cum res Atticas diligenter & ex ordine ac ſerie temporum illo Chronico digereret. Sed manifeſtum eſt omnia ab illo auctore in gratiam Atticorum eſſe conſcripta, quos antiquiſſimos Græciæ facit, & ideo αὐτόχθονας. Nec originem ſuam populis ullis extra Græçiam debere eos vult. Ideo Cecropem Deucalioni præpoſuit, quem tamé vix potuit annis octo priorem conſtituere. De quo Cecrope fabula eſt quod dicitur fuiſſe διφυὴς ex ſerpente & homine compoſitus & commixtus, & terræ filius. Deucalion, ut jam toties diximus, hominum Grçciæ, quorum certa ad nos notitia ex auctoribus pervenerit, primus. Hinc Δευκαλιωνία ſcriptum Hellenici vetuſtiſſimi ſcriptoris de vita, rebus geſtis, filiis, & progenie Deucalionis ac de diluvio quod ejus tempore contigit, cuique ſuperfuit cum paucis. Ab eo diluvio ad Ilium captum per illuſtres aliquot Epochas, quaſi quædam ſigna viarum lapideſque milliarios, quibus temporum intervalla diſtincta ſunt, certius videntur decurriſſe Chronologi antiqui. Talia legere eſt in illo Chronologo antiquo & apud Clementem in primo Stromateo qui omnino inter ſe conveniunt de numero annorum qui à diluvio Deucalionis ad Haloſim Ilii fluxerunt. At ſupra Deucalionem ſi aliquid ſupra eum fuit uſque

ad

Digitized by Google

ad priorem Cataclyſmum ſi ullus extitit, nulla intervallorum notabilia ſigna occurrũnt, ſed omnia ἐν τῷ ἀδήλῳ jacent, tenebris denſis obſita. Sive hoc fecerit monumentorum inopia, quia litteris nihil conſignabatur, cum litteræ nondum eſſent, ſive culta hominibus primum per Deucalionem Græcia fuerit & frequentata, quos antea nullos habuit. Illud fortaſſe verius de monumentorum penuria, quia litteris ante eas repertas nullius rei vel hominis memoria potuit cuſtodiri.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Cadmum primum è Phœnicia literas in Græciam importaſſe. Græcarum antiquitatum Scriptores fere ordiuntur à Deucalione. Huic Synchronum faciunt Cecropem. Fabulam eſſe quod de duobus Cataclyſmis traditum eſt. Cadmus poſt diluvium Deucalionis in Græciam venit. Cadmus ſonat antiquum in Phœnicia lingua. Idem ſonat Ὤγυγος. Og nomen Syriacum Regis Baſan. Tres ab Nonno Cataclyſmi notati. Omnes falſi. Cur Cataclyſmum & incendium Phaëtontis in idem tempus conjecerint fabularum authores. Iapeti nomen è Iaphet effictum: Deucalion è Thubalo. Θ ſæpe tranſit in Δ. B in K. B & Γ convertuntur inter ſe. Ex Iavane Ionum nomen & gentem proceſſiſſe. Pelaſgi à Phaleg & Græci à Rhagau. Ἴναχος nomen ab Henocho. Annacus. Græcorum hallucinationes de diluvio, & primis hominibus. Ab Ἕλλην primi Ἕλληνες dicti. Πανέλληνες. Πανιώνες. Homeri ætate

Ἕλληνας

Ἑλλήνων appellationem de iis tantum acceptam qui Phthiotim Theſſaliæ incolebant: poſtea idem nomen attributum omnibus qui ab illis orti. Dicæarchi locus emendatus. Poſtea Theſſali à nomine ἑλλάδος excluſi. Nulla in Theſſalia Dodone. Carthaginis etymon. Ἄλ-ϐυς veteri Græcorum lingua niger. Ἰσαία duplex. Strabò correctus. Plures urbes eodem nomine dictæ. à Septentrione in meridiem ſe effuderunt primi Græciæ incolæ. Scythia fere omnes gentes evomuit. Idem nomen Πάρθος & Πέρσης. Ἀσσυρία potius Ἀθυρία dicenda. Σκύθης & Γέτης & Γότθος idem eſt. Strabonis locus correctus. Græci barbararum gentium & locorum appellationes nuſquam integras protulerunt: Quod & in Bibliorum interpretibus obſervatum. Ἐρεμϐοὶ & Ἄραϐες iidem. Thraces à Thera fratre Thubali dicti. Phrygum origo. Tres multum differentes linguæ Hellenica, Illyrica, Getica. Dani literas ſuas Runicas à Græcis acceperunt. Numerorum nomina examinata & origo. Literarum nomina à Phœnicibus accepta quomodo Græci mutarint. De numerorum nominibus porro. Omnia aut pleraque antiquioris Græciæ verba monoſyllaba fuerunt, aut diſſyllaba.

CONſtat porro inter omnes auctores, Cadmum primum ex Phœnicia litteras in Græciam importaſſe. Cadmum autem circa idem ferme tempus quo Hellen Deucalionis filius regnavit, Thebas adveniſſe & Cadmiam condidiſſe notatum ab illo vetuſtiſſimo Chronici marmorei ſcriptore. Qui primò res geſtas priorum, & canas memorias ſcribere affectarunt ex Græcis, cum nihil ex auditione accepiſſent quod ſuperaret tempora Deucalionis, hinc exor-

exordium ſumpsêre ſcriptionis. Ita Hellanicus Δευκαλιωνίαν compoſuit, cujus ſæpè mentio occurrit apud Clementem, & Stephanum qui primum illius operis librum etiam citat. Qui putant autem Inachia Pelaſgica & Attica antiquiora eſſe Deucalioneis, refelluntur iis quæ ante docuimus. Nihil antiquius Cecrope primo Athenarum rege noviſſe illius temporis homines, quorum ætate ſcribebat auctor Chronici lapidei, ex eo liquet quod à Cecrope incepit, cui σύγχρονον facit Deucalionem. Non poteſt itaque ſtare quod legitur apud Clementem, ſeptem γενεαῖς ab Atticis Cecropiis disjunctum eſſe Deucalionem, qui contemporaneus primi Cecropis fuit, ut certum eſt ex illis quæ ſupra attulimus. Non eſt ergo verius quod undecim γενεαῖς recentior ponitur Inachiis & diluvio Phoronei vel Ogygi. Sed omnino cuivis rerum intelligenti apparet, dedita opera Græcos, quibus placuit duplicem eſſe Cataclyſmum, ideo removiſſe Deucalionem à Phoroneo trecentis annis, ut hoc intervallo invicem diſtarent duo Cataclyſmi. Nec enim fidem capiebat, ut duo diluvia quæ totam merſerant Græciam, immo totum orbem, in idem tempus inciderent. Atqui Phoroneus cui prior aſſignatur Cataclyſmus, qui ἐπ' Ὠγύγου appellatus eſt, aut junior Deucalione, cui poſterior adſcribitur, aut certe æqualis fuit. Si Phoroneus primus

exitit

extitit mortalium. Deucalion etiam ex prima fœminarum Pandora natus, ſic quoque hanc gloriam ſibi vindicat, quam alii Phoronęo tribuerunt. Si fabulis fidem non eſſe habendam dicent, & nos reponemus eſſe fabulam quod de duobus Cataclyſmis traditum eſt, qui ſunt adumbrati ex Noaci diluvio. Qui enim ita eos conciliare voluerunt ut Deucalioneum τοπικὸν tantum fuiſſe arbitrentur, nihil egerunt. Contra ſtant quippe omnium vetuſtorum auctorum ſententiæ, qui pro καθολικῷ eum nobis deſcribunt. Et omnes notæ quas illi diluvio aſſignant ſcriptores gentiles, congruunt planè & concurrunt cum ea aquarum illuvie, qua ſub Noaco abſumptum fuiſſe totum genus humanum narrant Scripturæ ſacræ. Nonnus præter illos duos κατακλυσμοὺς, Ogygium & Deucalioneum, tertium etiam addit, qui ſub Dardano contigit, quos omnes καθολικοὺς facit. Sic enim de hoc ultimo ac tertio ſcribit lib. III.

> Καὶ τρίτατος Διὸς ὄμβρος ὅτε χθονὸς ἔκλυσεν ἕδρην.
>
> Καὶ σκοπέλους ἔκρυψεν, Ἀθωϊάδος δὲ καὶ αὐτῆς
> Ἄβροχα Σιθονίης ἐκαλύπτετο νῶτα κολώνης,
> Ὀψιπόρου τότε χεῦμα διασχίζων νιφετοῖο
> Δάρδανος ἀρχαίης ἐπεβήσατο γείτονος Ἴδης.

Quę omnia fabuloſa & cõmentitia. Hic tertius nullus fuit Cataclyſmus ut nec duo priores. Sed cum auctores quidã Cataclyſmum illum

lum à Græcis traditum & ex Noacio ſub imagine expreſſum ad Dardanum retuliſſent, qui refugio montis Idæ ex ea aquarum irrigatione elapſus eſſet. Inde tertium nonnulli finxêre Cataclyſmum. Eadem ratio fecit ut duo priores conficti ſint, unus ſub Ogygo, alter ſub Deucalione. Sic quartum liceret adfingere ſub Phoroneo, de quo nos in ſuperioribus. Sed quis ille Ogygus? primum ſub eo Cataclyſmum in Attica factum volunt, ut ſecundũ in Theſſalia ſub Deucalione. Auctor incertus apud Cedrenum, Ὅτι δύο κατακλυσμοὶ κατὰ τὴν ἑλλάδα γῆν διαβεβοημένοι γεγόνασι. Πρῶτος μὲν ἐπὶ Ὠγύγου ἐν τῇ Ἀττικῇ. Χρόνοις δὲ ὕστερον σμη ἐν Θεσσαλίᾳ ἐπὶ Δευκαλίωνος. Maxima antiquitas rerum Atticarum non exuperat tempus Διφυοῦς. Inde enim eas auſpicatus eſt Chronici auctor, qui tamẽ συγχρόνους facit Cecropem illum & Deucalionem, quem in circuitu montis Parnaſſi regnaſſe ſcribit, & poſt diluvium Athenas veniſſe, ut ſacra pro evaſione ſolveret Iovi φυξίῳ, ſi bene memini. Non enim is liber nunc ad manum. Ogygum illum Thebas Bœotias condidiſſe ſunt auctores qui dicant, atque inde Ogygias appellatas ſciſcunt, quo Epitheto à Poëtis ſolent inſigniri. Atqui ex eodem Chronologo conſtat Cadmum paulo poſt diluvium Deucalionis in Græciam veniſſe, cum filius ejus Hellen in Theſſalia Phthiotide imperaret.
Nec

Nec igitur Thebarum *κτίσις* antiquiorem habuit auctorem Cadmo, qui & ipſe Diluvio Theſſalico pariter & Attico poſterior. Nomen *Cadmus* ſonat antiquum in Phœnicia lingua, Cadma קדמה. Hoc nomen fuit proprium filii Iſmaelis in Scriptura. Idem ſignificat Ὤγυγος vel Ὠγύγιος apud Græcos, Et fortaſſean hoc nomen proprium Cadmi fuerit, *Og* עוג, & per διπλασιασμὸν qui frequens eſt in omnibus fere linguis, *Ogog* עוגעוג. Vnde Græcis Ὤγυγος appellatus eſt. Nam quod attinet ad Cadmi appellationem inde eam videtur nactus quod ab Oriente veniſſet. *Og* nomen Syriacum regis Baſan in Scriptura. Sic vocatus fuerit & Cadmus cum in Græciam venit. Quod ejus nomen Græci duplicantes & paulo aliter deflectentes, fecerunt Ὤγυγον. Vnde Thebæ ab ipſo conditæ *Ogygia*. Cataclyſmum ſub eo contigiſſe quidam idcirco ſcripſerunt, quod non longe antequam in Græciam Cadmus appuliſſet, diluvium Deucalioneum ab aliis Græciæ auctoribus memoriæ traditum ſit. Illum Ogygum quidam Eleuſinæ conditorem fuiſſe perhibent. Sed auctores omnes Chriſtiani ut eos Cataclyſmos Græcos componerent cum Noacio, τοπικοὺς fuiſſe defendunt, ut veritati eorum nihil detraherent. Noacium autem καθολικόν. Verum, uti dixi, ab omnibus ſcriptoribus profanis refelluntur, qui ὁμοθυμαδὸν

Digitized by Google

conſentiunt, tam Ogygium quam Deucalioneum, fuiſſe καθολικοὺς. Quod illo etiam argumento evincitur, quia reparatione opus fuit generis humani quod totum per illam nimborum diluviem interiſſet. Ἐπομβρίαν Græci appellant. Hinc & Deucalionem multi generis humani inſtauratorem jactu lapidum fuiſſe memorant, in homines, ubi jacti eſſent, reſurgentium. De Phoroneo hoc idem alii autumant, cui & ſuum attribuunt Cataclyſmum. Cujus utriuſq; cum eandem cauſam aſſignent ſcriptores prophani quam & ſacri, illius à quo Noacus evaſit, puniendam nimirum hominum qui tunc ævum agitabant improbitatem, nihil eſt cauſæ, cur putemus fuiſſe diverſos. Cæteræ omnes περιστάσεις conveniunt, ut ſupra diximus. Nonnulli etiam emiſſarum avium meminêre. De nomine non concordant auctores. Et hæc ipſa varietas fucum detegit. Aliis Ogygus, aliis Phoroneus, aliis Deucalion, aliis Prometheus, aliis Siſimithres, aliis Dardanus vocatur, ex qua nominum numeroſitate qui plures Cataclyſmos hariolaretur, nihil faceret præter ingenium fabularum, quibus qui ſemel inſtituit credere, nihil illi fabuloſum poteſt deinceps videri. Certe & nonnulli ſub Prometheo aſſignant Deucalionis Cataclyſmum, quem & adeo univerſalem fuiſſe aſſerunt, ut arte fuerit opus ad reficiendum genus humanum.

Eam

Eam talem tradunt. Retecta ac reſiccata tellure imperaſſe Iovem Prometheo & Minervæ, ſimulacra è luto fingere, accitos deinde ventos, ea inſufflare, & ſic animare juſſit. Γενομένου δὲ, inquiunt, τοῦ κατακλυσμοῦ τοῦ ἐπὶ Δευκαλίωνος πάντες διεφθάρησαν. Ἀποξηρανθείσης δὲ τῆς γῆς, ὁ Ζεὺς ἐκέλευσε τῷ Προμηθεῖ καὶ Ἀθηνᾷ εἴδωλα διαπλάσαι ἐκ τοῦ πηλοῦ, καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς ἀνέμους ἐμφυσῆσαι πᾶσιν ἐκέλευσε, καὶ ζῶντα ἀποτελέσαι. Mirabatur olim Scaliger ἐπομβρίαν Δευκαλίωνος & ἐκπύρωσιν Φαέθοντος in idem tempus conjici à ſcriptoribus profanis. Nec ſane minus mihi quam illi videretur res tam contrarias diluvium & incendium ſub idem tempus cucurriſſe, niſi utrumque fabula eſſet. Sane hujus rei hanc rationem adferunt Mythologici auctores, quod per cauſam reſtinguendi incendii à Phaetonte conflati Iuppiter cui in animo erat hominum malitiam caſtigare ipſorum excidio, diluvium terris infuderit. Hyginus fabula CLII. *Phaethon Iovis & Clymenes filius cum clam patris currum conſcendiſſet, & altius à terra eſſet elatus, præ timore decidit in flumen Eridanum. Hunc Iuppiter cum fulmine percuſſiſſet, omnia ardere cœperunt. Iovis ut omne genus mortalium cum cauſa interficeret, ſimulavit id ſe velle extinguere. Amnes undique irrigavit, omneque genus mortalium interiit præter Deucalionem & Pyrrham.* Interpres Arati ſcribit, cauſa extinguendi illius

lius

lius incendii, *univerſos amnes immiſſos eſſe, & omne genus mortalium interiiſſe, præter Deucalionem & Pyrrham.* Idem ab aliis narratur. Sic incendium Phaethontis aliquo tempore anteceſſit diluvium Deucalionis. Quod quomodo poſſit cohærere, cum Scaligero non video, cum à pleriſque conjiciatur Diluvium Deucalioneum in regnum Cecropis, & Phaethon Clymenes filius dicatur, & à Cecrope quintus. Quidquid Græcia commemoravit de diluvio, mendacia & commenta eſſe, ut plurima evincunt, ita vel illud maxime quod Ἰάπετον pro *Iaphet* fecerunt. Cui enim dubium poteſt eſſe vel paulo intelligentiori, quin nomen Ἰαπέτου qui à Græcis Promethei pater fingitur, avus Deucalionis, effictum ſit ex nomine יפת *Iapheth*, qui filius Noaci fuit & una cum patre & reliquis fratribus in Arca diluvium evaſit, ut de Deucalione Græci ſcriptores memorant, & ejus natis. Quin & de Prometheo Iapeti filio nõnulli tradunt quod de Deucalione alii. Hæc ergo ſola eſt differentia inter ſcriptores Græcos & ſacros, quod Iapetus iſtis filius eſt ejus qui arcam qua diluvium effugit fabricavit, illis avus eſt vel pater. Ipſe vero Deucalion Græcorum qui reſpondet Noaco pro Thubalis nomine ab ipſis Græcis inductus eſt. *Deucalion* pro *Thubalo* affinibus litteris mutatis fecerunt. Nam Θ in Δ ſæpe tranſit etiam apud Græcos, ut οὐδεὶς & οὐθεὶς idem.

Digitized by Google

idem. Β vero & Κ ſæpe invicem mutantur. Vt βορβορυγὴ & κορκορυγὴ idem. Β autem & Γ inter ſe ſolent converti, ut βλέφαρον γλέφαρον, Βληχὼν Γληχὼν; ita Δεύγαλος & Θεύβαλος idem, Deinde Δεύκαλος. Nam Ξ quæ duplex littera modo enuntiatur diviſim per κσ, modo per γσ. & tanta harum literarum eſt affinitas, ut in Alphabeto Latino C pro Γ Aeolico poſitum ſit, ut Camelios pro Γαμήλιος. Nihil igitur dubii eſt, quin Θεύβαλος Hebræorum ſit Δεύκαλος, vel Δεύγαλος Græcorum. Quod enim Δευκαλίων ſcribitur παραγωγὴ eſt nominis pro Δεύκαλος, ut & πυγμαλίων pro πύγμαλος, Βαμβαλίων pro Βάμβαλος. A primitivo Δεύκαλος, patronymicum Δευκαλίδης. Apud Apollonium Rhodium ſic vocantur Græci, ſive ἕλληνες, qui Theſſaliam incoluerunt à Deucalione orti.

——Οὐδὲ Πελασγὶς

Γῆ ποτε κυδαλίμοισιν ἀνάσσετο Δευκαλίδῃσι.

Πελασγίδα γῆν vocavit Theſſaliam à Pelaſgis qui unà cum Græcis eam tenuerunt. Vnde & Πελασγιῶτις pars ea appellatur. Scholiaſtes ad eum locum: Δευκαλίδαι οἱ ἀπὸ Δευκαλίωνος τὸ γένος ἔχοντες ἐβασίλευον τῆς Θεσσαλίας, ὡς φησὶν Ἑκαταῖος καὶ Ἡσίοδος. ἡ δὲ Θεσσαλία. Πελασγία ἐκαλεῖτο ἀπὸ Πελασγοῦ τοῦ βασιλεύοντος. Vt Δευκαλίδαι autem pro Δευκαλιωνίδαι, à Deucalo qui & Deucalion, ita è contrario Γαμηλιονίδης pro Γαμηλίδης, apud eum-

Digitized by Google

dem Apollonium. Sic vocat ἐπιθετικῶς Promethea Iapeti filium, qui non ſolum Ἰάπετος, ſed Ἰαπετίων Græce dicebatur. Sic ille quem Ceres dicitur adamaſſe, ab aliis *Iaſus*, ab aliis Iaſion dictus. Deucalium porro ſive Deucalionem eumdem eſſe cum Thubalo, non parum eo confirmatur quod Græci patres Thubalo Theſſaliam in diviſione terrarum aſſignarunt, Theſſaloſque ab eo prædicant ortos. Θωβὲλ. Sic Hebraicè, *Thubal*, ἐξ οὗ Θεσσαλοί. Filius Iapeti ſive Iapheti fuit, ut Scriptura teſtatur. At ſecundum Græcos Deucalion Iapeti nepos, non filius. Nec parva ejus rei probatio inde etiam ducitur; quod Iapheto Noacidæ, cum terra inter Noaci natos divideretur, ceſſiſſe auctores ſacri dicant omnia quæ ad Septentrionem initio ducto à Media uſque ad Heſperium Oceanum, in quem continentia verſus Septentrionem recenſent, Sarmatas, Thraces, Illyrios, Mœotas, Scythas, Tauros, Macedones, Hellenas. Græci quoque fabuloſo Prometheo Iapetidę Scythiæ imperium attribuunt, ut antea docebamus. Iam verò quis neget ex Iavane filio Iapeti Ionum nomen & gentem proceſſiſſe. Hebraicè יון. Quod poſſet eſſe *Ion*, totidem litteris. Sed Septuaginta ac *Maſoretha* vocalibus adjectis, Ἰαυὰν ex eo fecerunt. Quod etiam convenit cum nomine Æolico Ἰαυών. Nam Ἰάων pro Ἴων Ionicum eſt, deinde inſerto Æolico digam-

Digitized by Google

gamma, quod illis perpetuum in concurſu duarum vocalium, Ἰαυών, quod eſt *Iavan*. Sic nomen Dei Gnoſticis Ἰαώ, ſcribitur Æolice, Ἰαυά & Ἰευώ, ut apud Clementem. Stephanus: Ἰάων καὶ Ἰήων, καὶ ῥῆμα Ἰαονίζω, ἀφ᾽ οὗ τὸ Ἰαονιστὶ ἐπίρρημα. Ἐκ δὲ τοῦ Ἰάων τὸ Ἰών. λέγεται καὶ Ἰὰς καὶ Ἰαονίς. Hebræis ארץ יון, *Terra Ionum* pro terra Græcorum, ab illo antiquo Iavane Iapheti Noacidæ filio, qui non poteſt alius videri ab Ione vel Iaone Græcorum. Sed Ion Græcorum, Ἰάπετον quidem habuit πρόγονον, verum quinque γενεαῖς ab eo diſtat, & Deucalionis pronepos, qui Iapeti nepos fuit. At ſecundum auctores ſacros Iavan & Deucalion fratres, Iapheti filii, Noaci nepotes, qui Noacus reſpondet Deucalioni Græcorum, ut diluvium Deucalionis non aliud omnino eſt à diluvio Noaci. Quod ad Ἕλληνα attinet, quem Græci fingunt Deucalionis ſive Thubali filium, Iapeti pronepotem, Ionis ſive Iavanis avum, is ſecundum Hebræos Iavanis filius ſtatui debet. Non enim dubito quin qui Ἐλισὰ Hebræis vocatur, אלישה, is ſit Ἕλλην ſive Ἕλλης Græcorum. Docebimus quippe infra, Ἕλλης & Ἕλλην & Ἑλλὶς idem eſſe nomen, ut Τερχὶς & Τερχὶν, Τέλλις & Τέλλιν quod eſt nomen γελωτοποιοῦ veteris, à quo Tellinæ nugæ & Tricæ in proverbium abiecerunt. Ἕλλης igitur per ἀποκοπὴν ab Ἐλισὰ formatum eſt. Et in hoc Græcorum error cerni-

tur, qui Ἕλληνα Ionis patrem vel avum faciunt, cum filius Hellenis Iavan fuerit juxta veritatem Hiſtoriæ ſacræ. Ab illo *Eliſſa* Siculos eſſe propagatos Grçci perhibent. Alii Æoles, & per Eliſæos apud Ezechielem XXVII. eos intelligi perhibent. Certe Æoles antiquiſſimi Græcorum in Theſſalia ſubſtiterunt: purpura celebres ibi dicuntur. Quod Siculis convenit vel Tarentinis. Verum de his alibi. Nomen *Eliſa* magis ad Ἕλλης accedit quam ad Αἴολον. Tharſis Θαρσεῖς inter filios *Iavanis* Dialecto Attica eſt Θαῤῥεῖς, ut ἄρσην ἄῤῥην. Τύρσις Τύῤῥις. Θάρσος Θάῤῥος, Τυρσηνοὶ Τυῤῥηνοί. Ita ergo pro Θαρσεῖς, Θαῤῥεῖς, ex quo Δωρεῖς Græci fecerũt, ut ſolet ſæpe Θ in Δ mutari, Α in Ω. Sic Dorus Hebræis Iavanis filius, frater Hellenis, cum Græcis Dorus Hellenis habeatur filius & Iavanis patruus. Pelaſgos à *Phaleg*, & Græcos, ſive Γραικοὺς à *Rhagar*, dictos eſſe certa fides eſt ex nominis indicio, & re ipſa. Pelaſgorum τὸ πολυπλάνητον appellatio *Phaleg* oſtendit, quæ diviſionẽ ſonat. Pelaſgos autem per totam fere Grçciam diſperſos fuiſſe Græcorum monumenta teſtantur. Γραικοὺς qui & γραικοί, quo nomine & Ἕλληνες appellati à *Rhagau* deductos eſſe palam eſt, ſola litterarum tranſpoſitione factâ. Phalego qui Pelaſgus, & Ragau qui γραικός, ceſſiſſe quæ ad Septentrionem verſus Scythiam, ſcriptores perhibent. Epiphanius de Scythiſmo: Φαλὲκ

καὶ

καὶ Ῥαγαῦ οἵτινες ἐπὶ τὸ τῆς Εὐρώπης κλίμα νενευκότες τῷ τῆς Σκυθίας μέρει καὶ τοῖς αὐτῶν ἔθνεσι προσεσχεδίασθησαν. Pelaſgos quoque in Thracia vixiſſe Græci auctores teſtantur, & Graïos quoque inde veniſſe. Hæc ſunt quæ tuto poſſumus derivare in his quæ ad Grecorũ originem & appellationem pertinent. In cæteris populorum denominationibus qui à Noacidis deſcenderunt, de quibuſdam conſtat. etſi nominis ſonus longius abſiſtat. Vt à Chus Æthiopes, à Meſraim Ægyptios, ab Aram Syros profectos eſſe nominum comparatio non pateretur, niſi ita eſſe inter auctores conveniret. In aliis ſolo nomine pœne id evincitur. Quæ ratio Lydos à Ludo deducit, *Medos* à Madai, ab Aſur Aſſyrios, ab *Iavane* Iaones, vel ut Æolice vocabantur, *Javones*, & ita de cæteris. Nullus etiam dubito quin iidem Græci ab *Henocho* nomen Ἰνάχου deflexerint. Ideo & Inachum antiquiſſimum rerum & gentium Græcarum fecerunt, & ante diluvium poſuerunt, ut revera eo prior fuit *Enochus*, qui Græcis Inachus. Hoc tamen conſtare non poſſe certum eſt, ſi ſtemus eorum traditionibus, quibus Deucalionem eo ſatum qui primos homines de luto finxit, memorant, & prima quæ unquam fuit fœmina natum, nempe Pandora. Hunc enim hominum primum extitiſſe oportet, ſiquidem hæc vera ſunt. Nullus igitur Inachus eo vetuſtior conſtituendus,

Digitized by Google

Hunc Inachum qui eſt Henochus, aliæ fabulæ Ἀννακὸν indigetarunt. De quo & talia narrantur. Φασὶ δὲ ὅτι ἦν τις Ἀννακὸς, ὃς ἔζησεν ὑπὲρ τὰ τριακόσια ἔτη. Τοὺς δὲ περὶξ μαντεύσασθαι ἕως τινὸς βιώσεται, ἐδόθη δὲ χρησμὸς, ὅτι τούτου τελευτήσαντος πάντες διαφθαρήσονται. οἱ δὲ Φρύγες ἀκούσαντες ἐθρήνησαν σφόδρα, ἀφ' οὗ ἡ παροιμία, τὰ ἐπὶ Ἀννακοῦ κλαύσειν. Quod hic Annacus vixiſſe traditur ſupra trecentos annos, & prior diluvio fuiſſe hoc etiam Enocho convenit, quem Scriptura narrat trecentos ſexaginta quinque annos habuiſſe cum de medio ſublatus eſt, & inter homines deſiit comparere, eo modo quo Deo placitum eſt. Cum in ſumma rei tantopere errarint Græci, haud mirum eſt in temporibus aſſignandis tam longe à vero abiiſſe. Phthiotica & Deucalionea undecim γενεῶν ſpatio ab Inacho ſubmoverunt, & Deucalionis Cataclyſmum inter & Iliaca tempora decem γενεὰς interpoſuerunt. Nam à Deucalionis Cataclyſmo ad Trojam captam numerarunt annos trecentos & viginti plus minus. Hæ ſunt circiter decem γενεαί. Si decem has γενεὰς adjunxeris illis undecim quæ interceſsêre Inachũ inter & Deucalionem, ſic fient viginti & una γενεαὶ, quas Clemens lib. 1. Strom. numerat, ab Inacho ad tempora Iliaca. Εἰς δὲ τὸν χρόνον, inquit, τῶν Τρωικῶν ἀπὸ Ἰνάχου γενεαὶ μὲν εἴκοσι ἢ μιᾶς πλείους διαριθμοῦνται, ἔτη δὲ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἑπτακόσια.

σια. Sic enim correximus. Ex illis viginti & uno γενεαῖς undecim computavit ab Inacho ad Deucalionis diluvium, numerando ab Argolicis Inachiis ad Attica Cecropia quattuor γενεάς. Ab iiſdem Atticis ad Arcadica Pelaſgica, quinque γενεάς, quæ junctæ cum quattuor ſupraſcriptis efficiunt novem γενεάς. Quas inter Argolica Inachi & Arcadica Pelaſgi interjicit. Sic enim hæc intelligenda: ἐννέα δὲ τὰ Ἀρκαδικὰ τὰ ἀπὸ Πελασγοῦ. Vt nimirum hæc Arcadica à Pelaſgo novem γενεαῖς diſparentur ab Inachiis Argolicis. Duabus deinde γενεαῖς Deucalionea Phthiotica ſeparat ab Arcadicis. Ita undecim γενεαὶ procedunt ab Inachi temporibus ad Deucalionis ætatem quæ Cataclyſmum poſteriorem vidit. Idem tamen Clemens eodem libro paulo inferius ab Inacho ad Cataclyſmũ Deucalionis γενεὰς τετταράκοντα computat. Ἀπὸ δὲ, inquit, τῆς Μώσεως στρατηγίας, καὶ Ἰνάχου ἐπὶ τὸν Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν, τὸν δεύτερον λέγω ἐπομβρείαν, ἃ δὴ συμβαίνει κατὰ Κρότωπον, γενεαὶ τετταράκοντα ἀριθμοῦνται. Proclive eſſet emendare. γενεαὶ τέτταρες. Quod mendum & ſupra irrepſerat. Sed ibi quadraginta γενεὰς ab Inacho ad Cecropem bicorporem ponebat, quæ quattuor tantum ſunt. Hic totidem fluxiſſe vult à Moſe & Inacho uſque ad diluvium Deucalionis. Atqui undecim γενεὰς tempus illud omne collegiſſe ſuperius demonſtravimus, Scribendum hîc

ergo

Digitized by Google

ergo conjicio, *γενεαὶ ἕνδεκα ἀριθμοῦνται*. Error natus eſt ex nota numerali, *μ'* pro *ια'*. Auctor vetus apud Cedrenum ducentos & quadraginta tantum annos numerat à priore diluvio ad poſterius, quæ ſunt ſeptem circiter *γενεαὶ*, eo computo quo in ſingulas annorum *ἑκατονταΐδας* tres ineunt *γενεαί*. Phoroneus, ſub quo priorem illum Cataclyſmum quidam contigiſſe volunt, Inachi filius fuit. Nihil in his, ut in fabulis certi. Immo non incerta ſolum omnia, ſed & falſiſſima. Agnovêre etiam aliquando vi veritatis adacti, unum tantum fuiſſe Cataclyſmum, qui duos tamen poſuerunt, cum ſequerentur auctores mendacii. Hinc notavit Georgius Syncellus Africanum pro Ogygi Cataclyſmo Deucalioneum commemoraſſe. Ὅπερ, inquit, *Ἀφρικανὸς συγγνώτω μοι, ἀνθ' οὗ τοῦ ἐπὶ Ὠγύγου, τοῦ Δευκαλίωνος εἴρηκεν, ἑαυτῷ ἀντιπίπτων.* Hæc notata nobis ſint, ut conſtet quam mendaces fuerint Græculi circa temporum antiquitates & hominum origines primas. Vt fuêre ſemper glorioſi, & vani, crediderunt, hominum apud ſe principium extitiſſe & nullos alibi fuiſſe, cum in terra Græcia primum ſunt viſi. Hinc tot *αὐτόχθονας*, terræ filios, non alio parente genitos tam in Hellade quam in Peloponneſo numerant eorum monumenta. Tales nullos in Theſſalia agnoſcunt, ex qua tamen hominum qui Græciam & Peloponneſum populis poſtea opple-

Digitized by Google

oppleverunt, ſtirps & origo profluxit. Per has fabularum Græcanicarum ambages & famoſos amfractus eum lucis radium perſpicimus, quo abunde liquet nullum in Græcia fuiſſe Catacly̌ſmum quo tempore à Græcis refertur. Cum de aliquo audiſſent, eum poſuiſſe circa hominum apud ſe principium, aut non longe, ad puniendam primorum hominum impietatem, quæ cauſa fuit & veri diluvii. Non aliud etiam agnoviſſe creationis hominum primordium, quam αὐτοχθονίαν, indigenarum apud ſe ex terra quaſi natorum. Protoplaſti hominis aliquam auram ad eos perlapſam, quem alii Phoronea pro Adamo dixerunt, alii vero Deucalionem. Sed & Prometheum ex eo rumore homines de luto formaſſe finxerunt, quomodo Adamus à Deo factus eſt. Primum hominem ſibi notum etiam apud ſe natum eſſe crediderunt, qui à Deo ſic creatus eſt. Nec tempora quæ aſſignarunt falſo diluvio Phoronei, vel Ogygi vel Deucalionis magis diſſident à temporibus veri qui ſub Noaco fuit, quam Adami verè protoplaſti principium diſtat à principio hominum quos πρωτοπλάςυς falſo Græci crediderunt. Iam certo certius videtur ſummam antiquitatem τ῀ ἑλληνικῶν ab eo petendam eſſe qui nominis ἑλλήνων primus auctor fuit, & per quem Græcia homines, populos & gentes accepit. Is eſt Ἕλλω. Eum in Theſſalia genitum ipſi ſunt

Ἕλληνες

Ἕλληνες qui tradiderunt, & in eo falſi. Nam ſi Ἕλλην ab Ἑλισά, longe fuerit antiquior, utpote qui Iavanis filius fuit, Noaci nepos. Nec minus de Iove halucinati ſunt, cum Ion vel Iaon ſit Iavan qui Iapeti Noacidæ filius. Sed ſequamur hic interim Græcos, hoc eſt fabulis credamus. Ἕλλην in Theſſalia Deucalione natus. Ab eo Ἕλληνες primum eadem Theſſalia, & proprie quidem nominati. Temporibus Homeri adhuc populi Theſſaliæ ſoli ſic audiebant, nondum communicato hoc nomine cæteris Græciæ populis, quorum colonias Hellenis filii diverſis in locis condiderant. Hæc Thucydidis ſententia fuit. Homeri ætate Ἕλληνας peculiariter tantum appellatos, qui Theſſaliæ Phthiam incolerent. Ἑλλήνων, inquit, καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας. Οὐ μέντοι πολλοῦ γε χρόνου ἠδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι. Mens ejus eſt, τῇ ὁμιλίᾳ, id eſt communi privatorum ſermone vocatos potius fuiſſe Ἕλληνας qui in ſingulis urbibus ex genere Ἑλληνικῷ habitabant, aut qui coloni ex Theſſalia venerant, quam generaliter in id nomen conceſſiſſe omnes Græciæ regiones quas incolebant. Exempli gratia, Dores qui περίχωρον Parnaſſi montis inſederant, à vicinis populis Ἕλληνες vocabantur, quia Ἑλληνικοῦ γένους erant, quod ex Theſ-

Theſſalia ad ea loca habitanda venerat. Scholiaſtes Græcus interpretatur, ὁμιλίᾳ μᾶλλον οὐκ ἀπὸ κοινῆς δόξης ἁπάντων. Qui ſciebant eos ab Hellenibus deſcendiſſe, Ἕλληνας nuncupabant, non omnium generali notione ita vocabantur. Addit Thucydides ne Homeri quidem ætate id nomen invaluiſſe de omnibus Græcis. Teſtemque ipſum Homerum producit, qui non alios hoc nomine inſigniat præter Ἕλληνας Phthiotas qui ſub Achille militabant, cæteros vero Græciæ populos, Δαναοὺς aut Ἀργείους aut Ἀχαιοὺς nuncupet. Τεκμηριοῖ δὲ, inquit, μάλιστα Ὅμηρος. Πολλῷ γὰρ ὕστερον ἔτι τῶν Τρωϊκῶν γενόμενος οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν, οὐδ' ἄλλους ἢ τοὺς μετ' Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος, οἵπερ καὶ πρῶτοι Ἕλληνες ἦσαν. Δαναοὺς δὲ ἐν τοῖς ἔπεσι καὶ Ἀργείους καὶ Ἀχαιοὺς ἀνακαλεῖ. Huic argumento Thucydidis apponit Strabo, recentiores Homero Heſiodum & Archilochum meminiſſe Πανελλήνων de Græcis univerſis. Ἡσίοδον μέντοι καὶ Ἀρχίλοχον ἤδη εἰδέναι τοὺς Ἕλληνας λεγομένους τοὺς σύμπαντας, καὶ Πανέλληνας. Quod Homero recentiores eam generalem τῶν Ἑλλήνων appellationem noverint, id non facit contra Thucydidem, qui Homero tantum ignotam aſſerit. Præterea notandum, nec Heſiodum nec Archilochum in his locis quos adducit Strabo, mentionem facere τῶν Ἑλλήνων eo ſenſu, ſed πανελλήνων. Sic enim citat: τὸν μὲν περὶ τῶν Προιτίδων λέγοντα, ὡς

Πανέλ-

Πανέλληνες ἐμνήστευον αὐτὰς, τόνδ᾽ ὡς Πανελλήνων ὄϊζὺς εἰς Θάσον συνέδραμεν. Quibus magis confirmatur ſententia Thucydidis quam deſtruitur. Nempe τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας. Non enim hoc nomine univerſi appellabantur, ſed addito verbo generali, πανέλληνες. Vocabantur τῇ ὁμιλίᾳ à ſingulis populis inter quos habitabant, Ἕλληνες, non univerſi. Ac qui volebat univerſos dicere, Πανέλληνας appellabat. Stephanus. Πανέλληνες, ὡς Παναχαιοὶ, ἀπὸ μέρους τὸ πᾶν, τῷ ποιητῇ. Ἕλληνες γὰρ παρ᾽ αὐτῷ οἱ τὴν Φθιῶτιν Ἑλλάδα κατοικοῦντες. Ergo Πανέλληνες Poëtis illis omnes in genere qui ab Ἕλλησι Theſſalis oriundi erant, & varias Græciæ regiones occuparant, Iones, Æolii, & Dorienſes. Ac Ἕλληνες ii ſoli qui Phthiotim Theſſaliam incolebant. Sic Ἀχαιοὶ proprie qui Peloponneſum obtinebãt. At Παναχαιοὶ de omnibus Achæis ſive Græcis, ubicunque locorum eſſent. Sic Iones olim Athenienſes proprie vocati. Nam ibi primum Ionis ἀπόγονοι ſedem in Attica poſuerunt. Πανίωνες vero etiam omnes generis Ionici qui ab illis deſcenderunt nuncupati. Vnde Πανιώνιον locus ſacer vel templum quod communiter omnes Iones colebant. Citabatur ex Homero:

Ἐγχείῃ δ᾽ ἐκέκαστο ἂν᾽ Ἕλληνας καὶ Ἀχαιούς.

Sed ſpurium illum eſſe verſum & νενοθεῦσθαι antiqui Critici notarunt. Nuſquam ergo mentio

tio

Digitized by Google

tio apud Homerum τῶν Ἑλλήνων de univerſis Græcis, ſed nec apud Heſiodum & Archilochum recentiores illo, qui Πανέλληνας nominarunt omnes Græci generis populos, cum Ἕλληνες de ſolis Phthiotis Theſſalis dicerentur. Alio etiam argumento ex Homero ipſo petito utebatur, quo probabat Poëtæ non fuiſſe notum nomen ἑλλήνων de univerſis, quia nuſquam apud eum τῶν βαρβάρων appellatio occurreret. Hæc enim ſunt oppoſita invicem & relata, βάρβαρος καὶ ἕλλην, τὸ βαρβαρικὸν καὶ τὸ ἑλληνικόν. Si Barbaros ignoravit Homerus de cæteris gentibus quæ Græcæ non eſſent, ergo nec Ἕλληνας novit de omnibus Græcis. Οὐ μὴν οὐδὲ βαρβάρους εἴρηκε, διὰ τὸ μηδὲ ἕλληνάς πω, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀντίπαλον εἰς ἓν ὄνομα ἀποκεκρίσθαι. *Non enim Barbaros idem poëta nominavit, quia nec Hellenes ipſis oppoſiti nondum in unam omnes appellationem à barbaris diſtinctam conceſſerant.* Hoc alii negabant verum teſte Strabone, & ſic argumentum Thucydidis diluebant. Homerum quippe & Barbaros nominaſſe. Ἄλλοι δὲ, inquit, ἀντιθέασιν, ὅτι καὶ βαρβάρους εἴρηκεν, εἰπών γε βαρβαροφώνους τοὺς Κᾶρας. Hanc objectionem Strabo ipſe alibi eludit, ubi docet βαρβαροφώνους Cares Homero appellari, non quod eſſent lingua barbari, id eſt alio ſermone uterentur quam Græci, ſed quod barbarè & aſperè linguam Græcam pronuntiarent. Qui Homerum vo-

lebant uſurpaſſe hanc vocem Ἑλλήνων generali de omnibus Græcis ſignificatione, afferebant hunc ejus verſum ex Odyſſea:

Ἀνδρὸς τοῦ κλέος εὐρὺ καθ' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος.

Sed non videtur veriſimile, cum idem Homerus alibi Ἑλλάδα dixerit pro urbe vel regione Theſſaliæ, in alia notione alibi hoc nomen poſuiſſe. Ibi igitur credibile eſt etiam Ἑλλάδα pro regione Theſſaliæ uſurpaſſe. Sic enim tum proprie vocabatur. Phthiotis in Theſſalia & ejus incolæ Ἕλληνες. Apollonius tanto recentior Homero ἑλλάδα γαῖαν in primo Ἀργοναυτικῶν dixit de Theſſaliæ regione, ut ad eum locum obſervavit doctus & antiquus ejus Scholiaſtes. Ἑλλάδα γαῖαν, inquit, τὴν νῦν Θεσσαλίαν. Ὅμηρος γὰρ μίαν Θεσσαλίας πόλιν οἶδε τὴν ἑλλάδα. Dubitarunt tamen veteres, utrum ἑλλὰς apud Homerum nomen eſſet urbis Theſſaliæ, an regionis, ut & de Φθίᾳ. Eodem nomine tam regionem Theſſaliæ quam urbem deſignari alii ſcripſerunt. De quo nos ſuprà. Idem Scholiaſtes Apollonii ad lib. III. Ἑλλάδα νῦν τὴν Φθιωτικὴν ὅλην χώραν, ὁμωνύμως τῇ πόλει, ὃν τρόπον Ἄργος, καὶ ἡ πόλις καὶ ἡ χώρα. Homerus igitur illo verſu quo Ἄργος & Ἑλλάδα nominavit, duas omninò extremitates deſignavit terræ quam Πανέλληνες obtinebant. Nam Ἑλλὰς Theſſaliæ urbs erat vel regio, Ἄργος verò in Peloponneſo.

Si

Si fama illius viri volitabat in illis duobus extremis, veriſimile eſt etiam in medio percrebuiſſe, hoc eſt in illis partibus, quibus poſt Homerum Ἑλλάδος nomen proprie inditum eſt, excluſis ab hac appellatione Theſſalis, & Peloponneſiis. Ita igitur accipiendus ille verſus Homericus. Et nihil verius Thucydidis ſententiâ, ſcribentis, ne Homeri quidem ætate ἑλλήνων appellationem de aliis Græcis accipi ſolitam, quàm qui Phthiotim Theſſaliæ habitarent. Quod & ipſe Homerus teſtatus eſt diſertè hoc verſu de populis qui Achillem ad bellum erant ſequuti:

*Μυρμιδόνες δ' ἐκαλεῦντο καὶ ἕλληνες καὶ Ἀ-
χαιοί.*

In multis aliis gentibus hoc uſu venit, ut ejuſdem nationis nomen alicui regioni peculiariter tribueretur, & generaliter plures populos eadem lingua utentes, vel ſub unius imperio poſitos comprehenderet. Fuit tempus cum Ἕλληνες ſolum vocarentur qui Theſſaliæ partem incolebant. Poſtea Ἕλληνες etiam vocati ſunt omnes, qui ab illis Theſſalicis Hellenibus orti coloniis ſuis Peloponneſum & partes omnes inter Peloponneſum & Theſſaliam ſitas occuparent. Sic *Francia* nomen hodieque ſpeciali notione eam provinciam denotat in qua Pariſiorum eſt civitas. Non minus tamen, & univerſa Gallia in varias provincias ſub uno rege diviſa hoc nomine ge-

Digitized by Google

neraliter donatur. Sic & *Alamanni* Germanica gens, & certis finibus circumſcripta, toti Germaniæ nomen indidit *Alamanniæ*, quomodo etiam hodie vocatur. Nuſquam vero videre nunc eſt aliquos Germaniæ populos, qui propriè ita vocentur. Mirandum verò quod accidit in Hellenibus, ut cum primo Theſſaliæ populi hoc nomine proprie nuncuparentur, poſtea & univerſis qui ab his per colonias manarent, communicata eſſet eadem appellatio; tandem tamen contigit, ut ipſa illa terrarum pars cujus olim hæc propria fuit appellatio, ea privaretur, & peculiaris facta ſit ejus quæ hujus nominis communionem nacta erat. Multi enim Geographorum tam Magneſiam quam Theſſaliam ab *Helladis* ſive *Græciæ* nomine & cenſu expungebant. Nec diſſimulavit Dicæarchus in libello de vita Græciæ, hanc fuiſſe vulgo receptam ſua ætate opinionem, quam ipſe tamen non ſequitur, ſed potius refutat. Τὴν μὲν οὖν, inquit, Ἑλλάδα ἀπὸ Πελοποννήσου τὴν ἀρχὴν λαβὼν μέχρι τοῦ μαγνήτων ἀφορίζω ὁμολίου. Τάχα δὲ φήσουσί τινες ἡμᾶς ἀγνοεῖν τὴν Θετταλίαν τῆς Ἑλλάδος καταριθμοῦντας, ἄπειροι τῆς τῶν πραγμάτων ὄντες ἀληθείας. Et hanc rationem ſe habere maximè profitetur Dicæarchus Theſſaliam intra Græciæ ſive Ἑλλάδος fines includendi, quod olim *Hellas* urbs in Theſſalia ab *Hellene* Deucalionis filio condita fuerit, à quo *Hellenes* poſtea, hoc
eſt

eſt Græci appellati ſunt. Sic enim verba ejus nunc mihi legenda videntur. Ἡ γὰρ Ἑλλὰς τὸ παλαιὸν οὖσα ποτὲ πόλις ἀφ' Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος ἐκλήθη τε καὶ ἐκτίσθη, τῆς τῶν Θεσσαλῶν οὖσα χώρας, ἀνὰ μέσον Φαρσάλου τε κειμένη καὶ τῆς Μελιτιέων πόλεως. Male vulgo excuſum eſt, ἀφ' Ἕλληνος τοῦ Αἰόλου. Ex verſibus enim, quos paulo poſt ex Euripide affert, conſtat Æolum non fuiſſe Hellenis patrem, ſed filium, in quo omnes auctores unanimiter conſentiunt.

Ἕλλην γὰρ, ὡς λέγουσι, γίγνεται Διὸς,
Τοῦ δ' Αἴολος παῖς.

Alii non Iovis, ſed Deucalionis filium Hellena fuiſſe adfirmant. Verùm, ut dixi, hæc fuit cōmunior tum Græcorum ſententia, Theſſalos & Magnetas ab *Helladis* finibus & nomine eſſe excludendos. Hinc Attici oratores Philippum contumelioſe *Theſſalum* & *Macedonem* appellabant, quem pro Græco non habebant, in barbariem & peregrinitatem proinde redigendum. Ita & Euripides in Alceſtide Theſſalos ab Helladis incolis diſtinguit.

Τίς τοῦδε μᾶλλον Θεσσαλῶν φιλόξενος
Τίς Ἑλλάδ' οἰκῶν;

Et vide rerum viciſſitudinem. Qui Græciæ dederút unde appellaretur, & unde habitaretur, & quod loqueretur, hoc eſt nomen hominis & linguam, ipſi poſtea indigni ſunt viſi qui Græci, id eſt Ἕλληνες nominarentur. Quod ad Macedoniam attinet, nunquam ſane à

Digitized by Google

quoquam inter regiones Græciæ, ſive Helladis repoſita eſt. Certum tamen eſt, *Macedonem* qui provinciæ nomen dedit, fuiſſe maternum Deucalionis nepotem, quo genitus Hellen. Græci quoque inter illa initia non tantùm Theſſaliam, ſed etiam Macedoniam tenuerunt. Quinimo Μακεδνοὶ, id eſt Macedones, dicti ſunt quamdiu Pindi montana incoluerunt. Præterea eadem ſemper lingua uſi ſunt, moribus & veſtitu cũ Theſſalis. Hinc & *Theſſaliam* multi Macedoniæ partem eſſe dixerunt, non tantùm propter ἐπικράτειαν Macedonum, ſed propter eadem inſtituta, veſtem & linguam. Pomponius Mela: *In Macedonia prima eſt Theſſalia, deinde Magneſia Phthiotis.* Solino *Edonii, Mygdonia, Pieria, Æmathia, uniformi vocabulo Macedonicæ res & partitiones quæ ſpecialiter ante ſejugabantur, Macedonico nomini poſtea contributæ.* Straboni Lynceſtis, Oreſtias, Pelagonia, Æmonia nomine ſuperioris Macedoniæ veniebant. Quinimmo addit juxta quorundã ſententiam, καὶ σύμπασαν τὴν μέχρι Κερκύρας, appellatam eſſe Macedoniam, pro cauſa afferentium, ὅτι καὶ κουρᾷ καὶ διαλέκτῳ καὶ χλαμύδι, καὶ ἄλλοις τοιούτοις χρῶνται παραπλησίως. Theſſalica Chlamys & Macedonica eadem & ejuſdem formæ, ut alibi oſtendimus. Pileus quoque Theſſalicus idem cum Macedonico, quæ & καυσία dicebatur. Lingua porro utriuſque populi minime diſpar, nec niſi dialecto differe-

Digitized by Google

differebat. Cum omnes autem imperium Deucalionis & Hellenis, Hellenumque ab eo dictorum in ea parte Theſſaliæ quæ Phthiotis vocabatur, conſtituant, inter Pharſalum & Melitæan, ſolus Ariſtoteles in Epiri Moloſſide ubi Dodone eſt collocavit, his verbis quibus de Cataclyſmo Deucalionis agit: Καὶ οὗτος περὶ τὸν Ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον, καὶ τούτου περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν. Αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ περὶ Δωδώνην καὶ Ἀχελῷον. Οὗτος γὰρ πολλαχοῦ τὸ ῥεῦμα μεταβέβληκεν. ᾤκουν γὰρ οἱ Σέλλοι ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν δὲ Ἕλληνες. Nec audio virum Græce doctiſſimum, qui de ea Theſſaliæ parte accipit ubi eſt Dodone, & Acheloi fontes. Nulla enim in Theſſalia Dodone, nec Theſſalia eſt in quo Dodone ſita. Quidam olim duas eſſe *Dodonas* voluêre, unam in Theſprotia, aliam in Theſſalia. Sed erroris eos coarguit Stephanus in voce Δωδώνη. Φιλόξενος, inquit, δύο φησὶ, Θεσπρωτικὴν καὶ Θετταλικὴν, κακῶς. Sed puto Philoxenum confudiſſe *Bodonen* cum *Dodone*. Nam Βωδώνη Theſſaliæ, & in ea quoque Iuppiter colebatur. Vnde nonnulli legebant in verſu Homerico; Ζεῦ ἄνα Βωδωναῖε, Πελασγικέ. Et præterea Βωδώνη & Δωδώνη idem vocabulum ex dialecto. β quippe & Δ invicem ſæpe mutantur. Sic βουνὸς & Δοῦνος. Inde *Dunum*. Vt B Romanorum more pronunciatum & P vicinum habent ſo-

num. Ita T & D. Eodem ergo modo permutantur, ut D & B. Hinc πέμπε & πένπε. Cum autem Ariſtoteles meminit Σελλῶν qui & Ἑλλοὶ dicebantur, qui Moloſſicam Dodonen incolebant, certum eſt de ea Dodone intellexiſſe, atque Ἑλλοὺς & ἕλληνας eoſdem putaſſe. Et ſane idem nomen Ἑλλὸς & Ἕλλην atque etiam Ἕλλης. Vt πέλλις, πέλλιν, τεχχὶς. τεχχὶν, ut ſupra docuimus, ubi oſtendimus, ab *Eliſſa* Noacida nomen Ἕλλης quo Græci appellantur deductum. Hinc Ἑλλήσποντος pro Ἕλλην πόντος, id eſt Pontus Hellenicus quod Græci ſive Ἕλληνες antiqui eum aliquando accoluerunt. Quod enim ab Helle quadam Phryxi ſorore dictum eum fabulantur Græci quæ in eo ſubmerſa ſit, ſomnium eſt. Et ſollenne eſt Græcis originationes locorum quas neſciunt, ita deducere. Sic Καρχηδών, cum manifeſte à voce Syriaca *Karchuda*, quæ *civitatem novam* ſignificat, derivata ſit, fingitur ipſis dicta à quodam *Karchedone Tyrio* qui in rerum natura non fuit. Romani aliter corrupêre, & dixêre *Carthago*. Niſi potius hoc nomen depravatum ſit ex alia urbis illius appellatione æquè Syriaca Καρθαγένα, quod eſt civitas hortorum. Græci οἰνοῦσσαν verterunt, multis οἰνᾶις vel οἰνέαις, refertam. Nam οἰνῆ idem quod ἀμπελὼν, & utrumque pro horto uſurpatum etiam antiquis alibi notamus. Inde inter nomina varia Carthaginis apud Græcos hæc duo

referun-

referuntur, Νεάπολις & Οἰνοῦσσα. Iſtud eſt *Carthagemma*, illud *Carthada*. Sic regionẽ Peloponneſi ad mare & littoralem, & Αἰγιαλὸν inde dictam ac generis Enallage Αἰγιάλην, atq; Αἰγιάλειαν, ut Πηνελόπη dicitur & Πηνελόπεια, ab Aigialeo quodam commenti ſunt appellatam Inachi filio, Phoronei fratre. Multis autem aliis locis ſimiliter maritimis & littoralibus id nomen hæſit quaſi proprium. Eſt & *Ægialus* in Ponto ad Carambim promontorium. Atticam regionem, quæ olim Ἀκτική dicebatur, quod triquetra cum eſſet, maxima ſui parte, hoc eſt duobus lateribus mari prætenta eſſet, ab *Actæo* rege terrigena ſomniarunt nomen accepiſſe. Pro Ἀκτικῇ more Æolico poſtea dicta eſt Ἀττική. Nam ſollenne illis ubi duæ concurrunt conſonantes priorem mutare in ſequentem. Vt ἀκκὸς pro ἀσκὸς, & ſimilia. At ſi ab Actæo illo, qui nunquam fuit, dicta eſſet, non Ἀκτικὴ nomen habuiſſet, ſed Ἀκταία vel Ἀκταϊκή. Eadem regio Κραναὴ dicebatur, quod aſpera eſſet ac petroſa. Inde & nomen Κραναοῦ regis etiam è terra orti confinxerunt, qui hoc nomen illi dederit. Αἴθυς veteri Græcorum lingua homo eſt niger. Inde Αἰθύη Græcis appellationem traxit, de regione hominum nigrorum. Auctores fabuloſi, & nihil non in hiſtoria audentes, maluerunt procudere nomen hominis antiqui à quo ſic diceretur, atque ita appellatum ha-

Digitized by Google

riolati ſunt filium Epaphi. At Μαῦρος idem ſignificat quod Λίβυς. Inde *Mauris & Mauritania* nomen inditum. Sexcenta poſſem proferre ejuſmodi quæ ad hoc inſtar à Græcis ficta ſunt, ſi id mihi eſſet propoſitum. Nam & Σκύθας à Scythe quodam, Γαλάτας à Galate dictos, putarunt. Nullos non denique populos fabuloſis originationibus & denominationibus ad illum modum confictis donarunt. Ita ergo Ἑλλήσποντος Pontus eſt Græcus, ſive Græcorum, non Pontus Helles. Ad cujus diſtinctionem Πόντος ἄξεινος ulterior dictus eſt, quod à Barbaris & hoſpitalitatis jura neſcientibus incoleretur. Qui poſtea verſo in contrarium nomine εὔξεινος nuncupatus, poſtquam ejus ora coloniis Græcorum occupari cœpta eſt. Certe nomen Ἑλλὰς non ἀπὸ τοῦ Ἕλλην deductum eſt, ſed ἀπὸ τοῦ Ἑλλός. Vt Ἰὰς dialectus, & regio non ἀπὸ τοῦ Ἴων, ſed ab ἴος quod idem ſignificat, unicum nimirum, & μονογενῆ. Σελλοὶ Homero hi populi, cum Sigma quæ aſperioris aſpirationis vicem habet. Pindaro & aliis Ἑλλοί. Stephanus: Σελλοὶ οἱ Δωδωναῖοι. Λέγονται δὲ καὶ δίχα τοῦ Σ, Ἑλλοί. Regio ipſa Ἑλλοπία. Quod argumentum eſt, Ἕλλους potius quam Σελλοὺς dictos. Ita vocabat Heſiodus regionem in qua ſita erat Dodone.

Ἔστι τις Ἑλλοπίη πολυλήϊος, ἠδ' εὐλείμων
Ἐνθάδε Δωδώνη τις ἐπ' ἐσχατιῇ πεπόλισται.

Inde

Inde & Ἑλλοπία in Eubœa ab hac Moloſſica vel Epirotica nomen habens, ut originem. Ab Ellope Ionis filio nepote Hellenis ſic dictam eſſe Stephanus ſcribit. Sed non eſt dubiũ Eubœenſem à Moloſſica manaſſe, ut infinita alia loca Peloponneſi & Græciæ ὁμώνυμα Theſſalicorum, & Epiroticorum reperiuntur, quia inde è Theſſalia, & Epiro venerunt qui ea cõdiderunt. Ἱστίαια tam Eubœæ fuit quam Theſſaliæ. Eretria & Theſſaliæ & Eubœæ urbs. Et ita corrigendus Strabo lib. IX. Ὁ δὲ Ἐνιπεὺς ἀπὸ τῆς Ἐρετρίας παρὰ τὴν Φάρσαλον ῥυεὶς εἰς τὸν Ἀπίδανον, ὁ δὲ εἰς τὸν Πηνειόν. Vides & Apidanum hic Theſſalicum fluvium Peloponneſiaci cognominem, à quo & Ἀπιδονῆες Arcades. Quos nõ dubito è Theſſalia veniſſe & ab *amne* illo Theſſaliæ nomen eſſe nactos. Idem Strabo lib. VIII. hujus Apidani Theſſalici meminit de Eniſeo Theſſaliæ amne loquens, ὅς ἀπὸ τῆς Ὀθρύος ῥέων δέχεται τὸν Ἀπιδανὸν κατενεχθέντα ἐκ Φαρσαλίας. Mentio etiam hujus Apidani occurrit apud Apolloniũ & ejus veterem Scholiaſten. Eurotas non tantum in Laconica, ſed etiam in Theſſalia, ut ex eodem Strabone conſtat. Olympus mons non ſolum Theſſaliæ, ſed etiam Peloponneſi. Oropos urbs Macedoniæ & Bœotiæ. Γραῖα urbs Eretriæ quæ Æolicè Γραΐα, id eſt Graia. At *Graii* iidemque Græci ex Theſſalia. *Lariſſæ* urbes plurimæ in Theſſalia & Macedonia. Eodem hoc nomine

mine alibi in Græcia plures, & in Attica una, & arx Argolica in Poloponneſo ſic vocatur. *Thebæ* non tantum Bœotiæ, ſed & Theſſalæ fuêre, ut omittam ſi quæ in aliis locis. Pſophis Acarnaniæ erat, & Arcadiæ. Iton in Theſſalia ſimul & in Bœotia reperitur, & pluribus aliis locis, ut in Italia, Lydia & Epiro. Οἰχαλία Theſſaliæ, ſed & Eubœæ & Arcadiæ pariter, ut credere eſt apud Strabonem & Stephanum. Βοῖϐος vel Βοίβη Theſſaliæ tribuitur. Eſt & alia Cretæ in Gortynenſi agro. Βοῖον etiam urbs Doridis quæ Βοίβη Homero dicitur. Κυῖνη Theſſaliæ eſt, à qua Κυίνιον Doridos. Sunt & Βοιαὶ in inſula Creta. Ἐρινεὸς in Doride & in Magneſia Theſſaliæ vicina. Δῖον urbs Theſſaliæ & Macedoniæ etiam Eubœæ. Κορώνειαι duæ, altera Bœotiæ, altera Theſſaliæ. Πύῤῥα urbs Theſſaliæ cui poſtea Melittæa nomen fuit. Pyrrha etiam in Lesbo. Ἰθώμη Theſſaliæ & Peloponneſi in Meſſeniaco agro. Achæi denique populi Phthiotidis nec minus & Peloponneſi. Sub Achille eos militaſſe tradit Homerus, ut etiam Hellenes.

Μυρμιδόνες δ' ἐκαλεῦντο Ἕλληνες ϗ Ἀχαιοί.

A Peloponneſiacis Achæis, Ἄργος Ἀχαϊκὸν appellat. Strabo: Ἀχαιοὶ δ' ἐκαλεῦντο οἱ Φθιῶται πάντες. A Sellis ſive Hellis Epiri Σελλασία urbs Laconicæ. Et Σελλήεις fluvius in Elienſi regione Peloponneſi, cujus & Homerus meminit.

Τηλόθεν

Digitized by Google

Τηλόθεν ἐξ Ἐφύρης ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος.
Οὐ τῆς ἐν Θεσπρωτοῖς Ἐφύρας, addit Strabo, ἀλλ' ἐν τοῖς ἐντὸς Ἠλείοις. Et vides Ephyram non ſolum Epiri, ſed etiam Elidis eſſe. Alia etiã Theſſaliæ ipſius fuit. Idem porro Strabo ex Apollodoro iſtum Σελλήεντα amnem ab Epirotis *Hellis*, qui & *Selli*, nomen notat inveniſſe. Τὸν μέντοι ποιητὴν οὕτω λέγειν Ἑλλοὺς καὶ Σελλούς, τοὺς περὶ τὸ ἱερὸν προσθείς, ὅτι καὶ Σελλήεντά τινα ὀνομάζει ποταμόν. Non omnia dixi, & multa reſtant, quæ memoriam fugerunt. Sed hæc ſatis oſtendunt, origines Græcarum urbium à Macedonibus Theſſalia & Epiro, viciniſque locis eſſe arceſſendas. Solent enim Coloni novis urbibus quas in peregrino ſolo extruunt, nomina indere locorum patriæ ſuæ. Unde illa Virgilii.

Procedo & parvam Troiam ſimulataque magnis
Pergama & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnoſco, Scaaque amplector nomina porta.

Et paulo ante, *Falſi Simoentis ad undam*. Troiam in Epiro condiderat Helenus, præfluentes eam rivos nominibus Xanthi & Simoentis Troicorum amnium ſignaverat. Ita Dium, Berœam, Pellam in Syria ſtatuerunt Macedones, urbium Macedonicarum cognomines. Hanc omnes denique populi conſuetudinem ſemper tenuerunt. Ariſtoteles autem in Epiro ponit primos & antiquos Ἕλληνας, quos eoſdem cum Ἑλλοῖς eſſe exiſtimavit. Reliqui omnes auctores in Theſſalia eos collocant, & ejus

parte

Digitized by Google

parte quæ Phthiotis appellata eſt. Toti tamen Theſſaliæ imperaſſe Deucalionem & Hellena ejus filium conſtat. Et veriſimiliorem ita opinantium ſententiam, in Phthiotide Hellena cum populis ab eo nominatis, quod ſepulcrum ejus oſtentabant Melitæenſes Phthiotici, cum olim Hellena urbem habitaſſent. Commigraſſe namque in ſuam urbem Hellenas ex Hellade quæ in humili loco erat condita trans Enipeum amnem, Strabo lib. IX. Μελιταιεῖς δὲ ἄπωθεν ἑαυτῶν δέκα σταδίους ᾠκισθαι τὴν Ἑλλάδα πέραν τοῦ Ἐνιπέως, ἡνίκα ἡ αὐτῶν πόλις Πύῤῥα ὠνομάζετο. Ἐκ δὲ τῆς Ἑλλάδος, ἐν ταπεινῷ χωρίῳ κειμένης εἰς τὴν ἑαυτῶν μετοικῆσαι τοὺς Ἕλληνας. Μαρτύριον δ᾿ εἶναι τὸ ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ σφετέρᾳ τάφον τοῦ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος υἱοῦ καὶ Πύῤῥας. Ἱστορεῖται γὰρ ὁ Δευκαλίων τῆς Φθιώτιδος ἄρξαι καὶ ἁπλῶς τῆς Θετταλίας. Sed ſive ita ſit, ſive, ut opinatus eſt Ariſtòteles, qui conſtituit antiquam ἑλλάδα circa Dodonam Epiri, ubi *Helli* incolebant, certum eſt à Septentrione ſe effudiſſe in Meridianas partes qui Græciam primi hominibus repleverunt, non contra è Meridianis locis verſus Arcton contendiſſe. Idque probari poteſt alio argumento vix vincibili, quod à lingua ſeu dialecto ducitur. Notum eſt, Peloponneſum totam lingua Græca uſam fuiſſe partim per Dorienſes Dorica, partim per Æolios Æolica qui eam occuparunt, partim etiam per

Iones

Digitized by Google

Iones (nam & hi eam aliquando tenuerunt) Ionica. Origo ut gentis ita & linguæ Græcanica, omnium auctorum conſenſu, in Theſſalia ponitur, unde orti Deucalion & Hellen à quo Hellenes: & per Hellenis natos ac nepotes, Dori, Æolii & Iones propagati ſunt, eorumque populorum dialecti Græciæ differentes productæ. Conſtat igitur Peloponneſum, ut populos à Septentrione accepit, ita & linguam indidem hauſiſſe, non è contra gentes cum linguis ſuis dialecto ſub una generali variis in Septentrionem miſiſſe. Illi ipſi populi Peloponneſi Arcades omnium Græciæ gentium antiquiſſimi crediti, & quidem tunc priores lingua utebantur Græca Æolica. Unde niſi ab Æoliis Theſſalicis accepta? Ariſtoteles ſcripſerat in Tegeatum πολιτείᾳ, Arcadiam priuſquam ab Arcadibus obtineretur, à Barbaris quibuſdam populis fuiſſe habitatam, qui, quod ejecti fuère ab Arcadibus ante Lunæ exortum, ideo Arcades vocatos eſſe προσελήνους. Arcades ergo Græci generis & linguæ erant, qui Barbaros illos Arcadiæ antiquos colonos ſedibus ſuis expulerunt, Ariſtotele teſte. Aliunde ergo venerunt in Peloponneſum cum ſua ſibi lingua Græcanica ſive Æolica. Unde ergo niſi ex Theſſalia, ubi origo & principium Græcorum extitit? Idem eſt de reliquæ Græciæ populis, ut Ephorus apud Strabonem perhibet. Populi illi Barbari qui Græciam

ciam tenebant antequam Græci eam occupaſſent, eodem etiam Septentrione veniſſe conſtat. Poſteriores igitur Græci, nec tanta eorum origo quantam ipſi videri volunt, qui tamen majorem hominum vetuſtatem nolunt fuiſſe quam quando ipſi in Græcia exorti, ibi primum innoteſcere cœperunt. Principium quippe humani generis in eo tempore reponunt, quo ipſi in Græcia apparere cœperunt. Theſſalorum deinde & Macedonum invidia & odio omnem antiquitatis gloriam illis ereptam in Peloppouneſios transfuderunt. Nulla Europæ fere gens nec Aſiæ, quin à Septentrione promanaverit. Inde propagines profectæ populorum, quibus Europæ Aſiæque pleræque partes conſitæ fuerunt. Scythia igitur quæ ad ſeptentrionem, omnes ferme gentes evomuit cum ſuis linguis quæ Europam & Aſiam inundarant. Vt autem vaſtiſſima illa Scytharum regio fuit & late porrecta ad Orientem & Occidentem, verſus Meridiem eructando varias hinc in Europa inde in Aſia produxit gentes. Ab Aſiæ parte uſque in Indiam penetravit, & Indoſcythas fecit. Parthos Perſaſque profudit. Nam Parthi, ut inter omnes conſtat, originis Scythicæ. Nec *Parthorum* nomen aliud & *Perſarum*. Græci qui diſtinxére Παρθοὺς & Πέρσας, more ſuo fecerunt, dum omnia turbant & confundunt, quæ diſcriminanda ſunt, aut non diſtinguenda divi-

dividunt. Idem nomen Πάρθος & Πέρσης Græci antiquiores Πέρσας verterunt, qui فرس *Phars* proprio idiomate dicebantur. Recentiores aliter vertendo dixerunt Πάρθους. Quod ita pronuntiandum, quaſi ſonarent Πάρζους. Ita enim θῆτα in pronuntiando eliquant Græci, & blæſo ore efferunt, ut audiatur potius Sigma ſonare quam Tau. Quin & dialectus Æolica quæ eodem modo ſcribebat voces, ut eas pronuntiabat, Σεὸν pro θεῷ dicebat, Ἀσάναν pro Ἀθάνᾳ, & alia ejuſmodi. Σίναι quoque & Θίναι eædem ſunt, quas *Chinas* hodie pronuntiant Europæi. Ita Πάρθοι ſunt Πάρσοι, iidemque ac Πέρσαι, & propius ad veritatem nativi vocabuli. Hinc Παζαργάδαι urbs dicta, tranſpoſitis litteris pro Παρσαγάδαι, vel Παρσγάδαι: Quod ſignificat, Περζῶν ϛρατόπεδον, ut interpretatur apud Stephanum Anaximenes. Nec obſtat porro Perſas & Parthos idem eſſe nomen, quod Græci regionibus eos diſtinguunt. Nam Parthos ibi collocarant ubi nunc eſt *Iſpahan*, Perſas autem ubi eſt *Iſtachar*, quam pro *Perſepoli* nobis obtrudunt. Sic iidem Græci diverſas regiones faciunt, Ἀθυρίαν & Ἀσυρίαν cum idem ſit vocabulum *Atur*, & *Aſſur*. Ἀσυρίαν dixerunt quæ Ἀθυρία potius dicenda erat, ut ab ipſis indigenis pronuntiabatur. Alii Græci Ἀτυρίαν ſcribunt, ut Stephanus & Ptolemæus. Apud Clementem eſt Ἀθυρία, me-

Digitized by Google

lius. Nam ex molliori qualem Græci uſurpabant pronuntiatione, Ἀσυρία eſt, & cum duplici ſigmate Ἀσσυρία. Vt enim varia dialectus in Orientalibus *Athur* & *Aſſur* pronuntiat, ita apud Græcos, Θεὸς & Σεὸς, Æolica & cõmunis differenter ſonat. Non enim hæc duo vocabula niſi dialecto differunt, ut γλῶσσα & γλῶττα, *VVatter* & *VVaſſer*. Inde nomen habuit & Πασιτίγρις circa exitus ſuos ita dictus, hoc eſt Παρσιτίγρις, quaſi *Tigris Perſicus* فرسي *Pharſi*. Ita verò putaret aliquis alium eſſe Ζωροάστρην antiquorum Græcorum à recentiorum Ζαράδα, Ζαράδη vel Ζαράτῳ, cum idem omnino ſit. Auctorem Perſicæ ſive Magicæ ſuperſtitionis & Philoſophiæ, qui *Zarduſt* زردوست ipſis Perſis vocatus eſt, id eſt amicus ignis, Græci vetuſtiores Ζωροάστρην corruptè nominarunt, recentiores propius ad verum nomen expreſſerunt Ζαράδης, Ζαράδας, atque etiam Ζάρατος, quia Perſicè etiam ſcribitur, زرادست *Zaraduſt*. Idem vocabatur proprio nomine Perſicè *Mog* مغ. Vnde Græcis Μάγος. At ex eo *Mog* iidem Græci fecerunt Μῶχον, quem Sophum volunt fuiſſe Iliacis temporibus antiquiorem. Hoc ipſum nomen Σκύθης de quo nunc agimus, variè à Græcis enuntiatum eſt, & multas μεταπτώσεις incurrit. Nam Σκύθης, Γέτης, & Γοτθὸς idem eſt. Item Δᾶοι, Δάαι, Δάαι, Δάκοι & poſtremo,

Digitized by Google

ſtremo, Dani. Sic *Σίντιες*, *Σιντοὶ*, *Σινδοὶ* & *Σάϊοι* iidem populi per *μετάπτωσιν*, ut auctor eſt Strabo. Antiqui & primi Ἕλληνες cum adhuc vicinas Thraciæ Macedoniam & Theſſaliam tenerent, populos Thraciæ ſibi ex vicinitate notiores, qui *Iuti* vel *Guti* ipſorum lingua vocabantur (nam & *Juthungorum* nomen inde compoſitum) præpoſito Σ, qui mos eſt Æolum in pleriſque vocabulis, appellarunt *Σγόθας* ut *Σκύθας*. Quod nomen poſtea generaliter hæſit omnibus Septentrionalibus gentibus apud Græcos, quamvis habitu & lingua moribuſque differrent, ſed & ſitu. Æolii poſt mortem Hellenis à majore natu filio ejus appellati Æolo, in Theſſalia patrium imperium obtinuerunt, cum reliqui inde exceſſerint ad ſedes quæritandas. Eorum proprie eſt, Sigma vocibus præponere à conſonante incipientibus. Ita *σμῦς* dicebant pro *μῦς*, *Σμογερὸς* pro *μογερὸς*, *Σμύρνα* & ſimilia. Illi ergo *Σκύθας* vocarunt qui *Γέται* poſtea dicti ſunt à poſterioribus Græcis, populos Thraciæ Boſporum & Pontum accolentes. Prius nomen generale evaſit de omnibus ad Septentrionem gentibus, Thraciæ eos vindicat Stephanus, & ſpecialem gentis appellationem facit, ut olim fuit, *Σκύθαι*, *ἔθνος Θρᾴκιον*. Illi Getæ trans Danubium incolebant, quo trajecto ſæpe in Thraciam effudebantur. Præterea eadem lingua cum Thracibus utebantur. Late

eorum regio patebat, hinc ad Pontum, inde ad Danubii fontes. *Daci* his nomen erat, illis *Getæ*. Strabo lib. VII. Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος τῆς χώρας μερισμὸς, τοὺς μὲν γὰρ Δάκους προσαγορεύουσι, τοὺς δὲ Γέτας. Γέτας μὲν πρὸς τὸν Πόντον, καὶ πρὸς τὴν Ἕω, Δάκους δὲ τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς Γερμανίαν καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγὰς, οὓς οἶμαι Δάους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν. Ἀφ' οὗ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπεπόλασε τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα Γέται καὶ Δάοι. Τοῦτο γὰρ πιθανώτερον ἢ ἀπὸ τῶν Σκυθῶν οὓς καλοῦσι Δάας. πόῤῥω γὰρ ἐκεῖνοι περὶ τὴν Ὑρκανίαν, καὶ οὐκ εἰκὸς ἐκεῖθεν κομίζεσθαι ἀνδράποδα εἰς τὴν Ἀττικήν. Ita legendum apud Strabonem, non Δάυους nec Δᾶυοι. Latini quidem *Davos* appellabant, ſed Græci Δάους. Alii fuêre Δάαι ad Caſpium mare, & Hyrcaniam, qui diverſi ab his Dais ſive Dacis Europæ. Sed quid prohibet eò uſque progreſſos, ut erant νομάδες, Europæos *Daos* Orientalibus nomen dediſſe? De quo infra erit dicendum. Certe primis Græcis dum Macedoniam & Theſſaliam incoluerunt, potuêre noti eſſe propter viciniam iſti Daci & Getæ, quos Σκύθας tunc appellabant. Et *Daci* quos cum Getis conjungit Strabo, quamvis finibus diſterminet, hodierni *Dani* putantur eſſe. *Getarum* nomine poſtea abolito, *Gotthorum* auditum eſt, poſtquam ipſi ſeſe in Europam effuderunt, & Romanum imperium vexare cœperunt. Certe eadem appellatio Σκύθης, Γέτης & Γοτθός. Nam

Digitized by Google

& Gothi cum intra Mœotidem olim ſedes haberent, poſtea in Thraciam tranſmigrarunt, ut Stephanus in Byzantiis tradiderat. Sed non hîc populorum μετοικεσίας, colonias, & migrationes tractamus. Volumus hoc loco id conſtare, Græcis ſemper id fuiſſe in uſu ac more poſitum, ut Barbararum gentium ac locorum appellationes nuſquam integras protulerint, ut ab ipſis enuntiabantur, ſed ad ſonum ſibi familiarem eas detorquerent, addita aut detracta aut inverſa, una vel pluribus Syllabis. Quinetiam ipſi Bibliorum ſacrorum interpretes nomina propria ita ex Hebraico inverterunt, dum pronuntiationi Græcanicæ ea ſtudent accommodare, ut vix genuina agnoſcantur. Hoc conſtat ex nominibus Ἔσδρας, Ἰερεμίας, Ἐζεκίας, & aliis ad ſonum moremque Græcanicum inflexis. Si quis hodie quærere inſtituat Celtarum aut Galatarum appellationes quales apud gentes quas ſic Græci nominarunt, genuinæ fuerint, operam & oleum perdat. Galli, *VValli* ſunt, cujus appellationis hodieque veſtigia remanent. Pro Gallis Γαλάτας Græci fecerunt, alii etiam Κέλτας. Non minus fruſtra id inveſtigaris in multis aliis populorum nominibus, quæ Græci aut penitus depravarunt, aut ex parte. Nonnulla etiam in totum alia finxerunt, quæ indigenæ pro ſuis nunquã agnoverunt. Quos Σύρους Græci, & quam Συρίαν, &

Digitized by Google

eos ſequuti Romani vocarunt, nunquam ipſi ſe hoc nomine nuncupatos prætenderunt. Idque etiam ipſi Græci auctores fatentur. Strabo lib. I. Τοὺς γὰρ ὑφ' ἡμῶν Σύρους καλουμένους ὑπ' αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀραμαίους καλεῖσθαι. Notum eſt quid ſit *Aram*, ea nempe regio quæ Græcis Συρία appellata eſt. Hæc nomina propria locorum & hominum Græcis vetuſtioribus magis etiam corrupta & adulterata conſtat quam recentioribus. Regum Perſarum & Ægyptiorum appellationes antiquis perverſius detortæ reperiuntur, quam ſequioris ætatis ſcriptoribus. De quo alibi dicendi locus erit. Hoc etiam apparet in iis gentium appellationibus, de quibus hîc agimus. Ita Σκύθης veterum longius recedit à vero quam Γέτης recentiorum. Ἄραβες poſteriorum propius accedunt ad verum illius gentis nomen quam Ἐρεμβοὶ Homericum. Nam certo certius eſt, qui Homero vocantur Ἐρεμβοὶ, eos ipſiſſimos eſſe quos poſterior Græcorum ætas Ἄραβας vocavit. Rufus vetus poëta apud Galenum Ladanum ἐν γαίῃ Ἐρεμβῶν naſci ſcribit, qui ſunt Arabes. Celebre quippe eſt Ladanum Arabicum. Vt Ἐρεμβοὶ & Ἄραβες iidem ſunt populi, ſic Πέρσαι & Πάρθος, gens origine Scythica, ut Scythiæ vox latiſſimè poſtea à Græcis accepta eſt de illa univerſa Septentrionali ora quæ hoc nomine à Græcis deſcripta eſt. Strabo: Ἅπαντας

μὲν

μὲν δὴ τὰς πρεσβόῤῥους κοινῶς οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας καὶ Κελτοσκύθας καλοῦσι. Sed generale hoc nomen Scytharum de univerſis ad Septentrionem gentibus natum eſt ex ſpeciali, ut omnia alia. Nam Teutones, Celtæ, Alamanni, Græci, Ἕλληνες, prius fuerunt particulares ac ſpeciales certorum populorum appellationes, quæ poſtea evaſerunt generales. Ita ergo & Σκύθαι non alii primo fuerunt quam quos diximus. Getas Strabo ὁμόγλωττον τοῖς Θραξὶν ἔθνος fuiſſe dicit. Getis oram Ponti accolentibus vicini ad Occidentem Dani vel Daci, uſque ad fontes Danubii & Germaniæ confinia pertinentes. Hos & Getis ὁμογλώσσους fuiſſe veriſimile eſt. Ab his orti Germani linguam quoque ſuam inde mutuati ſunt. Originem quippe linguæ Teutonicæ vel Teutiſcæ ab illa Ponti ora & Taurica Cherroneſo, quam & Σκυθικὴν vocarunt, deſcendiſſe fidem facit quod ſcribit Busbequius in Epiſtola quadam, de legatis è Taurica Cherroneſo Conſtantinopolim miſſis quos viderit, & alloquutus ſit. Eos lingua Germanica uſos eſſe tradit, paucis verbis exceptis. Ex tribus narrationibus quas de Scytharum origine Herodotus commemorat, tertiæ ſe magis accedere profitetur. Scythas aliquando in Aſia habitantes, à Maſſagetis vexatos bello, profugiſſe, & trajecto Araxi in regionem Cimmeriorum veniſſe eamque oc-

cupaſſe. Ab illis Cimmerius Boſporus appellatus. Nec dubium quin vel Scytharum illorum vel Cimmeriorum lingua Teutonicam, id eſt Germanicam, produxerit. Cimmerii illi *Cimbri* ſunt, ita vocati à Græcis, more ſuo omnia nomina gentium genuina corrumpentibus. Ita Cimmericus Boſporus Græcorum eſt *Cimbricus*. Vt illi νομάδες fuêre, & λῃστρικοὶ, non unas habuêre ſedes. Scytharum nomen à Græcis quoque confictum eſſe, id eſt ex genuino depravatū, Herodotus aſſerit. Σκύθας, inquit, Ἕλληνες ὠνόμασαν. Σκολότους ſua lingua dictos eſſe ibidem ait. Sed melius quod ſupra poſuimus. Primos hominum Scythas eſſe ſcribit Mela, qui à Græcis auctoribus id hauſit. Iuſtinus quoque lib. II. tradit Scytharum gentem ſemper antiquiſſimam eſſe habitam, ſed tamen inter Scythas & Ægyptios diu contentionem de generis vetuſtate fuiſſe. Certe primi hominum Scythæ fuêre Græcis ſive Ἕλλησι Theſſaliæ, qui & ipſi reliquis Græcis à ſe productis & propagatis pro primis hominum habiti. Contra Herodotus Scythas de ſe ipſos memorare dicit, ſuam gentem eſſe omniū hominum ac gentium recentiorem. Ὡς δὲ Σκύθαι λέγουσι, νεώτατον ἁπάντων ἐθνῶν εἶναι τὸ σφέτερον. Quinetiam adjungit ex ipſorum Scytharum relatione & computatione non plus mille annis interceſſiſſe à primo eorum rege, & Darii expeditionem qua

bellum

bellum eis intulit. Hæc ſi vera ratio, calculuſque bene poſitus eſt Scytharum generis vetuſtatis, eodem ferme tempore cœperunt quo Hellenes in Theſſalia. Inter Hellena quippe Deucalionis filium, à quo Hellenes denominati ſunt, quo tempore in Theſſalia regnabat, uſque ad Darii qui expeditionem in Scythas ſumſit mille circiter annos interjicit auctor vetuſtiſſimi Chronici Arundelliani. Sic σύγχρονοι & coævi fuerint primi Hellenes ac primi Scythæ, nec major horum, quam illorum, antiquitas, cum gentis utriuſque primordia in idem tempus incurrant. Primum ſuum regem Iove & Boryſtenis filia natum perhibebant, teſte eodem Herodoto. Nec Græci aliter de Hellene, cui patrem Iovem, non Deucalionem multi aſſignant. Hæc omnia de genere & origine Scytharum & Græcorum è Græcorum ipſorum fabulis nata ſunt, quæ ultra illius temporis, quod à nobis in Deucalione ſignata ſunt, memoriam non tranſcendebant. Et conſtat ex his neque de Scythis neque de aliis hominibus qui Europam incoluerint, quidquam anterius illo tempore quod eſſet, ad Græcos perveniſſe. Græcos priores fuiſſe τοῖς Ἕλλησι, videntur vetuſtiſſimi auctores crediſſe. Nam omnes ferme id tradunt, Ἕλληνα de ſuo nomine nuncupaſſe, qui Γραικοὶ antea dicebantur. Ariſtoteles: ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε

μὲν Γραικοὶ, νῦν δὲ Ἕλληνες. Marmoreum Chronicum: Ἀφ' οὗ ὁ Ἕλλην ὁ Δευκαλίωνος ὠνομάσθησαν, τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι. Sed quinam illi Græci aut unde dicti? à Græco quodam ſtatim ſubjicient Græculi. Nos à Ῥαγαῦ filio Phaleg, qui Pelaſgis à ſe nomen dedit cum origine, dictos ſupra cenſuimus. Nam Gamma in Iota eliquato, quia pronuntiatur ut Iota conſonans ante E & I. Ῥαῖος inde factum, & præpoſitum gamma, ut ſolent Græci, γραῖος. Nam non ſolum γραικοὶ dicebantur, ſed etiam Ῥαικοὶ, teſte Heſychio. Ergo & Ῥαῖοι qui & γραῖοι. Sic γνόφος pro νέφος, γνώσκω pro νώσκω & ſimilia. Boëti quoque Ἰὼν pro ἐγὼν dicebant, non, ut putabat Tryphon Grammaticus apud Apollonium, ſubtractione vel ὑφέσει τοῦ γ, & mutatione τοῦ ε, in ι, ſed detractione τοῦ ε, ut in pronomine κεῖνος pro ἐκεῖνος. Ita γὼν vel γὼ pro ἐγὼ dixêre. Deinde γάμμα in Iota mutarunt, & ſic ἰὼν fecêre pro ἐγών. Ideo & aſpirarunt, quia Gamma plerumque vicem denſi ſpiritus. Nec ergo dubium eſt, quin ex nomine Ῥαγαῦ nomen γραῖος de Græcis vel à Græcis deductum ſit, qui Phalego natus ſive *Pelaſgo*, ut eum nominarunt Græci, qui *Pelaſgus* in Theſſalia Thraciæ vicina primum innotuit, ut & Graius. Hinc & Pelaſgum Theſproti patrem quidam fecerunt, ut eſt apud Stephanum in Ephyra, quem & Pelaſgum Lycaonis

Digitized by Google

caonis filium perhibent, Lycaonem Arcadis, & ſic omnes illam γενεαλογίαν tam Pelaſgorum quam Grajorum locis illis ſeptentrionalibus verſus Scythiam & Thraciam aſſignarunt, non ad meridiem in Peloponneſo, quam à Thracia Scythiaque & Theſſalia populos accepiſſe, ut & reliquas Græciæ partes, liquet. Thraces ipſos à Thera fratre Thubali ſive Deucalionis, Iapeti filio, originem & appellationem traxiſſe auctores affirmant. Θῆρας ἀφ' οὗ Θρᾶκες. Ab illis Thracibus porrò Phryges ortum duxiſſe non dubia fama eſt inter Græcos, quos omnium hominum antiquiſſimos Græcorum plerique contendunt. Enimvero illos de originis antiquitate aliquando cum Ægyptiis certaſſe refert Herodotus, & litem eam ſecundum Phryges judicatam ex facto & experimento, quod ipſe narrat in ſecunda Muſa. Ab eo tempore primos hominum habitos Phryges tradit. Atqui Phryges illi ex Thracia oriundos eſſe inter omnes conſtat. *Ita* Βρίγες vocabantur. Et Macedonum etiam mos eſt Thraciæ vicinorum B, hoc eſt Vau uſurpare pro Φ. Sic Βάλακρον dicebant, id eſt *Valacrum* pro Φαλάκρῳ, *Falacro*. Et Βερενίκην, *Veronicen* pro Φερενίκη. De quo paulo poſt. Stephanus: Βρίγες ἔθνος Θρακικόν. Ἡρόδοτος. οἱ δὲ Φρύγες, ὡς Μακέδονες λέγουσι, καλέονται Βρίγες, καὶ Βριγία ἡ Τρωϊκή, τουτέστιν ἡ Φρυγία, ἀπὸ Φρυγὸς τοῦ καπεινήσαντος ἐν

Make-

Digitized by Google

Μακεδονίᾳ. Certè & Βρυγιὰς & Βρύγιον ab eodem recenſentur urbes Macedoniæ, & Βρύγες gentem Macedoniæ Illyribus vicinam. Βρὺξ τὸ ἔθνος καὶ Βρυγαί. Τοῦ Βρὺξ τὸ θηλυκὸν Βρυγὶς, καὶ Βρυγηΐς, ὡς Καδμηΐς. Εἰσὶ δὲ Μακεδονικὸν ἔθνος, προσεχὲς Ἰλλυρίοις. Sic Βρύγες & Φρύγες ejuſdem populi nomen qui ex Thracia & Macedonia in Aſiam tranſiit, ac Φρύγες ibi facti qui in Thracia & Macedonia erant Βρύγες. E Thracia in Macedoniam trajecerunt, deinde è Macedonia in Aſiam. Quod Phryges omnium gentium feruntur antiquiſſimi, & quod de vetuſtate originis perhibentur contendiſſe cum Ægyptiis, hoc etiam quodammodo ad Scythas poteſt referri. Nam & inde Phryges orti ſunt, unde & Scythæ. Vtraque Thracica gens, & ſeptentrionalis, ex iis nempe populis per quos primum Græcia cultoribus inſtructa fuit. Eorum Phrygum linguâ πῦρ ignis vocabatur, quod ab his Græcos accepiſſe narrat Plato & ex eo Clemens. Inde & Germani ſuum *fyr* habuerunt pro igne. Non dico eamdem omnino fuiſſe linguam Græcorum, Getarum ſive Thracum, & Teutonum ſive Germanorum, ſed multa has tres gentes habuiſſe vocabula cõmunia & ab eadem origine venientia. Perſica quoq; ſive Parthica, quæ & ipſa auctores originis habuit Scythas, infinitas præfert voces, quæ eædem reperiuntur in Græca pariter dialecto & in Teutonica.

Flexio-

Flexiones verborum in his tribus linguis eædem ſunt, compoſitiones nominum & alia plurima. Dores enim γράφεν, λέγεν, σπείρεν dicebant, quæ terminatio eſt verborum Perſicorum & Germanicorum. Æoles quoque qui τιμῆν pro τιμᾶν dicebant, eandem pronuntiationem videri debent habuiſſe. Nam tunc temporis ῆν pronuntiabant ut εὲν, quatenus Η τοῦ duplex ε, ſonat. Lacones quoque ἐπιφέρην ſcribebant pro ἐπιφέρειν, διδάσκην pro διδάσκειν, quod ita efferebant ac ſi ἐπιφέρεεν & διδάσκεεν ſcriptum foret. Vetuſtiſſima hæc omnium verborum apud Græcos inflexio Germanicis, hoc eſt Scythicis ac Perſicis conſimilis. Præterea Indi ſive Indoſcythæ eadem dialecto utebantur, qua hodierni Perſæ. Omnia quippe vocabula quæ Indica eſſe ſcribit Cteſias, in Indicis, Perſica ſunt, & à Perſica dialecto quæ hodie eſt in uſu deduci poſſunt. Μαρτιχόρας Indicè ſignificare ait ἀνθρωποφάγον. Quod purum putum eſt Perſicum. Nam مرد vel مردی *Mard* vel *Mardi*, Homo, خوردان comedere. Illud *Mard* non longè abit à Celtico *Man*. Nam R & N ſæpe confunduntur. Reliquæ omnes dictiones, quas pro Indicis recenſet Cteſias in opere cognomine, in Perſica hodierna lingua deprehenduntur minima mutatione. Inde apparet Indica illa Cteſiæ Indoſcythica eſſe, &

Per-

Digitized by Google

Perſicam proinde linguam quæ hodie viget, ab illis Indoſcythis manaſſe : vel ab iiſdem Scythis qui in Indiam deſcenderunt, cum in Parthicam quoque ejuſdem gentis homines migraſſent, originem traxiſſe. Sic Perſica vetus alia fuerit, & Medicæ fortaſſe magis affinis. Idque etiam auctores affirmant. Vt ut ſit, non de nihilo eſt affinitas quæ intercedit inter Perſicam & Germanicam linguam, cum innumera pæne vocabula Germanica in Perſica hodie reperiantur, quorum magna pars & in Græca extat. Nec dubito quin longe major ea harum linguarũ convenientia apparere poſſet, ſi lingua antiqua Græca, qualis erat Deucalionis aut Hellenis ætate, ad nos uſque perlata eſſet, aut antiqua Germanica. Crediderim tamen ab ipſis principiis diverſas fuiſſe linguas Geticã, à qua Germanica, & Græcam, ſed propter vicinitatem Getarum, Thracum & antiquorum Hellenum ſive Græcorum qui Macedones erant, quaſi in agris collimitantibus, radices ab uno in alterum tranſiſſe, & protuliſſe ejuſdem formæ germina. Tres multum differentes linguæ, ut fontes diverſorum fluminum in propinquis locis enatæ ſunt, Hellenica ſive Macedonica quæ Græcas produxit Dialectos : Illyrica quæ Sclavonicam genuit, qua hodie Poloni utuntur, Bohemi, Lituani, & alii. Et Getica eademque Thracica, ſive Dacica & Danica, ex

qua

Digitized by Google

qua Germanica propagata eſt cum omnibus ſuis dialectis. Getas Strabo confines facit Germanis, & ſtatim à Suebis Geticam auſpicatur, lib. VII. Alio loco Dacos ibi collocat, & Getas propriè nominat qui ad orientem Ponti loca incolerent. Sed Getarum appellatio latius ſeſe extendit quam Dacorum, quia & eos comprehendit. Quin & Maſſagetæ & Tyrigetæ. Iſti à ſeptentrione Getas terminabant, illi, ſi forte, ab oriente. Hi ſunt qui expuliſſe dicuntur Scythas, qui ſedibus ſuis ejecti Cimmeriorum regionem occuparunt, quam poſtea Getæ tenuerunt, niſi iidem Getæ & Scythæ, hoc modo vetuſtioribus Græcis nuncupati, illo recentioribus, ut ante dicebamus. Hinc Scythis diu uſi ſunt antiqui Attici ſervis publicis ſive ſatellitibus ad cohercendam & ſubmovendam turbam in concionibus, & ad noxios capiendos, cuſtodiendos, & in carcerem & vincula ducendos. Vetus Comœdia ſæpe eorum meminit. At nova nullam amplius eorum mentionem habet. In ea *Getæ* & *Dai* ſive Davi, ſervi ſunt privatorum. Hos Getas Græci, ut & Scythas, ſicut ſupra oſtendimus, Thracicam eſſe gentem opinati ſunt, ut teſtatur Strabo lib. VII. Hi ſunt porro Getæ, quorum ſermonem ſe edidiciſſe prædicat Ovidius Tomos relegatus ad ſiniſtram Ponti oram. Tota illa ora tunc Græcorum coloniis occupata tenebatur, qui loquelam na-

tivam

Digitized by Google

tivam corruperant Getico ſono, ut idem poë-ta affirmat. Et poteſt fieri, ut quidquid eſt Græci ſermonis admixtum Germanico, inde provenerit. Getæ quippe ab illis Græcis Ponticis ea imbiberunt, quæ poſtea ad Dacos ſive Danos, Dani ad Germanos tranſmiſerunt. Certe & Dani litteras inde ſuas videntur accepiſſe quas vocant *Runicas*. Nam forma earum ex Græcis omnino efficta & expreſſa videtur. Niſi quis potius putet à Romanis imitatas, & inde dictas *Runicas* quaſi *Rumicas*, id eſt Romicas. Licet etiam à Græcis Conſtantinopolitanis, qui Ῥωμαῖοι propriè appellabantur, Rumicas dictas opinemur. Arabes quoque روم appellabant, *Rum* & رومي *Rumi* Romanus. Sic Runicas pro Rumicis litteras ſuas antiquas Dani appellarunt ex Græcis illis expreſſas. Nec major eorum antiquitas. Frequens quippe mutatio eſt harum litterarum, & pueros loqui incipientes ſæpe videmus *ponum* pro *pomo* dicere. Certe non magis mirum eſt Germanos per Dacos & Getas ad ſe tranſmiſſa multa vocabula accepiſſe Græcanica, quam eoſdem Dacos, ſive Danos opera eorumdem Germanorum à Romanis hauſiſſe voces innumeras. Vnde enim, ut alia prætercam, in partibus corporis humani, *Heafod* Angloſaxonum, *Hoffuit* Danorum, & Hoofft Belgarum, niſi ex Latino *Caput*? Nam pro C adſpirationem in pleriſque uſurparunt,

ut

ut Hallum pro collo dixerunt. Sed & Ꝺore Danorum & Belgarum, & *Eare* Angloſaxonum ex Latinorum *Aure* fluxiſſe certum eſt. Et *Earm* vel *Arme* vel *Arm* pro Brachio ex *Armo* Romanorum factum liquet. *Ooghe* Belgarum, cui & affines ſunt voces quibus oculum appellant cæteræ Septentrionales gentes, quæ Teutiſcam uſurpant, à latino Oclo vel oculo manifeſtò ſumptæ ſunt. Alia libens omitto quæ infinita ſunt. Quinimo duo illa verba, quibus hodie eloquutionem ſuam colligant & conſtruunt omnes illi Septentrionales populi, *eſſe* & *habere*, Romana plane ſunt. Illud ἐςὶ Græcum etiam in Perſico hodierno deprehenditur. Qui in antiquitatibus linguæ Teutonicæ & Saxonicæ verſati ſunt, adfirmant carere eos duobus illis verbis quibus tanquam vinculis hodie utuntur ad coagmentandum ſermonis ſui contextum. Et ſane non videtur antiquior hæc loquendi eorum ratio, quam Latinitatis infimæ. Non enim eam prius uſurpare cœperunt, quam à Latinis ἐκβαρβαρωθεῖσαν uſurpari cœpta eſt. Tunc dixêre, *ego habeo factum*, pro, Ego feci. Quod Germani & Saxones & Belgæ aliique Septentrionales populi, quorum dialecti hodie vigent, imitati ſunt ac retinuêre. Eodem prorſus modo nec careret ratione qui diceret, quidquid legitur in Perſica lingua hodierna, Græcarum vocum, Perſas eas à Græco ſolo

Digitized by Google

in ſuam traduxiſſe per commercia cum Græcis pœne aſſidua, & ab omni ferme ævo frequentata. Vt contra certum eſt, multa Perſica in Græcum ſermonem recepta ejuſdem commercii gratia, & ſub Macedonum præcipuè imperio, qui cum utrique genti dominarentur, plures è Perſide in Græciam, & viciſſim è Græcia in Perſidem, voces invexerunt. Sic de *Candytane* tradit Pollux hujus verbi uſum Macedones Græciæ intuliſſe. Quod ad numerorum nomina attinet, pœne eadem ſunt in his tribus linguis, Teutonica, Græca, & Perſica. Quod autem per cæteras etiam linguas iidem numeri quaſi cucurrerunt, certum eſt ab aliqua ex illis tribus fuiſſe ſumptos. Quænam earum trium antiquior ſit, & reliquis duabus ea nomina tradiderit, haud facile dictu eſt, niſi tutius videatur pronuntiare, Græcos à Scythis ea accepiſſe. Idque certius ſtatui poteſt ex iis quæ ſupra docuimus, homines primos qui Græciam populis repleverunt, & Græcæ linguæ auctores fuerunt, è Septentrionali plaga & Scythica adveniſſe. Sic omnium eorum vocabulorum quæ eadem in Germanica, Græcanica & Perſica lingua occurrunt, eandem quoque eſſe originem. Perſæ unum vocant, *Iak*. Et ab hoc nomine incipiunt numerare. Videntur ab eodem fonte id hauſiſſe quo Græci ſuum Ἴος. Ponamus Scythicum fuiſſe *Iok*, Græci more ſuo non

aliter

Digitized by Google

aliter prolaturi hanc vocem videntur quam per Ἴος. Quia hoc illis perpetuum in omnibus dictionibus quæ terminationes habent, non familiares linguæ ſuæ. Nullam quippe vocem habent quæ terminetur in Cappa. At Perſæ multas habent tales. Si à Græcis ergo mutuati eſſent illam dictionem *Iac*, Græcam quoque flexionem retinuiſſent. Quod ſoliti ſunt facere in omnibus vocabulis quæ à Græcis ſumunt, ut & Arabes. Ex Scythico igitur Ἴὀκ vel Ἴάκ, Græci fecerunt Ἴος, id eſt unus vel primus. Ita & pro Ἰωσὴφ, quia nulla apud eos dictio terminatur in Φ, dixerunt Ἰωσής. Ita pro *Bogud* Βόγος, ut alibi obſervavimus; pro Annibal, Ἀννίβας. Quia autem nulla habent vocabula in duplicem conſonantem deſinentia, ideo pro Barbarico & Scythico *Hepht* dixerunt, ἑπτά. Nam Perſis هفت *Hepht* ſeptem. Dixerit aliquis eoſdem Græcos ἕξ ſcripſiſſe, non ἕξα, ſimiliter cum Perſis, Danis, Saxonibus, & aliis Septentrionalibus شش. Non mirum de iſto, & hæc ratio eſt. Infinitas habent dictiones deſinentes in Sigma. Priuſquam apud eos Ξ littera eſſet inventa, & in Alphabetum Ionicum receptum, omnia verba terminata hac littera ſcribebant, per Κ & Σ. Hoc modo Ἕ Κ Σ. Qui ſibilus litteræ S, placuit Græcæ nationi. Ideo maxima pars nominum in ſibilantem il-

lam litteram deſinit. Ideo poſt ſubſtitutum unicum elementum quod ſuppleret vicem duorum K & Σ, plurima habuêre vocabula ea littera finita, ut Κρὲξ, Σάρξ, Φύρξ, πρὸξ, & alia. Vt pro *Ephi* Scythico fecerunt Ἑπτὰ addito Alpha, ita & in nominibus litterarum quas à Phœnicibus acceperunt, pro *Aleph* vel *Olaph* dixerunt Ἄλφα, pro *Beth* Βῆτα, pro *Daleth* Δέλτα, pro *Ioth* Ἰῶτα, pro *Kaph* Κάππα, pro *Heth* & *Teth* Ἦτα & Θῆτα, pro *Koph* Κόππα. Pro *Mem* & *Nun*, detractis litteris ultimis conſonãtibus, Μῦ & Νῦ. Ita pro Μαριὰμ dixerunt Μαρία. Alii alio modo Græcam illam vocem reddiderunt dicendo Μαριάμμη. Similiter pro *Schin* dixerunt ξῖ, detracto N. At pro *Samech* dempta cauda reſtabat *Sam*. Sed nullum vocabulũ iis deſinit in M. Ergo Σὰν maluerunt. Sic veteres & præcipuè Dores vocaverunt. Nam nomen Σῖγμα recens eſt. Quod & ipſum tamen corruptũ ex *Samech*. Ita ergo ἑπτὰ per additionem litterę Alpha factum ex *Hept* aut *Hepht*. Sic aliquando ſolent addere, aliâs detrahere litteras vel Syllabas, ut ſonum ſibi familiarem in verbis efficiant. Pro *Alpha* in nominibus numeralibus Scythicis interdum poſuerunt, E. Nam quædam in hanc vocalem habuêre exeuntia vocabula, ut πότε, ποτέ. Sic pro Πέμπ, dixerunt πέμπε. Germani Fünf, Anglo-Saxones antiqui *Fif*. Tauricæ Cherroneſi incolæ *Fynf*. Belgæ *Vijf*. Ex quibus conſtat, antiquiores Græcos, quales Æoles fuêre,

fuêre, qui in Theſſalia poſt Hellenem ſub Æolo filio ejus regnarunt, dixiſſe *πέμπε*, non *πέντε*. Pro utroq; Dores pronuntiarunt Πέγκε vel *πέγκα*, ut *πόκα* pro *ποτέ*. Inde Latinum *quinque*. Perſicum huic accedit, پنج *Bengh*. Et ſanè veriſimile eſt ex ipſis Scythis alios *Fenf* vel *Fynf*, alios *Fengh* pronuntiaſſe. Nam in multis linguis G, F, & Vau invicem permutari ſolent. Eadem varietas dialectorum in nomine numeri *quattuor* cernitur. Τέσσαρες, Τέτταρες, *πέτορες*, *κέτορες*, *quattuor*. Hæc in Græcis, aut qui ab his deſcenderunt Latinis. Scythæ Tauricæ Cherroneſi *Fyder* propius ad Græcum Æolicum *πέωρες*. Anglo-Saxones qui vicini Danis erant, priuſquam in Angliam venirent, dicebant *Feouver*. Inde Angli inſulani hodierni *Fouver*, Belgæ *Vier*, Perſæ چهار *Ghiar*, pro *Fiar*. Nam & quidam Græcorũ pro digammate Æolico uſurparunt *Vau*, alii ſimplex Gamma, nonnulli Sigma. Sunt qui ſolam aſpirationem poſuerunt, ut Attici. Exempli gratia, hi ſcribebant HEKATON, id eſt *ἑκατὸν*. Vnde & H aſpirationem pro ſingulari Nota qua ſignificabatur numerus centum, ponere ſoliti. In eorum Alphabeto antiquo locum habuit eumdem, quem F, hoc eſt digammá Æolicum, & F Latinum. Et certum eſt illud digamma Æolicum aliquando ſonum habuiſſe duplicis Gammæ, & ex eo nomen.

Digitized by Google

Poſtea mutato ſono in *Vau*, hoc eſt in V conſonantem nomen retinuiſſe priſcum. Hinc etiam Lacones pro duplici Gamma utebantur ſimplici, & falluntur qui putant Heſychium in eo erraſſe, dum plura vocabula, à littera Gamma incipientia producit, quaſi duplex Gamma acceperit pro ſimplici. Lacones ergo γεκατὸν ſcribebant, Æoles, Ϝεκατόν, Attici Ηεκατὸν, alii Βεκατόν. Nam pro Vau quidam ſcripſerunt B. Nonnulli Sεκατὸν. Nam & littera Sigma pro adſpiratione vel digammate quidam uſurparunt, ut Σελλοὶ pro Ἕλλοι. Quod Latinis perpetuum in his vocabulis quæ à Græcis acceperunt. Omnia quippe ferme quę incipiunt à vocali adſpirata, ea per S. ſcribunt loco adſpirationis. Vt Ὁλκὸς, *Sulcus*, Ὕλη *Sylva*. σκαπτὴ ὕλη, *Scapteſula*. Et hanc rationem afferri poſſe puto, cur digamma illud ſcribatur in antiquis monumentis eadem figura, qua S Latinum. Nam & vicem ejus vimque ſæpe exhibuit. In Alphabeto quoque Cophtico ſive Ægyptiaco, quod ex Græco totum expreſſum eſt, quà figuris quà appellationibus, hoc digamma vocatur *So*. In antiquis marmoribus pingitur ut Sigma Græcum quadratum, à qua figura non abludit Ægyptiaca. Interdum C Latinum pro illa adſpiratione uſurparunt. Hinc Latinorum *Centum* ex ἑκατὸν, *Cectorius* pro *Hectorius*, Hirnea *Cirnea*, de quibus nos alibi. E contrario in nominibus

Latinis

Digitized by Google

Latinis quæ ſua fecerunt gentes Septentrionales & Teutonicæ, pro C poſuerunt H. Vt Hallum pro collo, *Heafod* pro caput. Recentes idiotiſmi hodiernarum linguarum pro V conſonante paſſim G ponunt. Vt *gaſtare* pro *vaſtare*, & infinita ejuſmodi. Sic ergo Perſis Ghihar pro Fihar vel *Fier*. Quod Belgæ ſcribunt per *V* conſonantem *Vier*. Græci pro He quod in Perſico eſt, poſuerunt Sigma. Idque in medio dictionum ſæpe feciſſe reperiuntur, interdum ſuperſcripto illi Sigma pro adſpiratione, ut Μώα Laconibus ſuperſcripto σ pro Μῶσα. At Anglo-Saxones & Angli pro illa adſpiratione duplex V poſuerũt dicentes *Feouuer*, aut *Fouuer*. Ita Δάνοι, Δάσοι & Δάαι iidem, ut ſupra notabamus. Hinc pro Πίσυρες Æolico dixerunt *Feouuer*, P in F mutantes, ut *Fyr* pro πῦρ, Fünf pro πέμπε. Ε᾿ννέα Græcum non videtur eſſe primitivum nec originarium, ſed ex Scythico ſumptum quod brevius eſt, & proinde magis antiquum & nativum. Germanice *Neun*, Danice *Ni*, Perſicè *Ai Noh*. Græci addendo terminationem ſibi ſolitam νέα, & ἐννέα. Æoles νέβα. Vnde Latinum *Novem*. Anglo-Saxones, *Nigon*, Gamma uſurpantes pro digamma. Belgæ quoque *Negen*. Ex Latino potius illi hæc videntur accepiſſe quam ex Græco, aut Scythico, ἐννέα & *Noba* vel *Noh*. Sic *Seven* Anglorum & *Scefon* Anglo-Saxonum ex Romano potius quam ex Græco ἑπτὰ, aut

Digitized by Google

Scythico vel Perſico *Hepht* ſumptum videtur. Parthicum *Haſet* pro octo, cui ſuam ſibi in multis vocabulis ſollennem terminationem addiderunt Græci, dicentes ὀκτώ. Sic Ῥῶ litteram vocarunt pro *Reſc*. Plura alia vocabula apud eos in hunc ſonum exeunt. Σαμφὼ, Ἰὼ Ἡρὼ, & ſimilia. Omnia eorum verba in prima perſona indicativi modi ita terminantur, & in aliis etiam flexionibus. Anglo-Saxones *Eahta* dicebant, Belgæ *Acht*, Dani *Otte*. Nemo dixerit Parthicum ſive Scythicum ده *Deh* ex Græco δέκα effictum. Contra eſt. Quæcunque enim illæ linguæ Orientalium ex Græco mutuantur vocabula, integra ea repræſentant, non contracta nec abbreviata per apocopen. Certum quippe eſt, linguas omnes quæ monoſyllabis conſtant, eſſe cæteris antiquiores. Multis abundavit monoſyllabis antiqua Græca, cujus veſtigia apud Poëtas qui antiquitatem affectarunt, remanſere non pauca. Ἄλφι pro ἄλφιτον dixit Antimachus, non per ἀποκοπὴν, ſed quia pro ἄλφι quod erat antiquum, & fortaſſe Scythicum vel Thracicum, Græci poſteriores dixerunt ἄλφιτον. Sic ἔρι pro ἔριον apud Philetam vetuſtius & propius ab origine Ἧλ quam ἧλος pro clavo. Nam pro Ἧλ & Βὴλ Chaldaicis ἥλιον & Βῆλον fecerunt. Ῥά pro Ῥάδιον apud Sophoclem. Quod non eſſe per apocopen factum, deſcendentia inde nomina oſtendunt, Ῥᾷον & verbum

bum ῥαῖζω. Non melius iidem Grammatici ἔπαι pro ἔπαιρε· καὶ ἀποκοπὴν ἐξενηνέχθαι apud Apollonium notarunt. Ἔπης antiquum eſt, pro quo poſtea κατὰ παραγωγὴν produ-ctum ἐπῆρος. Αἰ pro λίαν archaiſmum linguæ redolent, non per apocopen facta ſunt. Ita κρῖ apud Homerum & δῶ vetuſtiorem linguæ Græcæ characterem denotant, quam δῶμα & κρῖμνον, quæ per ſyllabæ adjectionem facta ſunt ex illis monoſyllabis. Certe illud δῶ affine eſt Scythico vel Parthico Γαὼ vel γαῦ pro domo. Inde τὰ Γαυγάμηλα manſionem in Perſide Strabo interpretatur καμήλου οἶκον. Huic proximum Ægyptiacum χῶ, quod eſt θέσις vel κόσμος. Vnde nomen Ægyptii vel Thebæi regis Χωμοῦφθά. Quod Eratoſthenes Grçcè vertit, κόσμος φιλήφαιςος. Nam Φθὰ eſt Vulcanus, ex quo Ἥφαιςον fecêre Græci. Ita omnia verba antiquioris Græciæ aut maxima ex parte monoſyllaba aut diſſyllaba fuêre, quæ recens Helleniſmus additis ſyllabis protraxit. Ex Βῶ fecerunt Βαίνω, Βάσκω, & Βάζω. Ex Φῶ, unde Φῶς, Φαίνω. Ex δῶ, unde Latinum Do, δίδωμι, ex Θῶ quod eſt pono, τίθημι. Pro Φύγω Φυγγάνω. Pro τύχω, τυγχάνω. Pro χῶ quod eſt hio, χαίνω & χάσκω. Antiquum fuit νῶ, unde νώσασθαι poëtis cognoſcere. Poſtea fecerunt νώσκω, ex quo Latinum *noſco*, & γιγνώσκω. Λῶ idem eſt quod θέλω, unde λῆμα, voluntas. Λῶ etiã idem quod

Digitized by Google

lavo, quod poſtea λούω. Ζῶ duo ſignificabat, & vivo, pro quo ζώω factum, & cingo, unde ζώννυμι exiit. Κῶ cubo, vel jaceo, antiquum, ex quo κέω & κείω, unde κείοντες & κεῖμαι. Σμῶ à quo σμῆμα, pro quo poſtea maluerunt, σμήχω, unde σμῆγμα. Ρ῾ῶ idem quod corroboro, unde Ρ῾ώσαιϑαι, & Ρ῾ώμη. Σῶ idem quod σώζω, illud antiquum, hoc recentius. Ζύγω quoque vetuſtum, à quo Latinum jungo. Poſtea ζεύγνυμι pro eo receptum. Alia ſexcenta ſunt ad hanc formam. Immo numerari vix poſſunt.

CAPVT III.

SVMMARIVM.

Dores inter Græcia dialectos maxime βραχυλόγοι. Inter Scythicas nationes Sinarum lingua maxime breviloquio gaudet. Turcarum vetuſtiſſimi Scythici populi dialectus differt à Parthica & Getica, Sarmaticaque. Cognationum nomina Græca, Perſica & Germanica lingua congruunt. Non ſolum Germanorum & Perſarum proprium B *pro* Φ. *Græco ponere, ſed & Macedonum & Thracum. Idem in nominibus partium corporis obſervatum. Græci* μ *&* β *ſæpe confundunt, exempla. Idem notatur de nominibus avium. Qua ratione contigerit ut tanta cognatio intercedat inter Parthicam & Germanicam linguam, ſimulque nonnulla cum utraque habeat communia lingua Græcorum. Daa. Parthi à Scythis orti. Præter nomina literarum & formas Phœnices etiam multas voces Græcis dederunt & loquendi genera.*

Dores

DOres inter Græciæ dialectos maxime βραχυλόγοι. Et eorum prę- cipuè fuêre illæ ἀποκοπαί, & μονοσύλλαβα verba. Sub Doro primum eos coluiſſe Heſtiæotin Theſſaliæ regioně circa Oſſam & Olympum. Inde pulſi à Cadmeis tenuêre Pindum montě,& *Macedni* ſive Macedones tum vocati ſunt. Inter Scythicas nationes, Sinarum lingua maxime breviloquio gaudet, utpote quæ tota monoſyllabis fere conſtet. Plures in ea natione Scythica & Tartarica dialecti, vel potius linguæ in totum diverſæ. Conciliaſſet eos facile & miſcuiſſet commerciorum quæ inter ſe agitant, communitas, niſi alia ratione difficultatem quæ ex differentia ſermonis oritur inter contrahentes explicaſſent. Nam beneficio Characterum quos omnes etiam ἑτερόγλωττοι agnoſcunt atque intelligunt, minus laborarunt de percipienda & ediſcenda aliorum lingua. Sic ſuam quiſque retinuit. Ideoque plures in eadem natione ac regno remanſerunt inter ſe differentes. Ne ab externis per commercia contaminarentur, ut fieri amat, alia via providerunt, prohibendo ingreſſum alienigenarum, & eo modo mercaturam, vel permutationem mercium exercendo, quem auctores priſci ac recentes memorant. In reliqua Scythia tam Europæa quam Aſiatica numerus etiam fuit linguarum ab illis tribus quas ſupra memora-

vimus

vimus, diſcrepantium. Nam & Turcarum, vetuſtiſſimi Scythici populi dialectus differt à Parthica & Getica, Sarmaticaque. Colchorum & Georgianorum etiam ab aliis omnibus longe diverſa eſt, niſi quod plurima habet Græca admixta. Ἄριμα Scythis apud Herodotum idem eſt quod unus, & σπῦ quod oculus. Quod nulla Scythica lingua earum quas prædiximus, agnoſcit. Inde nomen Ἀριμασπῶν, nationis Hyperboreæ, quod unum oculum haberent. Ἐξαμπαῖος nomē eſt fontis Scythici, quod eorum lingua ſonat, teſte Herodoto, ἱεραὶ ὁδοί. Iidem Scythæ eodem auctore Veſtam vocabant *Tabiti*. Terram *Apiam*, Neptunum *Tamimaſaden*, Apollinem *Oetoſyrum*. Quæ non poſſunt explicari ex iis linguis Septentrionalibus quarum hodie notitia habetur. Rectè ab his appellari Iovem Παπαῖον ſcribit Herodotus. Exiſtimavit nimirum ita ab illis appellari, quod eſſet πάππας, idem pater omnium. Hæc vox omnium fere linguarum tam Orientalium quam Occidentalium cōmunis. Nam & Perſicum eſt بابا *Baba* & دده *Dada* Græcis Τάτας, Latinis *Tata*. Nec obliti ſunt eam in ſuum vocabularium referre, qui linguam aliquam eſſe matricem volunt, qua cognita cæteræ pateant. In aliquantis numero vocibus ea lingua cōſiſtit, extra quas nihil eſt quod ejus munere ſperare

poſſimus

Digitized by Google

poſſimus in aliis linguis nos eſſe aſſequuturos. Nec in nominibus porro numeralibus quod parum eſſet, ea affinitas & cognatio trium linguarum Græcæ, Perſicæ & Germanicæ cernitur, ſed in vocabulis aliis infinitis. Ne quis fortuitò hanc συγκυρίαν & cõvenientiam putet accidiſſe. In cognationum appellationibus, principalia nomina in tribus his linguis congruunt, ut Πατὴρ Teutonicè Vater, Perſicum پدر *Badar*. Μήτηρ, Germanicè Mutter Perſice مادر *Madar*. Φρατὴρ Græcum antiquum, Germanicum *Bruder*, Perſicum برادر *Brader*. Et hoc non ſolum Germanorum & Perſarum proprium Β pro Φ Græco ponere, ſed etiam Macedonum & Thracum. Hinc Βέροια urbs pro Φέροια. Βάλακρος pro Φάλακρος. Nec dubito quin Græcum vetus Φρατὴρ iidem Macedones pronuntiarint, Βρατὴρ. Sic Βρύγες populi, quamdiu in Thracia originis ſuæ loco manſere, ubi in Aſiam tranſierunt dicti ſunt à Græcis Φρύγες. Lingua Scytharum Cherroneſi Tauricæ *Fers* idem erat quod homo. Aliis hoc eodem nomine *Bers* vocabatur, hoc eſt *Barus* vel *Baro*. Ita enim hominem vocarunt, & quidem fortem & militarem, etiam ſtolidum & ferocem, ut apud Ciceronem aliquot locis accipitur; ex Græco Æolico Φηρὼν vel Φαρὼν, ut Φάρεα pro Φήρεα, hoc eſt Θήρεα, belluinis nempe præditus mo-

Digitized by Google

ribus & impetu valens ac mole ruens ſua, ut ſolent belluæ. Θυγατὴρ Græcum eſt, Æolicum θυγατὴρ, Germanicum *Dochter*. Perſicum دختر *Dochter*. Παῖς Græcum, Æolicum cum Rotaciſmo & diviſione vocalium, quia diphthongos non habent, πάϊρ atque etiam πόϊρ, quia Alpha mutant in O. Perſicum پسر *Poſer*. Antiqui Latini *Por*, recentiores *Puer*. In nominibus partium corporis humani multa quoque pariant, ut πῶς Perſicè, پاي *Pai*. لب *Lab*, Labium, Græce λέπας quodcunque prominet, ut ſolent in vultu labra. *Lipam* vulgo vocamus ex Germanico vel Belgico. Ὀδοὺς دندان *Dandam*, cui reſpondet caſus tertius Græcorum ὀδόντι. Belgice vocant *Tand*. گوش, οὖς. گلو Gula. Ὀφρὺς ابرو *Abru*. Μαστὸς, Perſice پستان *Poſtan*. Græci μ & β ſæpe confundunt, ut βύρμηξ, μύρμηξ. Perſicum eſt زانو *Zanu*, γόνυ. Zeta, Iota & Gamma fere eumdem habent ſonum. Alia plura à peritis illius linguæ poſſunt notari. In nominibus avium & quadrupedum plurima etiam ſimilia occurrunt, ut سار *Sar*, σαρὸς vel ψαρὸς ſturnus. Sic σίτλακος & ψίτλακος idem. Ψαγδᾶς & σαγδᾶς genus unguenti. Ἔποψ upupa, Perſicè quoque

qûe ſic vocatur. مور *Mur* Perſicè eſt formica, Græci inde κατὰ διπλασιασμὸν fecerunt μύρμηξ. Sic Ὤγυγον ſupra docebamus finxiſſe nomen propriũ ex Syriaco *Og*. Θύρα eſt janua, Germanice, Thür, Perſice در *Dar*, ut Delta & Theta invicem mutantur. اتش ignis, cui ſimilem eſſe Græcorum ἑστίαν docuit me vir hujus linguæ peritiſſimus, & omnis litteraturæ humanioris præter Mathematices diſciplinas eximiè gnarus, Iacobus Golius, quem honoris gratia nomino. تو *Tu* iidem Perſicè ex Æolico & Dorico Τὺ dixerunt potius quam ex communi σὺ. Quod fidem facit non ex Græco vulgari Perſicum expreſſum fuiſſe ſermonem, ſed utrumque ex eadem veniſſe origine. Nam & Germani *Tu* dicunt. Sic استخوان *Oſtichon* iidem Perſæ ſive Parthi dixêre pro oſſe, non ex communi Græco ὀστοῦν, ſed ex Æolico ὀστέβον. Nam β, γ, & χ invicem mutantur, & Lacones ὀστέγον dixiſſent, quibus gamma mos eſt ponere pro digamma. جريفتن Griphtē eſt capere, Grȩce γρεμπίζειν, Germanice Greiffen, Belgicè *grypen* استادن. Perſicum conſuevit cum Græco ἱστάνειν, ut & alia infinita quæ nunc attingere & commemorare non eſt animus, quia cum de re ipſa inter dictos conſtat, pluribus eam exemplis

con-

confirmare non eſt neceſſe. Et quæ attulimus rudioribus inſtruendis ſufficiunt. Àd rem potius pertinet paucis hîc explicare, qua ratione contigerit ut affinitas & cognatio intercedat tanta inter Parthicam & Germanicam linguam, ſimulque nonnulla cum utraque habeat communia lingua Græcorum. De affinitate quidem linguę Græcæ & Germanicæ à Getis & Thracibus utrique nationi finitimis eam proceſſiſſe ſupra docuimus. Sed unde Perſis ſiue Parthis tam longe ad Orientem & meridiem verſus diſſitis, id potuerit contingere mirandum eſt. Non enim volumus à Græcis ea quæ Græca videntur habere vocabula, commerciorum ratione accepiſſe. Quâvis de multis id tuto queat affirmari, non tamen de omnibus poſſe certum eſt, vel uno hoc argumento. Nam infinitas habent voces Germanicas quæ in Græco non comparent. Vt in ludo calculorum *Roccam* vocant, quæ Germanica dictio eſt pro rupe. Niſi ex Græco Ῥωγὰς velis eſſe pro prærupto monte. Vnde & ἀπορρῶγες πέτραι & ῥωγάδες. Quod non abſonum eſt. Sed & flexio verborum & alia tam multa ſimilia ſunt in utraque lingua, ut videri queant ab eadem origine utraque fluxiſſe. *Daa* vel *Daci* in Orientali Scythia & in Occidentali cognomines fuêre gentes. Vt illi omnes porro Scythici populi errones & vagi ſemper fuêre, non eſt abſurdum credere

vel

Digitized by Google

vel hos in Orientem vel illos in Occidentem commeaſſe. Δάαι vocantur Scythæ non unius generis nec nominis, qui à Caſpio mari Orientem verſus porriguntur, & ad Parthiam uſque pertinent. Herodotus inter Perſidis gentes Nomadas Δάας recenſet. Vt ſunt cognomines Daorum ſive Dacorum Europęorum, ita videntur ab illis deducti. Quod facile quis credat, ſi ſpectet deſultorias migrationes & exerrationes iſtarum Scythicarum gentium. Quod idem & de Getis liceat dicere. Nam ut in Europæa Scythia vicini fuêre Dais ſive Dacis, ita & Orientales Dai Maſſagetas habuêre vicinos. Quinimo *Maſſagetæ* genus Getarum fuiſſe videntur hoc cognomine diſtinctum, ut & *Tyrigetæ* & *Thyſſagetæ*. Præterea quod etiam plurimum ad rem facit, *Parthi* non ſolum in ditione Perſici imperii fuêre ſic dicti, ſed etiam in Illyrico, cujus urbs appellata eſt Πάρθος, cives Παρθηνοί. Vt etiam Παρθυηνοὶ vocati qui in Perſide habitarunt. Totum imperium Perſarum à Caſpio mari ad Perſicum regnum pertingens, *Airan* ab ipſis Perſis appellabatur. Inter varias & plures nationes quæ illi imperio ſubjectæ erant, *Perſæ* etiam fuere, qui & *Parthi*, à Septentrione profecti, & Scythis orti. Parthi quoque in Macedonia, & regio Παρθὶς. Stephanus, Καὶ Παρθὶς, ἡ χώρα Μακεδονίας. Parthos quoque Ptolemæus in Macedonia

collocat. *Parthinorum* meminit Strabo cum *Brygis*, qui etiam populi Macedoniæ, Βρύγες aliter appellati, & iidem Φρύγες, poſtquam in Aſiam tranſierunt, καὶ Παρθῖνοι καὶ Βρύγοι. Eorum quoque mentionem habet Polybius inter populos Macedoniæ. Vt obſcurum ſit quomodo Parthi Orientales linguam multis vocabulis & rebus affinem cognatamque habuerint cum Græcis & Germanis. Sane conſtat habuiſſe, nec aliter id fieri potuiſſe quam ea ratione quam propoſuimus. A Getis nempe utrique pleraque ſermonis ſui mutuati ſunt. Dai & Orientales & Occidentales fuêre qui eâdem, ut veriſimile eſt, linguâ utebantur. Parthi etiam tam in Macedonia, quæ primos Græcos habuit, quam in Perſide ſedes habuêre. Hæc licet incerta utcunque videantur, ſatis tamen certum ex his colligi poteſt, linguam ut gentem Hellenicam à Septentrione & Scythia originem traxiſſe, non à meridie. Quo poſito & illud certiſſimo conſtabit, Peloponneſum, cum reliqua Græcia quæ extra Iſthmum, à Theſſalis ſive Macedonibus Græcis, populos, quibus exculta eſt, & urbes quibus inſtructa eſt, accepiſſe. Inde litteræ Græcorum, inde Muſæ Pierides, inde ſacrorum initia. Et Orphica quidem per Orpheum, qui Thrax fuit, ex urbe Pimplea vel Pimpla, à qua *Muſæ Pimpleides*, & ipſe Orpheus *Pimpleus vates* Apuleio. Inde etiam & Phrygia ſacra

matris

matris Deûm, & Dionyſiaca. Nam & Phryges Thracum ἄποικοι. Bacchum quippe cum Lycurgo qui Edonus ex Thracia fuit, conjungentes. τῶν ἱερῶν, inquit Strabo, τὴν ὁμοιοτρόπιαν αἰνίττονται. Idem lib. x. antiquæ & Grecæ Muſicæ auctores omnes oriundo Thracas fuiſſe perhibet, Muſæum, Orpheum, Eumolpum & Thamyrin. Omnia denique ſacra quibus Græci initiabantur, Μητρῷα Σαβάζια & alia, partim Θρᾴκια, partim Φρύγια fuêre, & hoc nomine etiam Thracia. Quod ad litteras attinet, non à Thracibus eas accepêre, ſed à Phœnicibus per Cadmum, eodem ferme tempore quo Hellen filius Deucalionis in Theſſalia regnabat, ut legitur in Chronico Marmoreo Arundelliano. Is Cadmus cum in Bœotiam primum appuliſſet quam Dores poſtea incoluerunt, procedente tempore inde migravit & in Illyriis conſenuit cum uxore, mortemque ibi obiit. Ejus etiam ἀπόγονοι Theſſaliæ partem occuparunt, ejectis inde Hellenibus Dorenſibus, ut auctor eſt Herodotus. Ἐκ ἢ τῆς Ἱστιαιώτιδος, ὡς ἐξανέστη ὑπὸ Καδμείων, οἴκεεν ἐν Πίνδῳ Μακεδνὸν καλεόμενον. Muſæ litterarum & Muſicæ præſides, Thraces etiam fuerunt, qui Bœotiam olim incoluerunt, quique in ea regione Helicona Muſis conſecrarunt, & Hippocrenem fontem iiſdem dedicarunt & antrum Nympharum Libethridum. Nam & ipſi iidem Thra-

Digitized by Google

ces Pieriam & Libethrum & Pimpleam iiſdem Muſis conſecraſſe perhibentur. Quæ à Pieribus loca olim habitata, ejectis iis poſtea tenuêre Macedones. Ἐκαλοῦντο δὲ Πίερες, ἐκλιπόντων δὲ τούτων Μακέδονες νῦν ἔχουσι τὰ χωρία ταῦτα. Præter nomina litterarum & formas Cadmæi Phœnices etiam multas voces Græcis dederunt, & loquendi genera. Et ſi hodie antiqua Græca lingua maneret, pluribus id teſtimoniis demonſtrare liceret. Multa jam olim collegimus. Ex his eſt Βῆνα & Bœotice ſive Dorice Βάνα pro muliere vel filia. Quod ex Hebraico eſt בנה. Cujus plurale ſolum retinent בנות. Ab illis ad Atticos vicinos & Phœnicia illa loquutio tranſiit, μανίαν μαίνεσθαι, φθόγγον φυγλῶ, μέμψιν μέμφεσθαι. Sed de his alibi. Non enim hæc agimus.

CAPVT IV.

SVMMARIVM.

Lingua Græcorum multas pertulit mutationes. Antiqua quandiu intra fines Macedonum ac Theſſalorum ſtetit in totum alia fuit. Eadem mutatio accidit in ſingulis dialectis. Lingua qua Pelaſgi in Theſſalia uſi barbara fuit. Antiquiſſima Hellenum dialectus non multum diſſona. Pelaſgi linguam ſuam ſæpe mutarunt. Græci ſua fuerunt ſemper retinentiſſimi. Contrarium verum videri. Antiquiſſima in Theſſalia originem accepit. Ea fons omnium aliarum Græciæ dialectorum: & poſtea κοινὴ appellata: antea ἑλληνικὴ dicebatur.

tur. Dicæarchi teſtimonium de dialectis. Theſſalia omnino Helladi accenſenda eſt. Poſidippi comici verſus. Auctores qui ea lingua uſi. Antiqua Ionica dialectus eadem cum Attica. Theſſalorum dialectus poſtea mutavit. Theſſalica deinde dialectus peculiaris. Quinque Græciæ dialecti differentes.

Lingua Græcorum ita fuit propria ipſis & peculiaris, ut tamen multa vocabula à Phœnicibus mutuata ſit, plura à Getis & Thracibus. Nulla autem fuit lingua quæ plures pertulerit mutationes ac μεταπτώσεις, non ſolum in verborum flexionibus per varias dialectos, aliis atque aliis pro locorum ratione factis, ſed etiam in ipſis verbis. Antiqua eorum lingua quamdiu intra fines Macedonum & Theſſalorum ſtetit, in totum alia fuit. Hæc ἀρχαία Ἑλλὰς Ariſtoteli. In ſingulis etiam dialectis eadem mutatio contigit quod ad ipſa verba attinet. Græci antiqui πόρκον dicebant qui poſtea ὗς. Inde Latinis *porcus*. Λῆνος erat, pro quo poſtea ἔριον. Inde *Lana*. Infinita talia ad manum ſunt, quæ non opus hîc percenſere. Multa alia notavit Varro, ut de vocibus *Lepus* & *Puteus*. Plura Grammatici Græci & gloſſographi obſervarunt. Strabo refert aliquot populos, qui Macedoniæ nomini contributi erant, fuiſſe διγλώττους, hoc eſt duas linguas calluiſſe. Græcam nimirum, & alteram neſcio quam Barbaricam, Thracicam nimirum vel

Digitized by Google

Geticam, ſive etiam Illyricam. Hæc eſt lingua quâ Pelaſgos in Theſſalia uſos eſſe tradit Herodotus, quos *βάρβαρον φωνὴν* emiſiſſe dicit. *Ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες*. Eâdem lingua loquutos illos olim fuiſſe dicit qua ii loquebantur Pelaſgi, qui ſuo tempore Creſtonam Thraciæ urbem habitabant. *Καὶ γὰρ δὴ*, inquit, *οὐδὲ οἱ Κρηστωνιῆται οὐδαμοῖσι τῶν νῦν σφέας περιοικεόντων εἰσὶν ὁμόγλωσσοι, οὐδὲ οἱ Πλακιηνοὶ, σφίσι δὲ ὁμόγλωσσοι*. Antiquitus tamen Theſſaliam hos Pelaſgos tenuiſſe, & ſic dictos qui eam incolebant regionem Græcos, priuſquam *Ἕλληνες* ab Hellene dicerentur, videtur innuere Thucydides. Hæc enim illorum ejus verborum ſententia: *Καὶ τὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν, ἐπὶ πλεῖστον ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι*. Nimirum Pelaſgi vocabantur priuſquam de ſuo nomine *Ἕλληνας* nuncupaſſet *Ἕλλην* Deucalionis filius. De *Γραικοῖς* nihil ille habet, quos alii auctores ſic vocatos volunt, antequam vocarentur *Ἕλληνες*. Certe & Pelaſgos partim Thracica, partim Græca antiqua loquutos lingua conſtat. Et poteſt veriſimiliter dici antiquiſſimam Hellenũ dialectum non multum à Thracica fuiſſe diſſonam. Poteſtque fieri, ut Pelaſgi in alias oras migraſſent, cum retinuiſſent priſcum ſermonem, non intellectos fuiſſe à Græcis, qui pæne omnia jam in ſermone ſuo mutaverant. Qui *ἔριον* exempli gratia vocabant

Digitized by Google

cabant lanam, quomodo intelligere potuerunt eos qui λῆνος eam rem vocabant? Atque ita de cæteris. Pelaſgos autem pleraque Thraciæ & Helleſponti loca tenuiſſe auctores memorant. Nam & Imbrum eos incoluiſſe conſtans fama eſt. Strabo omnium qui in Hellade regnarunt antiquiſſimos fuiſſe ſcribit lib. VII. Οἱ δὲ Πελασγοὶ, inquit, τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα δυναστευσάντων, ἀρχαιότατοι λέγονται. Linguam ſuam hos ſæpe mutaſſe dicit Herodotus, & Græcam pro barbara edidiciſſe, cum Græci ſuæ ſemper fuerint retinentiſſimi. Quia quam ab initio habuerunt, eam ſemper cuſtodierunt. Quod mirum ab eo ſic dici, cujus contrarium videtur veriſſimum. Τὸ δὲ ἑλληνικὸν, inquit, γλώσσῃ μὲν ἐπείτε ἐγένετο ἀείκοτε τῇ αὐτῇ χρέεται, ὡς ἐμοὶ καταφαίνεται εἶναι. At mihi contrà videtur. Nam ab antiquæ linguæ forma & ſono in tantum receſſerunt progreſſu temporis, ut alia dici queat. Vt nihil dicam de dialectorum differentia, quæ quaſi rami ab uno trunco prodeuntes, non eamdem tamen ſervant faciem. Sed de his adhuc infrà. Nunc hoc volumus, linguam antiquiſſimam & primitivā Græcorum in Theſſalia & Macedonia initium & originem accepiſſe. Primi Ἕλληνες dicti qui Theſſaliam incolebant. Ibi Ἑλλὰς urbs & regio vocata, cum adhuc nulla alibi cognoſceretur Ἑλλάς. Eorum Theſſalorum ſive Macedonum Ἑλλήνων propria & peculiaris

ἑλληνικὴ dialectus, quæ fons & origo ac principium ſtatui debet omnium aliarum Græciæ dialectorum. Hæc etiam eſt quæ poſtea κοινὴ appellata. Grammatici de Dialectis, inter alias hujus appellationis, qua κοινὴ dicta eſt, rationes, eam etiam adferunt, διὰ τὸ ἀπὸ ταύτης ἄρχονται, αἱ ταύτης εἰσὶ πᾶσαι. Hoc quidem verum. Non tamen hæc cauſa eſt quare κοινὴ vocata ſit. Tum hoc nomen meruit ubi deſiit eſſe dialectus, & cœpit omnium Græcorum communis fieri. Cum dialectus eſſet, & quidem propria ἑλλήνων in Theſſalia conſiſtentium, & Macedonia, cum ſoli Ἕλληνες proprie dicerentur qui eas provincias incolebant, tum Ἑλληνικὴ vocabatur. Tum Ἑλληνίζειν dicebatur, non de iis qui optime loquerentur Græcè, ſed de his qui eo modo ſermocinabantur quo Theſſali & Macedones, quibus proprium nomen erat Ἕλληνες. Hoc diſertè teſtatus eſt doctiſſimus auctor Græciæ Dicæarchus in eo libro, cui titulum fecerat, Βίος Ἑλλάδος. Docebat in eo Ἕλληνας proprie vocatos olim qui in Theſſalia degebant. Eos primos genere & lingua Græcos fuiſſe. Τὸ Ἑλληνίζειν ita eorum peculiare fuiſſe, ut τὸ Ἀττικίζειν Atticorum: Δωρίζειν Dorum: Αἰολίζειν Æoliorum: & Ἰωνίζειν Ionum. Sic quinque ibi dialectos recenſet, Ἑλληνικὴν, Ἀττικὴν, Δωρικὴν, Αἰολικὴν, & Ἰωνικήν. Hæc ejus verba ſunt, ut in iis fragmentis quæ nobis reliqua fecit injuria temporum,

porum, hodie ſcripta extant: Ἕλληνες μὲν γὰρ, inquit, εἰσὶν οἱ τῷ γένει καὶ ταῖς φωναῖς ἑλληνίζουσιν ἀφ᾽ Ἕλληνος. Ἀθηναῖοι δὲ οἱ τὴν Ἀττικὴν κατοικοῦντες. Ἀττικοὶ μὲν εἰσὶ τῷ γένει, ταῖς δὲ διαλέκτοις Ἀττικίζουσι. ὥσπερ Δωριεῖς μὲν, οἱ ἀπὸ Δώρου, τῇ φωνῇ δωρίζουσιν. Αἰολίζουσι δὲ οἱ ἀπὸ Αἰόλου. Ἰάζουσι δὲ οἱ ἀπὸ Ἴωνος τοῦ Ξούθου φύντες. Ἡ οὖν Ἑλλὰς ἐν Θετταλίᾳ ἦν, ὅτε ποτὲ ἦν, οὐκ ἐν τῇ Ἀττικῇ. *Hellenes ſunt, qui genere & ſermone Helleniſſant, ab Hellene. Athenienſes vero, qui Atticam regionem incolunt. Attici quidem origine ſunt, voce autem Atticiſſant. Ita Dorienſes qui à Doro dicti ſunt, ſermone Dorico utuntur, ut Æolico Æolii ab Æolo. Similiter & Ionicam uſurpant dialectum Iones ab Ione Xuthi filio denominati. Fuit igitur tempus cum Hellas hoc nomen haberet in Theſſalia ſita, non in Attica.* Paucis interjectis adhuc diſertius & apertius eadem confirmat, ſi tamen aliquid clarius ſupradictis dari poteſt: Ἑλλὰς μὲν οὖν, inquit, ἐστὶν ὥσπερ μικρῷ πρότερον εἰρήκαμεν, ἣν ὁ Διὸς Ἕλλην ἔκτισεν, ἀφ᾽ οὗ τὸ Ἑλληνίζειν τὴν προσηγορίαν εἴληφεν. Ἕλληνες δὲ οἱ ἀφ᾽ Ἕλληνος. *Hellas, ut paulo ante diximus, quem Iove natus Hellen condidit, à quo* Ἑλληνίζειν, *id eſt Græce loqui denominationem accepit. Hellenes igitur ab illo Hellene.* Et paulo poſt: Ἡ δὲ καλουμένη νῦν Ἑλλὰς λέγεται μὲν, οὐ μέντοι ἐστί. Τὸ γὰρ Ἑλληνίζειν ἐγὼ εἶναι φημὶ οὐκ ἐν τῷ διαλέγεσθαι ὀρθῶς, ἀλλ᾽ ἐν τῷ γένει τῆς φωνῆς. αὕτη ἐστὶν ἀφ᾽ Ἕλληνος, ἡ δὲ Ἑλλὰς ἐν Θετταλίᾳ κεῖται. Ἐκείνους οὖν ἐροῦμεν τὴν Ἑλλάδα

Digitized by Google

κατοικεῖν, καὶ ταῖς φωναῖς Ἑλληνίζειν. *Quæ nunc autem vocatur Hellas, ſive Græcia, ſic dicitur potius, quam eſt. Nam* τὸ Ἑλληνίζειν, *id eſt Græco ſermone uti, non in rectè loquendo poſitum eſſe dixerim, ſed in genere ſermonis. Hic ab Hellene nomen habet. Hellas autem in Theſſalia ſita eſt. Eos igitur Hellenas ſive Græcos dicemus, qui illam Hellada incolunt, eoſdemque* Ἑλληνίζειν, *id eſt Hellenico ſive Græco ſermone uti.* Diſputat eo loci Dicæarchus contra eos qui negabant Theſſaliam eſſe Gręciæ. Quomodo, inquit, Græciæ non eſſet, ſive *Helladis* cum antiquitus *Hellas* ſic proprie dicta, in Theſſalia ſita foret, & Ἕλληνες dicerentur Theſſaliæ populi, nondum communicatǫ hoc nomine cæteris Græciæ ita poſtea appellatæ populis? Εἰ δὲ καὶ κατὰ τὸ ἴδιον τοῦ γένους, τῆς Θετταλίας ἡ Ἑλλάς ἐστιν, δίκαιον καὶ κατὰ τὸ κοινὸν, ὡς νῦν ὀνομάζονται Ἕλληνες, τῆς Ἑλλάδος αὐτὴν εἶναι. *Si ergo ſecundum generis proprietatem Theſſalia Hellas eſt, & juxta communitatem, ut hodie mos eſt Hellenas appellari, Helladi eam adſcribi juſtum eſt.* Argumentum ejus hoc tale eſt. Si proprie olim dicta Hellas Theſſaliæ fuit, cum nulla alia præter hanc Hellas appellaretur, quando nunc communi appellatione univerſa Græcia ita nuncupatur, Theſſaliam Helladi accenſeri par eſt. Citat deinde verſus Poſidippi comici, qui Athenenſibus ſuccenſet quod & urbem ſuam & linguam proprie Ἑλληνικὴν dici debere contenderent. Apud eum loqui-

Digitized by Google

loquitur fortaſſean Theſſalus vel Macedo quidam, ita ad ſe τὸ Ἑλληνίζειν Græcè loqui, pertinere contendens, ut Ἀττικίζειν erat proprium Atticorum:

Ἑλλὰς μὲν ἐστὶ, πόλεις δὲ πλείονες,
Σὺ μὲν Ἀττικίζεις, ἡνίκ' ἂν φωνῇ λέγῃς
Σαυτοῦ τι, οἱ δ' Ἕλληνες Ἑλληνίζομεν.
Eſt Græcia una, populi ſed ſunt plurimi.
Vt tu Atticiſſas, dum tua lingua uteris,
Ita Græciſſamus nempe qui Græci ſumus.

Ex his apparet ætate Dicæarchi adhuc Ἑλληνίζειν proprie uſurpatum de peculiari τῶν Ἑλλήνων dialecto, qui Macedones vel Theſſali erant. Hæc prima & vetuſtiſſima Græciæ dialectus, è qua cæteræ ceu ex fonte derivatæ ſunt. Ea lingua antiquiſſimi quique auctores uſi ſunt, quà pedeſtres quà poëtæ. Orpheus, Muſæus, Pherecydes, Hellanicus & alii, qui memorantur antiquiſſimi Græci ſcriptores. Non enim illi Ionicè, nec Atticè, nec Æolicè, nec Doricè dicuntur ſcripſiſſe. Græce ergo ſcripſerunt, id eſt Ἑλληνικῶς, ſive Ἑλληνιστί. Enimvero Pherecydis aliquot teſtimonia citat Clemens, quæ non alia dialecto ſcripta ſunt quam communi. Citatur & in his verbis ab Apollonii Scholiaſte, quæ paucis exceptis quibus Ἰωνίζειν videtur, omnia ex communi dialecto characterem præferunt. Ἐπειδὴ Κάδμος κατῳκίσθη ἐν Θήβησι, Ἄρης δίδοι αὐτῷ καὶ Ἀθηναίη τοῦ ὄφιος τοὺς ἡμίσεις ὀδόντας, τοὺς δὲ ἡμίσεας

Αἰήτῃ,

Αἴγλη, καὶ ὁ Κάδμος αὐτίκα σπείρει αὐτοὺς εἰς τὴν ἄρουραν Ἄρεως κελεύσαντος, καὶ αὐτῷ ἀναφύονται ἄνδρες ὡπλισμένοι· ὁ δὲ Κάδμος δείσας βάλλει αὐτοὺς λίθοισιν. οἱ δὲ δοκέοντες ὑφ' ἑαυτῶν βάλλεσθαι κλείνουσι δὲ ἀλλήλους καὶ θνήσκουσι, πλὴν πέντε ἀνδρῶν, Οὐδαίου, Χθονίου, Ἐχίονος, Πελώρος, καὶ Ὑπερήνορος, καὶ αὐτοὺς ὁ Κάδμος ποιεῖται πολίτας, κατοικίσας αὐτοὺς ἐν Θήβαις. Attici etiam veteres, ut Ariſtophanes Comicus, & alii antiquæ Comœdiæ auctores illis uſi ſunt, λόγοισι, Θήβησι, δοκέοντες, & aliis ejuſmodi. Et ſane antiqua Ἰωνικὴ eadem fuit cum antiqua Attica dialecto, ut infra docemus ex Strabone. Quæ duæ dialecti olim non ſolum affines, ſed eædem, adeo ut unam conſtituerent dialectum. Communi poſtea appellatæ, quam volumus eandem fuiſſe cum priſca Ἑλληνικῇ, prorſus conſimiles & compares fuêre. Nec obſtat quod lapſu temporis Theſſalorum & Macedonum, quos auctores fuiſſe contendimus antiquæ linguæ Ἑλληνικῆς, quæ & communem peperit, dialectus mutavit. Id factum admixtione aliorum Græciæ populorum, qui ex Macedonia & Theſſalia primum profecti, ubi linguam cum ſolo & cælo mutarũt, poſtea reverſi ad patrias ſedes, & originis ſuæ terras, corruptum in eam intulerunt ſermonem, ut Dores. Caranus enim Peloponneſiacæ multitudinis dux in Macedoniam regreſſus, Macedonum regum originem fundavit. Theſſa-

liam,

Digitized by Google

liam ſimiliter ſæpius Dorici & Æolici generis homines ex aliis Græciæ locis venientes inſederunt, qui linguæ indolem depravarunt, & in peculiarem ac τοπικὴν dialectum deflexerunt. Nam & Θετταλικὴν dialectum inter τοπικαῖς recenſet Apollonius, cui & ἴδιον χαρακτῆρα aſſignat. Vt τεοῖο pro τέο ἔκτασιν eſſe Theſſalicam ait. Vide illum in tractatu de Pronomine. Sed & Theſſalica eſſe dicebat Ariſtarchus, Αἰολεῖς ἐμῶ, σῶ, ῶ, ἢ ἐμοῖο, σοῖο, οἷο, ἤτοι μετὰ διαιρέσεως τὸ ι προσέλαβον, ἢ Θετταλικοὶ εἰσὶν, ὡς καὶ Ἀριστάρχῳ ἤρεσκεν. Sic & Theſſalica inter dialectos ſpeciales & locorum peculiares. Quæ tamen inter γενικαῖς Græciæ non eſt numerata, utpote ex aliqua earum quæ generales habitæ ſunt mutuata & mixta, cum antiquiſſima Theſſalica eadem eſſet cum priſca Ἑλληνικῇ, cui hoc nomen proprie adhæſerat. Macedones quoque aliquas ἰδιότητας habuerunt, ut illam quam paſſim auctores affirmant, qua φ in β mutabant, ut Βερενίκην pro Φερενίκη dicebant. Ideo & Ἕλληνας Ioſephus alicubi diſtinguit ἀπὸ τῶν Μακεδόνων, ut infra notamus. Cum hæc ita ſint, certum tamen eſt linguæ Ἑλληνικῆς ita proprie appellatæ, & ſub Κοινῆς appellatione à cæteris quattuor dialectis diſtinctæ, originem penes Theſſalos, & Macedones extitiſſe, quia Theſſali olim proprie dicti ſunt Ἕλληνες. Vnde τὸ Ἑλληνίζειν, ut ait Dicæarchus de dialecto

eorum

Digitized by Google

eorum Ἑλλήνων peculiari, non de recta Græce loquendi ratione, ut poſtea obtinuit. Et propterea τὸ Ἑλληνίζειν diſtinguit ἀπὸ τοῦ Ἀττικίζειν, quod apud poſterioris ævi auctores idem cenſetur. Sed & ἀπὸ τοῦ Δωρίζειν, Αἰολίζειν & Ἰωνίζειν illud Ἑλληνίζειν æquè ſeparat, ut ἀπὸ τοῦ Ἀττικίζειν. Sic quinque ſtatuit illo pacto Græciæ dialectos differentes, Hellenicam, Atticam, Doricam, Æolicam, & Ionicam. Hellenica ſive Macedonica omnium reliquarum matrix. Ab ea enim prodierunt. Per migrationes enim & colonias filiorum Hellenis, in diverſas ſciſſa eſt dialectos illa primitiva Hellenum Theſſalorum lingua. In quibus μετοικεσίαις non mirum eſt contigiſſe, ut ſonus vocis, & ſermonis character mutaretur, ut fit dum in alieno ſolo plantæ ſatæ degenerant, & aliam formam induunt, guſtumque vel odorem diverſum referunt, ex mutato terræ genio.

CAPVT V.

SVMMARIVM.

Attica primis temporibus & Ionica eadem fuit. Strabo tantum quatuor dialectos agnoſcit. Attica vetus minimum diſtabat ab Hellenica Theſſalorum antiqua. Doris longius diſſidet. Herodotus ſcribit multis prius circuitionibus vagatos eſſe Dorienſes priusquam eam regionem inſediſſent. Doris lingua ita πλατειάζει ut Syriaca, Alpha in fine vocum ejus index. Bœoti Æoles

Digitized by Google

les fuerunt. Megarenſes erant Dores, teſte Ariſtotele. Dorienſes duplicis generis. Æolicam & Doricam priſco tempore fuiſſe unam & eandem dialectum, teſte Strabone. Pindarus ſcripſit Dorica dialecto, ipſe tamen Æolicã vocat. Achai & Hellenes qui Phthiotin Theſſalia incolebant Æolici generis fuere. Æolii linguam in Bœotia mutarunt. Syris tibia Abuba. Multa Græcia loca nomen à planta aliqua qua in iis abundabat nomen acceperunt.

ATtica primis temporibus & Ionica eadem fuit. Nam terra Attica primum *Ionia* appellata eſt ab *Ione* Xuthi filio, Hellenis nepote. Qui Xuthus à patre Hellene miſſus ad novas ſedes quærendas, Atticam tenuit, & ductâ Creusâ uxore, Erechtei filia, Athenarum regis, condidit Tetrapolim Atticæ, Oenoen, Marathona, Probalinthum & Tricorythum. Strabo de dialectis Græciæ, quas quattuor tantum facit, τούτων δὲ αὐτῶν τεσσάρων οὐσῶν τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμέν. Καὶ γὰρ Ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε Ἀττικοί. *Harum dialectorum, quæ quattuor ſunt, Jonicam cum antiqua Attica eamdem eſſe dicimus. Nam & Ionum nomen geſſerunt priſci Attici.* Non hoc iſtis eum puto velle, Ionicam, quali uſus eſt in conſcribenda hiſtoria Herodotus, fuiſſe eamdem cum priſca Attica. Minime hæc ejus mens, nec verum dixiſſet, ſi ita ſenſiſſet. Priſca Attica & Ionica eadem fuit lingua, quia & ipſi Attici Iones ſunt appellati ab Ione Xuthi & Creuſæ filio.

Digitized by Google

filio. Tum igitur ut unus erat populus Attici & Iones, ita eadem lingua Attica & Ionica. Et ſane Attica illa vetus minimum, ut videtur, diſtabat ab Hellenica Theſſalorum antiqua. Nam & Attica recens qualis viguit ſub oratoribus, qui rempublicam Athenienſium moderabantur, etiamnunc longe ſimilior antiquæ Hellenicæ, & communi dialecto cernitur quam quælibet aliarum. Cujus rei hæc ratio poteſt reddi. Cum Attica ſatis vicina ſit Theſſaliæ non longo circuitu digredienti Xutho finibus Theſſalicis, opus fuit, ad obtinendam eam regionem. Sic non magnam mutationem paſſa eſt Atticorum veterum lingua, quæ ex proximo accepta eſt. Et veriſimile eſt minus adhuc receſſiſſe ab originali veterem Atticam, quam illam qua ſunt oratores uſi. Dixerit aliquis propinquiorem eſſe Doridem Theſſaliæ, utpote Parnaſſo circumjacentem. Atqui Doris longius ab Hellenica diſſidet ſono vocis & ſermonis forma, quam alia quævis ex reliquis. Reſpondeo nos neſcire qualis fuerit lingua Dorienſium cum eam regionem Doro duce occuparunt. Et probabile eſt minime tum diſcrepaſſe à primigenia Theſſalica. Quinimo quidam auctores affirmant Deucalionem ipſum in illis partibus regnaſſe, non in Phthia Theſſaliæ. Sic ſcribit auctor Chronici vetuſtiſſimi Arundelliani. Præterea Herodotus tradit, multis prius circuitionibus vagatos

Digitized by Google

gatos eſſe Dorienſes priuſquam eam regionem inſediſſent. Nec omnino quidem meminit in illis Dorienſium errationibus, Doridis regionis circa Parnaſſum ab illis occupatæ. Primùm regionem circa Oſſam & Olympum tenuiſſe eos ſcribit. Deinde inde ejectos à Cadmeis habitaſſe in Pindo. Inde tranſiſſe in Dryopida circa Oetam. Poſtremo in Peloponneſum veniſſe, & Dorienſium nomine atum vocari cœpiſſe. Si non ſunt Dores appellati priuſquam in Peloponneſum commigrarunt, veriſimile eſt ex Peloponneſo rurſus digreſſos occupaſſe loca circa Parnaſſum, & toti ei regioni nomen Doridis inde hæſiſſe. Ita potuerint multis illis vagationibus linguam ſuam corrupiſſe. Sed ponamus ſtatim eos à Theſſalia petiiſſe loca illa circa Parnaſſum ſita. Non eſt credibile, ſic prima migratione immutatum eorum fuiſſe ſermonem, ut non agnoſceretur, præſertim cum non adeo longe à finibus patrijs diſceſſiſſent. Aliud majus contigiſſe arbitror quod eam linguam innovarit, ſonoque & ſermone aliam fecerit, quam primo erat.. Suſpicor id per Phœnicum cum Cadmo adventum eſſe factum. Cum enim in Bœotiam appulerit Cadmus ſub idem ferme tempus quo Hellen in Theſſalia imperium obtinebat, litteras ſuas non ſolum ei regioni & vicinæ Doridi vel Phocidi, quam nondum tunc fortaſſe occu-

Digitized by Google

parant nec nominarant Dorienſes, dederunt. Sed etiam vocis Syriacæ ſonum donarunt, quæ ita πλατειάζει, ut Doris. Nam omnia fere nomina ejus in Alpha deſinunt, quæ littera πλατειασμὸν in lingua facit, quæ voces ſic terminatas cum hiatu pronuntiat. Inde ille hoſpes in Ἀδωνιαζούσαις Theocriti Lacænis mulieribus exprobrat illum oris πλατειασμὸν in loquendo, ὅτι πλατειάσδουσιν ἅπαντα. Enimvero ſive Dores poſt Cadmi appulſum in Bœotiam, regionem Parnaſſo ſubjectam inſederunt, ſive ante quam eo adventaret, certum eſt à Syriaca mutuatos eſſe ſonum illum vocis πλατειαζούσης. Si Dores eo commigrarunt poſt Cadmi adventum, non potuerunt loquelam jam inditam indigenis inſitamque evellere. Quinimmo ipſi coacti ſunt illum ſonum hiantem adſciſcere. Si Doribus jam ibi ſtabilitis ſupervenêre Phœnices Syri, facile cum litteris, & pleriſque Syriacis vocibus etiam oris ſonum & pronuntiationem lato hiatu faciendam, invexiſſe in loquelam incolarum putandi. Hinc & omnes fere Alphabeti litteræ eodem ſono terminantur. *Alpha*, *Beta*, *Gamma*, & cætera. Nam Bœotos à Cadmeis Phœnicibus litteras accepiſſe conſtat, reliquos porro Græcos à Bœotis. Atqui Bœoti, opponet aliquis, non Dores, ſed Æoles. Verum eſt hoc quidem, atque ita Græci ſcribunt. Ἐν μὲν τοῖς Δωριεῦσιν Αἰτωλοί. Ἐν δὲ Αἰο-

λεῦσι

Digitized by Google

λοῦσι Βοιωτοί. Ἐν δὲ τοῖς Ἴωσιν Ἀθηναῖοι. *Inter Dorienſes Ætoli. Inter Æolios Bœoti. Inter Iones Athenienſes.* Et Strabo lib. VIII. tradit omnes extra Iſthmum, exceptis Athenienſibus, Megarenſibus, & qui circa Parnaſſum habitabant Dorienſibus, etiam ſuo tempore Æolios dici ſolitos. Athenienſes in his Atticè loquebantur. Dores Parnaſſii utique Doricè. At Megarenſes erant Dores, Ariſtotele teſte in libro de Poëtica his verbis: Διὸ καὶ *ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς. Τῆς μὲν Κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς, οἵ τε ἐνταῦθα, ὡς ἐπὶ τῆς παρ' αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης, καὶ οἱ ἐκ Σικελίας, ἐκεῖθεν γὰρ ἦν ὁ Ἐπίχαρμος.* Duplicis generis Dorienſes commemorat, quos fuiſſe vult auctores & inventores Comœdiæ, Megarenſes nimirum qui Comœdiam ſibi vindicant, & Siculos auctore Epicharmo quem priorem fuiſſe vult Chonnida & Magnete. Opponentibus igitur Bœotos Dorici generis non fuiſſe ſed Æolici, reſpondeo, Æolicam & Doricam priſco tempore fuiſſe unam & eandem dialectum, teſte eodem Strabone ibidem: *τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμέν. Τὴν δὲ Δωρίδα τῇ Αἰολίδι.* Omnes in eo conveniunt Pindarum ſcripſiſſe Dorica dialecto. Ipſe tamen eam Æolida vocat, Ode prima Olympionicarum: Ἐμὲ δὲ *στεφανῶσαι κεῖνον ἱππικῷ νόμῳ Αἰολίδι μολπᾷ χρή.* Hoc igitur inde conſtat,

Digitized by Google

antiquam Æolida eamdem fuiſſe cum Doride, & præcipue in Europa. Sic Bœotiæ Æolis eadem fuit cum Doridis vicinæ dialecto. Eam ergo Bœotiorũ dialectum quæ Æolica dicebatur, & vicinæ Phocidis Doridi ſimilis omnino fuit, talem reddidit Cadmeorum è Syria ἐπιμιξία. A Bœotis ad finitimos Dorienſes Parnaſſi περίχωρον incolẽtes, tranſiit idem character. Potuit etiam fieri ut iidem Cadmei Doridem quoq; & Phocidem occuparint cum Bœotia. Nam & Iſtiæotin Theſſaliæ invaſerunt expulſis inde Dorienſibus, qui Doro duce Pindi montana petierunt & coluerũt, ut Herodotus auctor eſt. Bœotia ipſa Καδμηΐς dicta à Cadmo. Stephanus: Ἐκαλεῖτο ᾗ Ἀονία ἢ Μεσαπία, ἢ Ὠγυγία, ἢ Καδμηΐς. Æoles è Theſſalia in eam trajecerãt, vel Macedonia. Sola quippe hæc regio ex Græcis ad tria pertinebat maria, incolaſque habebat alios Peloponneſo contraverſos, & Siculum Adriaticumque Pelagus reſpicientes: partim Ægyptum & Cyprum aliaſque inſulas proſpectantes: partim etiam verſus Euripum & Macedonicum Theſſalicumque mare tendentes. Inde facilis, ut ex proximo è Theſſalia in Bœotiam trajectus. Et primos in eam pervectos conſtat Æoles. Nam Achęi & Hellenes qui Phthiotin Theſſaliæ incolebant Æolici erant generis. Æolus quippe natu major Hellenis filiorum, cæteris ad novas quæritandas ſedes digreſſis, in Theſ-

ſalia

ſalia ſolus remanſerat, ut à Græcis traditur, & patrium ibi regnum obtinebat. Poſt tamen inde etiam Æolii egreſſi in varias Græciæ partes, ut in Bœotiam & Peloponneſum. Eorum lingua quamdiu ſubſtiterunt intra Theſſaliam, eadem fortean fuit cum Hellenica & Theſſalica. In Bœotia eam mutarunt ad formam qua Dorica eſt, ex Syrorum Phœnicum contagione ſive ibi repertorum, ſive poſt ipſos eodem pervectorum. Hi non ſolum nomina Phœnicia multis Bœotiæ locis indiderunt, ut jam obſervatum eſt à doctis, ſed ipſam Bœotiam denominarunt *Ὠγυγίαν*, quaſi *Ὠβυβίαν* vel *Ἀβυβίαν* à calamo auletico, qui ibi plurimus naſcitur prope Orchomenum. Syri tibiam vocant *Abuba*, אבובא. Quod nomen etiam Arabes eodem ſignificatu retinent. B autem & Γ Æoles ſæpe invicem permutant. Sic pro *βλεφάρῳ* dicunt *γλέφαρον*. Et *γλήχωνα* Attici qui eſt *βληχὼν*, pulegium. Ita ergo *Ὠγυγία* Bœotia pro *Ὠβυβία*, à calamo tibiali. Syros autem, ut Ægyptios, auleticæ maxime addictos fuiſſe Syræ *αὐλητρίδες* quorum mentio frequens in veterum ſcriptis, abunde monſtrant. Hinc argumentum Poëmatis Virgiliani; *Copa Syriſca*, quæ aſcaule flabat. Nec propterea mirum Syros ei regioni nomen dediſſe à copia naſcentis in ea calami, cujus ſtudioſi erant. Quod etiam accidit in multis Græciæ locis, ut à planta aliqua quæ in iis

 abun-

Digitized by Google

abundabat, denominarentur: ut Ἐρικοῦσα, Φοινικοῦσα, Οἰνοῦσα, Κύπρος, & alia. Ὀρχομενὸς ipſe lacus inde nomen videtur accepiſſe, quaſi qui dum moveretur ſaltaret, ad harundines tibiales, quas plurimas habuit adſitas. Ὤγυγον quemdam more ſuo hariolantes Græculi ſomniarunt, qui Thebas condiderit, quas à Cadmi poſteris conſtitutas liquet, cum ipſe Cadmus ſtatuerit Καδμίαν Thebarum ἀκρόπολιν, ut inter auctores conſtat. Hoc utique verum, niſi dicamus id potius eſſe quod ſupra pro veriſimili attulimus. Si ὤγυγος nomen Græcum eſt pro antiquo, hæc ſignificatio nominis Syriaci fuerit quod habuit Cadmus. Nam Κάδμος idem quod antiquus. Niſi quis velit verum nomen ipſum Cadmi fuiſſe עוג Og, & per διπλασιασμὸν Ogog. Inde Ὤγυγος.

CAPVT VI.

SVMMARIVM.

Æolii qui Peloponneſum aliquando occuparunt, non multum diverſa à Dorienſibus dialecto uſi videntur. Arcades & Elei Æolici generis fuere. Doris & Æolis eadem fuit in Europa priſcis temporibus. Locorum & Vrbium diverſitas differentiam etiam Characterumque inducebat in unaquaque dialecto. Æolis in Aſia. Æolica qua Sappho, Corinna, Alcæus cecinere. Iones in Aſia quoque dialectum mutarunt. Ionica lingua qui ſcripſerint. Veterem Epirum & Æ-

toliam

toliam ille πλατυσμὸς Syriaca lingua pervaſit. Elei fuerunt Æolici generis.

AEolii porro qui Peloponneſum aliquando occuparunt, non multum diverſa dialecto à Dorienſibus qui ibi quoque ſedem ceperunt, uſi videntur. Nam & Æolicam linguam in ea provincia prævaluiſſe ſcribit Strabo, qui tamen affirmat, videri omnes Δωρίζειν διὰ τὴν συμβᾶσαν ἐπικράτειαν, ob Dorienſium dominationem. Non Dorienſium eminentia fecit ut omnes dicerentur Δωρίζειν, quamvis Æolico uterentur ſermone, ſed quia Dorica lingua & Æolica non differebant, propter illam συμβᾶσαν Dorum ἐπικράτειαν, Δωρίζειν potius dicti ſunt quam Αἰολίζειν. Arcadas & Eleos Æolici fuiſſe generis certum eſt, & hoc ipſum tradit Strabo. Duæ illæ præcipuè fuêre nationes Peloponneſi, quæ & parum commercii cum Dorici generis hominibus habuerunt, Arcades quidem quod montana incolerent, Elei quod ſacri Iovi Olympio haberentur & pontificium omne haberent Olympiorum agonis. Hos ambo populos Αἰολιστὶ loquutos eſſe aſſerit. Alios mixta ex duabus uſos, Dorica & Æolica magis aut minus Αἰολίζοντας. Et tamen exiſtimatos omnes Δωρίζειν διὰ τὴν συμβᾶσαν ἐπικράτειαν. Incertum eſt utrum intelligat ἐπικράτειαν linguæ an ipſius gentis Doricæ. Ex uno tamen conſequitur ferme alterum.

rum. Hoc autem abſurdum, quod ait Strabo. Præcipuæ duæ nationes Peloponneſi Æolicè loquebantur, alii magis aut minus ad Æolicam loquelam accedebant. Et tamen Δωρί-ζειν omnes reputabantur. Vnde hoc? Nomen Doricæ linguæ potius obtinuiſſe videtur propter illam ἐπικράτειαν, cum tamen Æolica & Dorica Peloponneſi diverſæ non eſſent dialecti. Quidam in ea pæninſula Æolicè purius loquebantur, alii corruptius, vel quod verius eſt, nonnulli antiquam linguam Æolum qualem ex patria attulerant, magis integram conſervarant, alii magis depravata utebantur. Vt ut ſit, Doris & Æolis eadem fuit in Europa priſcis temporibus, cum tamen certum ſit jam tum per ea tempora non eadem uſos eſſe Doride vel Æolide, Ætolos, Bœotos, Megarenſes, & Peloponneſi Arcades atque Eleos, Laconicoſque. Locorum & urbium diverſitas differentiam etiam characterum inducebat in unaquaque dialecto. Æolicam nihil aliud à Dorica diviſit, quæ antea eædem eſſent, quam Æoliorum in Aſiam commigratio. Ibi regionem occuparunt quæ Myſia ante dicebatur, multaſque urbes ad Helleſpontum condiderunt, ut Smyrnam, Cymon, Lariſſam, Myrinam, & alias quæ ſunt in Leſbo inſula. Æolis ab his tota ea provincia nuncupata, cui undecim urbes tribuit Herodotus. Propria hujus Aſiaticæ Æolidis, Æo-

lica lingua fuit. Hæc erat Æolica qua Sappho, Corinna, Alcæus cecinêre. An hæc erat Æolica quæ θουγατὴρ ſcribebat & pronuntiabat, & πούκα pro πύκα, & δάυιον pro δάϊον, & ϝελένη pro Ἑλένη? Certè Sappho, quæ hac Æolica uſa eſt, ita loquutam ſcimus teſtimonio veterum. Bœotis tamen in Æoliis Europæis hunc characterem tribuit Apollonius, quos tradit οὔμες ſcripſiſſe pro ὔμες, quod reliquorum erat Æolum. Αἰολεῖς, inquit, ὔμμες, ὔμμες ἐν δευτέρῳ Σαπφοῦ. Οἱ δὲ Βοιωτοὶ μετὰ διφθόγγου ου, οὔμες δὲ κοινωθέντες. Citant tamen Grammatici ex eadem Sappho θυγατέρ. Iidem Bœoti ε in ι vertebant. Vt θιὸς pro θεὸς, teſte eodem Apollonio. Inde Laconicum Σιός. Æolica certe Europæorum Græcorum eadem primò cum Dorica fuit ideoque Doricæ potius nomen meruit quam Æolicæ, quamvis Æolii genere eſſent, qui ea uterentur, ut Ætoli, Thebani, Bœoti, Megarenſes, Lacones & alii. Eadem hæc ratio ſeparavit Ionicam ab Attica vetere, quæ una eademque cum ipſa olim erat. Nam poſtquam Iones duce Neleo profecti Athenis eam partem regionis in Aſia maritimæ, quam prius Cares, & Leleges incolebant, occupavêre coloniis ſuis, linguæ eorum ſonus cum ſolo mutatus eſt. Duodecim in ea ora urbes condidêre, quorum tamen omnium, nec idem linguæ character fuit, ut infra dicemus. Hæc *Ionia*

dicta

Digitized by Google

dicta regio, & ab ea *Jonica* vel *Ias* dialectus propriè meruit appellari, qua multi ſcriptores poſtea hiſtorias compoſuerunt, ut Hecatæus & Herodotus: Sed & Philoſophi Medicique eadem lingua ſcripſerunt, ut Democritus & Hippocrates. Sic quattuor dialecti Græciæ antiquitus ad duas γενικὰς referebantur, cum Ionica eadem eſſet cum Attica, & Æolica cum Dorica. Sed quæri poteſt cur Atticam adeo Megaridi & Bœotiæ vicinam non afflaverit à Cadmeis Phœnicibus labes, quæ ulteriores etiam pervaſit. Nam & veterem Epirum quæ Doricè loquebatur, & Ætoliam ille πλατειασμὸς Syriacæ linguę per incolatum Cadmeorum pervaſit. Regionis natura & ſitus, & ingenium incolarum pingue, multum ad eam rem contuliſſe poſſunt videri. Bœoti in craſſo aëre nati, & ipſi pinguiore ingenio, vaſto etiam ore, ut rudes & agreſtes omnia pronuntiare ſoliti. Quare facilius receperunt illum πλατειασμὸν Syriacum ac retinuerunt. Quod & de Megarenſibus dici poteſt. Attici autem ut ſubtiles & acuti ex genio ſoli, quod erat gracile, & aëris temperie, qui purior, rotundo ore, & deducto ſono, non tam vaſto quam Megarenſes aut Bœoti, verba pronuntiabant. Quod ad Ætolos attinet haud ſcio an hæc cauſa afferri queat ipſorum πλατειασμοῦ & Δωρισμοῦ. Cũ Ætolos ex Elide à Salmoneo Epeorũ & Piſatûm rege pulſos in Ætoliam

toliam perveniſſe & eam obtinuiſſe, & à ſe nominaſſe tradat Ephorus apud Strabonem lib. VIII. poſtea Æoles cum Bœotis è Theſſalia ejectos eodem adveniſſe & communiter cum Eleis regionem tenuiſſe. Sed Bœoti etiam, id eſt Cadmei, Theſſaliam aliquando obtinuerunt. Quod & confirmat Herodotus, qui Græcos ſive Hellenes ex Eſtiæotide Theſſaliæ regione ab eis expulſos narrat. Sic ergo Ætoli & Æoles ſimul & Dores fuerint, immo utroque modo Æoles. Nam Elei fuêre Æolici generis. Et Varro, ſi rectè memini, quodam loco Æolios fuiſſe Ætolos narrat. Stephanus tamen Ætolos inter Dorienſes numerat, ut Bœotos inter Æolios. Sed facile id ſolui poteſt. Cum una eademque tunc fuerit Dorum & Æolum lingua, Dores ſimul & Æoles Ætoli fuerint: Æoles genere, Dores lingua, cum utrique populi eadem lingua in principio uſi fuerint. Certè & vicina Parnaſſo Doris, in qua Delphi, eumdem cum Bœotis ſermonem uſurpabat, quos Bœotos tamen Æolios conſtat fuiſſe. Vnde liquet, Æoliorum & Dorienſium ſimul linguam à Cadmeis Phœnicibus ad eam formam, quæ dialectum hanc ſeparavit ab antiqua Hellenica Theſſalorum vel Macedonum, fuiſſe adulteratam.

Ca-

CAPVT VII.

SVMMARIVM.

Potentiſſima ratio diviſionis dialectorum Græciæ. Græcia priuſquam à Græcis incoleretur, à variis gentibus barbaris fuit habitata: quas Hellenes non ejecerunt ſed poliverunt. Iones Athenis profecti Carum conſuetudine dialectum ſuam corruperunt. Æoles quoque in Aſia ex Myſorum & Phrygum barbarie puritatem ſermonis corruperunt. Dorica lingua alia evaſit in Creta, alia in Peloponneſo. Barbari qui Peloponneſum incolebant omnia in literam ρῶ deſinentia ſolebant proferre: hæc pronuntiatio à Doribus Peloponneſi recepta. Etiam ab Eretrienſibus. Attici in medio dictionum ſæpe Rho pro ſigma uſurparunt. Latini quoque Rotaciſmum receperunt. Galli multi hodieque r & ſ confundunt in medio dictionum. Cretenſis Dorica diverſa ab aliis Doricis: Ejus ratio. Strabonis locus emendatus. Attica à Barbaris habitata antequam Hellenes in eam venirent. Græca lingua minimum mutavit in Attica: accepit tamen ex natura loci & incolarum indole quaſdam proprietates. Lingua qua Attici utebantur tempore Solonis vix intellecta ætate Lyſiæ. Strabonis ſententia male à Xylandro verſa.

SEd una eſt potentiſſima ratio diviſionis dialectorum Græciæ ab una principali & primitiva, quam nunc reddam. Conſtat ex Ephoro quem Polybius optime dixit ſcripſiſſe de rebus Gręcanicis, de origine urbium Græcarum, cognationibus, migrationibus Graiorum, deque

eorum

Digitized by Google

eorum auctoribus & ἀρχηγεταῖς, Græciam priuſquam à Græcis incoleretur, à variis gentibus barbaris fuiſſe habitatam. Græci ſive Hellenes à Theſſalia orti, diverſis temporibus, alia atque alia Græciæ ſive Helladis ab ipſis ita dictæ, loca occuparunt. Non ejiciebant veteres incolas barbaros, ſed una cum his permixti degebant, eoſque erudiebant ac polibant. Quod & diſertè tradidit Thucydides cum dixit Græcos ἑαυτοὺς ἐπάγεσθαι ἐς τὰς πόλεις ἐπ' ὠφελείᾳ αὐτῶν. Sic lingua eorum mutata eſt. Prout enim erant barbari cum quibus unà & inter quos ſedes ceperant, ex eorum indole ſonum & formam nativi ſibi ſermonis invertebant, ſive pervertebant potius. Ita Iones Athenis profecti cum eamdem linguam haberent cum Atthide priſca, quæ haud multum degeneraverat ab Hellenica, ſtatim ac verſari cum Caribus βαρβαροφώνοις ceperunt, & Lelegibus, loquelam ſuam plane ἐξεβαρβάρωσαν. Tunc pro ἑαυτοὺς dixerunt, ἑωῦτὸς. pro λόγοις λόγοισι. pro θαῦμα θῶμα. pro Πηλείδου, Πηληΐδεω. Θωϋμαστὸν pro θαυμαστὸν. Κρεδίη pro Καρδία. Δεσπότεα pro δεσπότην, & alia infinita quæ barbariem olent. Nam & ἀπ' ἧς dixerunt pro ἀφ' ἧς, Ἀπέλεσθαι pro ἀφέλεσθαι. Quod barbaricum eſt. Ita enim Scytha apud Ariſtophanem pronuntiat, πυλάξῃ pro φυλάξῃ. Παίνεται pro φαίνεται. Κεπαλὴ pro κεφαλή. Ita Iones ubi oram Aſiæ mari-

Digitized by Google

maritimam quam Cares obtinebant, occuparunt, ἀξιαπηγητὸν pro ἀξιαφηγητὸν pronuntiarunt. Vbi adſpirabant antea, adſpitare deſierunt, & contra. Inde ἐνθόϛεν fecerunt pro ἐντόϛθεν. Κύθεϛν pro χύθεϛ.. Infinita denique alia in ſuo ſermone immutarunt, & ad barbaricum ſoni & loquelæ genium deflexerunt, quæ docentur ab his qui de ea dialecto ſcripſerunt. Eodem prorſus modo & Æoles qui eandem cum Doribus dialectum habuerunt cum in Europa habitabant, ubi in Aſiam tranſmigrarunt, ex Myſorum & Phrygum, barbarie puritatem ſermonis corruperunt. Nam totam illam regionem quæ ab Homero Τρωικὴ appellatur, occuparunt, ad quam demum poſt varios & longos errores pervenêre, ut narrat Strabo lib. XIII. & aliis locis. Tum pro θυγατὴρ cœperunt pronuntiare θυγατὴρ, λιγυρὸς pro λιγυρὸς, βρόδον pro ῥόδον, ὄππαϛα pro ὄμμαϛα, ὄνω pro ἄνω, Σπάδιον pro ϛάδιον, Πέρραμος pro πρίαμος, & alia infinita ejuſmodi, quæ diverſam Aeolicam ab Dorica conſtituerunt. Nam & proſodiam etiam inſtituêre contrariam Doricæ. In quo genere maxime ſolent barbarica & extranea pronuntiatio diſcerni. Sic Dorica eadem lingua alia evaſit in Creta inſula, alia in Peloponneſo. Quod barbari qui Peloponneſum incolebant omnia in litteram ῥῶ deſinentia ſolerent proferre, hæc etiam pronuntiatio à Doribus

Pelo-

Digitized by Google

Peloponneſi recepta eſt, quæcunque cum litera Sigma apud Dores reliquos in fine efferrentur, littera canina terminata enuntiantibus. Vt Τιμόρθεορ, Μιλήσιορ in decreto Ephororum apud Boëthium. Ita & σκληρυτὴρ dicebant, ἀκκὸρ pro ἀσκὸς, & πόïρ pro παῖς. Inde Latinum *puer*. Eretrienſes hoc nomine traduxerunt veteres Comici. Vnde Ἐρετριακὸν ῥῶ apud Athenæum. Sed Eretrienſes ab Elienſibus, quorumerant Coloni, id imbiberant. Strabo de Eretrienſibus lib. x. Ἐποίκους δ' ἔσχον ἀπ' Ἤλιδος, ἀφ' οὗ καὶ τῷ γράμματι τῷ ῥ πολλῷ χρησάμενοι οὐκ ἐπὶ τέλει μόνον τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ καὶ ἐν μέσῳ κεκωμῴδηνται. Sic Πελαργοὺς dicebant quos Græci Πελασγούς. Sed & Attici in medio dictionum ſæpe Rho pro Sigma uſurparunt, Ἄρρεν dicentes pro ἄρσεν, τύῤῥις pro τύρσις, θάῤῥος pro θάρσος. Latini non ſolùm in fine vocum, ſed etiam in medio hujuſmodi Rotaciſmis uſi ſunt. Cum enim antiqui apud eos dicerent, *Arbos*, *Labos*, poſtea dixerunt, *Arbor* & *Labor*. In medio dictionum antiquitus ubique & paſſim ſcribebebant, *Nymphaſum*, *Muſaſum*, & ſimilia, quia Græci Æoles, à quibus orti, loco aſpirationis plerumque ponebant Sigma, ut ſupra oſtendimus, præcipue in concurſu duarum vocalium. Ut Νυμφάων pro νυμφῶν. Inter duas illas vocales quidam collocabant adſpirationem. Æoles qui nunquam adſpirabant, partim

tim

Digitized by Google

tim Νυμφάζων dicebant, partim Νυμφάσων. Inde Romani primo ſcripſere Nymphaſum, poſtea *Nympharum*; & ita in cæteris. In aliis multis Ῥωτακισμὸν illum adhibuêre, dicendo *plurima* & *plures* pro antiquo, *pluſima* & pluſes, *Lares* pro priſcis Laſibus. Lacones è contra cum antiquitus illo ῥῶ Eretriaco omnes ferme voces terminarent, poſtea id mutarunt, ut apparet ex decreto Ephororum, quod factũ ad exſcindendas nervias quas antiquæ lyræ adjunxerat Timotheus. In eo decreto omnes voces in Sigma deſinentes, finiuntur littera canina. Quod Ariſtophanis ætate non amplius apud eos in uſu fuit, ut ex eodem Comico conſtat. Hodieque Galliæ populi quidam ſolent has litteras confundere in medio dictionum. De quibus alibi. Cretenſis Dorica alia eſt à reliquarum regionum Doricis propter populos inſulæ veteres incolas. Hinc αὖζος dicebant pro ἄλσος, ἀεὶς pro αἰέν. Ἔβα pro ἔχε, τὸς pro τοὺς, ὠνομένος pro ὀνουμένους ἐπικοσμόντες pro ἐπικοσμοῦντες: Τὸς κάρπος pro τοὺς κάρπους, & alia quæ alibi notamus. Alia etiam habuit ἰδιώματα de quibus non hic eſt dicendi locus. Ita ergo & Hellenes Æolii qui Bœotiam occuparunt, quæ à barbaris populis tenebatur, quibus ὕαντες erat nomen, unde ὗς Βοιωτία in proverbium ceſſit, linguæ veteris genuinam indolem ea gratia corruperunt, partim etiam propter ἐποίκους Phœnicas Syros,

à qui-

à quibus litteras, vocabula multa, & alium prorſus linguæ genium mutuati ſunt. Iidem Phœnices Cadmei, eorumque poſteri varia Græciæ loca peragrarunt, ut Phocida, Parnaſſo ſubjectam regionem quæ Doris dicta eſt, Ætoliam ſi forte, & Epirum, certè Illyrida, etiam Theſſaliam. Atticam non feruntur tenuiſſe. Ideo proprium, & à Dorico diverſum habuêre linguæ Characterem. Hanc ipſam regionem Barbari etiam populi antequam in eam Græci adveniſſent, inhabitarunt, Thraces nempe cum Eumolpo, teſte Strabone. Herodotus etiam Pelaſgos dicit. Strabo ex nominibus barbaricis priorum ejus regum, id etiam colligi ait. Καὶ ἀπὸ τῶν ὀνομάτων δὲ, inquit, ἐνίων τὸ βάρβαρον ἐμφαίνεται, Κέκροψ, καὶ Κόδρος, καὶ Αἶκλος, καὶ Κόθος καὶ Δρύμας καὶ Κραναός. Sic enim ibi legendum non Κρινακός. Hæc omnia tamen nomina non ſolum Græcum habent ſonum, ſed etiam ſignificationem. Nam Κέκροψ videri poteſt dictus, cui eſt ὄψ κρεκὸς, facies avis ita nominati. Κόδρος pro Κυδρός. Nam & Æoles has litteras invicem mutabant, ut ὄνυμα pro ὄνομα. Αἶκλον eſſe Græcæ originis arguit vox ἔπαικλον. Δρύμας ex δρυμὸς factum nomen proprium. Κραναὸς idem quod aſper. Vnde & Κραναὴ χώρα. Sed & Attica ſic appellata. Vt ut ſit, certum tamen eſt, Atticam fuiſſe habitatam à barbaris antequam Græci ſive Hellenes è Theſſalia profecti in

eam ventitaſſent. Id contigit, ut ſupra docuimus, haud longe à temporibus primi Cecropis. Græca lingua minus degeneravit in Attica ab antiquo ſono & forma, quam quælibet reliquarum trium. Recepit tamen & ipſa ex natura loci & incolarum indole quaſdam proprietates, quibus effectum eſt, ut diverſa dialectus exiret à primigenia Hellenica. Nam ξῖ pro σ poſuit in multis vocabulis, cujus ſonus βαρβαρικώτερος eſt, quam litteræ Sigma. Hinc ξυμβάλλω, ξύμβολον, ξυγγραφὴ, & alia. T pro σ ſcribit in pleriſque dictionibus, τεῦτλον dicendo pro σεῦτλον. Γλῶτlαν pro γλῶσσα. N mutat in Lambda. Vt λίτρον pro νίτρον, ἀλάβαστρον pro ἀνάβαστρον. Multis aliis gaudet idiomatis, quæ lingua communis, & Hellenica non agnoſcit. Potuit & ex commercio & frequentia advenarum iſtam formam loquendi adſciviſſe cum antiqua Atthis longè alia foret, & propius ad primitivam accederet, immo eadem prorſus cum ipſa eſſet. Quod non eſt à vero alienum. Conſtat enim ex Lyſia, linguam qua Attici utebantur Solonis tempore, vix intellectam fuiſſe ſua ætate. Magna certe ſui parte erat immutata, ut ex quadam ejuſdem Lyſiæ oratione liquet, in qua aliquot verba è variis Solonis legibus explicat, quæ tunc non intelligebantur. Mirum vero Strabonem ſcribere, eam cauſam eſſe immutatæ in Atticis & Doribus linguæ, quod ſolum

ſolum ſterile & aſperum colerent, & ea gratia cum nullis miſcerentur extraneis, raroque ad eos peregrini adventarent. Hæc ejus verba ſunt lib. VIII. ubi de dialectis Græciæ agit. Καὶ τοὺς Δωριέας δὲ ὀλίγους ὄντας, καὶ τραχυτάτην οἰκοῦντας χώραν εἰκός ἐστι τῷ ἀνεπιμίκτῳ παρατρέψαι τὴν γλῶτταν, καὶ τὰ ἄλλα ἔθη πρὸς τὸ μὴ ὁμογενὲς, ὁμογενεῖς πρότερον ὄντες. Hoc abſurdum falſumque in verbis Græcis cum videret Xylander, contrariam eis verſione ſua ſententiam affinxit. Sic enim reddidit: *Ac probabile eſt Dorienſes dum pauci eſſent, ac ſolum aſperrimum colerent, eo quod aliis non permiſcerentur, linguam ſuam retinuiſſe, ad ejus ſocietatem alios quoque cognatos ſuos pertraxiſſe.* Nihil minus quam hoc verba Strabonis Græca tinniunt. Id enim volunt, niſi tota ea in aliam formam invertas: *Ac probabile eſt Dorienſes, cum pauci eſſent, & aſperrimum ſolum colerent, eo quod aliis non permiſcerentur, linguam pervertiſſe & alios mores & conſuetudines immutaſſe præter reliquorum Græcorum inſtituta, quibus antea non genere tantum, ſed etiam moribus & lingua cognati & affines erant.* Hic ſenſus Strabonis. Idemque de Athenienſibus ſubjungit, eandem cauſam aſſignans, cur linguam & inſtituta immutarint, quod nullis nempe expetitam præ glebæ gracilitate, & ſterilitate tellurem exercentes, minime patuerint advenarum incurſioni, ſed ſemper intacti manſerint, adeo ut pro terræ

Digitized by Google

genuinis haberentur. Τόδ' αὐτὸ καὶ Ἀθηναίοις συνέβη, λεπτόγεων τε καὶ τραχεῖαν οἰκοῦντας χώραν, ἀπορθήτους μὲν εἶναι καὶ αὐτόχθονας νομισθῆναι, διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Θουκυδίδης, κατέχοντας τὴν αὐτὴν ἀεὶ, μηδενὸς ἐξελαύνοντος αὐτοὺς, μηδ' ἐπιθυμοῦντος ἔχειν τῆς ἐκείνων. Nulla mendi ſuſpicio poteſt eſſe in illis quæ præceſſerunt de Dorienſibus, nec proinde locus eſt contrariæ ſententiæ aliqua conjectura introducendæ, qua legatur, ut videtur correxiſſe Xylander, εἰκὸς ἐστὶ τῷ ἀνεπιμίκτῳ μὴ παραστρέψαι τὴν γλῶτταν. Nam quæ ſubtexuit de Athenienſibus, planè conſonant, & poſt Athenienſium & Dorienſium ſimilia exempla concluſionem talem ſubnectit. Τοῦτο τοίνυν αὐτὸ καὶ τοῦ ἑτερογλώττου καὶ τοῦ ἑτεροεθνοῦς αἴτιον ὡς εἰκὸς ὑπῆρξε, καίπερ ὀλίγοις οὖσι. Quæ cauſa eſt ut gens aliqua ſeorſim linguam habeat, & mores? Nempe τὸ ἀνεπίμικτον. Certe hanc rationem affert cur Dorienſes linguam mutarint, ac ſermonem inſtitutaque ſuæ gentis, id eſt Græcanicæ reliquerint. At quis neſcit è contrario ἐπιμιξίαν advenarum & alienigenarum in cauſa eſſe, cur patria ſimul lingua cum moribus deſeratur, & in oblivionem adducatur exteris undique confluentibus, qui corruptelam inducunt? Aliquo tamen pacto, & alio reſpectu τὸ ἀνεπίμικτον cauſa eſt τοῦ ἑτερογλώττου καὶ τοῦ ἑτεροεθνοῦς. Nam dum vicini mutant linguam ſuam per extraneorum ἐπιμιξίαν, natio illa

τὸ

τὸ ἀνεπίμικτον conſervat, ſenſim ἑτερόγλωττος & ἑτεροεθνὴς evadit. Non tamen cauſa eſt in ipſa gente quæ cum finitimis non permiſcetur, ſed in illis quæ admittunt externa commercia, & illa coluvie patria inſtituta cum lingua pervertunt. Hodieque certum eſt montanos Africæ & Mauritaniæ populos aliam omnino linguam habere quam illos qui plana & maritima habitant. Nec Punicè loquuntur, nec Arabice, nec Romane. Vnde fides fit linguam eam retinuiſſe, qua utebantur ante adventum Phœnicum. Arabes auctores qui de plantis ſcripſerunt, ſæpe nomina plantarum Africanarum ex eo ſermone antiquo Afrorum commemorant. Hoc idem de aliis locis affirmare eſt. Nempe ubique terrarum, qui à mari remoti ſunt, & montana aſperaque incolunt, quo nulli aut rari mercatores conveniant, eos retinentiſſimos eſſe priſcæ linguæ diutiſſimeque eam cuſtodire. Atqui dicet aliquis, tales Doridis incolas fuiſſe conſtat. Aſperrimam quippe, Strabone teſte, habitarunt regionem. Non eandem porro conſervaſſe linguam quam ex patria Theſſalia attulerant, certum eſt. Vnde igitur illis hæc mutatio ſermonis accidit? Strabo dicit, ἐκ τοῦ ἀνεπιμίκτου. Certe & ἀνεπίμικτοι fuêre, & linguam mutavêre. Ergo τὸ ἀνεπίμικτον ſtatuendum eſt in illis αἴτιον τοῦ ἑτερογλώττου. Hæc videtur fuiſſe Strabonis ſententia & ar-

Digitized by Google

gumentum. Conſequentia tamen ejus non optima eſt. Si intemeratā linguam ſuam è patriæ finibus eò attuliſſent, hac profectò ratione, beneficio nempe ſoli infœcundi, nec invidioſi diutius eam retinere potuiſſent. Sed fortaſſean longis acti erroribus, & ſermone jam corrupto ibi demum ſedes fixêre. Fortè etiam antequam eò adveniſſent, Cadmei Phœnices eam regionem inſederant, quibus commixti cum degerent, ita loquelam ſuam depravarunt. Fieri etiam poteſt ut ex Peloponneſo in ea loca trajecerint Dores. Poſtremo certum eſt; priuſquam è Theſſalia digrederentur, à Cadmeis exagitatos pluribus in locis ſediſſe. Pro certo denique definiri poteſt, τῆς μεταπτώσεως, qua lingua eorum nativa immutata eſt, cauſam aſſignari non debere, τὸ ἀνεπίμικτον. Cum potius advenarum infrequentia, & ſolitudo à commerciis exterorum remota, ſoleat eſſe natale morum linguæque in omnibus nationibus. Idque infinitis exemplis confirmare nunc poſſemus, ſi id ageremus, aut ſi neceſſe eſſe videretur.

CAPVT VIII.

SVMMARIVM.

Atticam linguam ἀνεπίμικτον fuiſſe ſcribit Plutarchus. Homerus cur Attica ſit uſus: etiam Ionicam frequens adhibuit. Vna fuit ab initio dialectus Græcia, radix alia-

Digitized by Google

aliarum, Hellenica. quinque in totum fuere dialecti cum matrice. Strabo tantum quatuor numerat ſuo avo. Creta inſula lingua magis Æolica quam Dorica. Sicilia Doriſabat ut & tota illa ora Italia, cui majoris Gracia nomen inditum. Plutarchus quoque tantum quatuor dialectos recenſet: uti & Apollonius Alexandrinus: τὴν κοινὴν non poſuere inter dialectos, quia non erat cujuſquam populi propria. Tempore Strabonis nulla erat provincia aut populus qui Communis nomine cenſeretur, ἑλληνὶς multo minus κοινή. Dua dialecti ποιητικαὶ, Macedonica & Theſſalica. Alexandri M. atate per totum Orientem didita eſt lingua Macedonica: ſucceſſores ejus in Syria & Ægypto eam adeo fundarunt, ut pra patrio eorum ſermone pravaluerit. Verum multis modis vitiata: multos quoq; idiotiſmos traxit. παρεμβολὴ pro caſtris vox Macedonum Alexandrinorum: ῥύμη, qua vox tamen è communi ducta. Per Romanos lingua Graca adhuc impurior facta. Tandem factum ut tollerentur omnes dialectorum differentia & uniformis facies Graci ſermonis per univerſam Graciam diffunderetur, eaque corruptiſſima. Dialecti definitio apud Veteres criticos. Μεταπλασμὸς quid ſit in verbis & linguis. Alia dialecti definitio à Philopono vitiata. Barbaris non eſſe dialectos voluerunt Graci. Brevior dialecti definitio. Totidem dialecti quot nationes. Concluſio generalis.

ATticam linguam ἀρχαϊκὴν fuiſſe ſcribit Plutarchus, ideoque ea præcipue uſum eſſe Homerum, qui omne genus dialectos in poëſi ſua uſurpavit. Non ea tamen cauſa quod ἀρχαϊκὸς ſit, eam plurimum frequentavit, ſed quod propius ad antiquam & genuinam

Digitized by Google

Hellenicam qua Muſæus & Orpheus uſi ſunt, accederet. Idcirco & Ionicam frequens adhibuit, quia eadem cum vetere Attica, & ſic utraque minimum ab Hellenica deflectens, ævo illo quo Iones Atticam tenuerunt, priuſquam Ioniam multis urbibus conditis in Aſia denominaſſent, quæ Ionicam dialectum ſeparatam ab Attica dedit. De dialectis quæ apud Homerum: *μάλιϛα δὲ τῇ Ἀτθίδι διαλέκτῳ κέχρηται, καὶ γὰρ ἐπίμικτος ἰών.* Strabo ad ſumma duo genera revocat dialectos Græciæ vulgares, duaſque eas antiquitus docet fuiſſe, Atticam ſive Ionicam, & Æolicam, quæ & Dorica. Sed dicere debuit, horum duûm generum unum *ἀνωτάτω* fuiſſe, ex quo duo illa quaſi rami ex uno trunco, emanarunt. Nempe Hellenicam ſive Macedonicam. Vt enim Græcia à Macedonia & Theſſalia incipit, ita linguarum omnium ac dialectorum Græciæ principium ab Hellenica Macedoniæ & Theſſaliæ ortum eſt. Vna fuit ab initio dialectus Græca, eaque, ut dixi, Hellenica ſive Theſſalica, vel Macedonica. Poſtea in duos veluti ramos diducta, duas peperit, Ionicam & Æolicam. Diviſio deinde alia ſubſequuta eſt, & hæ duæ congeminarunt, Ionica quæ eadem cum Attica erat, ab ea diſtincta eſt, ut Dorica ab Æolica, cum prius eſſent eædem. Nulla ulterior facta dialectorum Græciæ diviſio. Quinque fuerunt in totum, id eſt quat-

tuor

tuor cum matrice. Strabo quattuor tantum numerat, & ſuo tempore non plures fuiſſe autumat per totam Græciam notas differentes dialectos. Sic enim ſcribit lib. VIII. quo Græciam deſcripſit : ἐπὶ τούτοις μὲν οὖν πολλὰ ἔθνη γεγένηται. Τὰ δ' ἀνωτάτω τοσαῦτα ὅσας καὶ διαλέκτους παρειλήφαμεν τὰς ἑλληνίδας, τούτων δ' αὐτῶν τεττάρων οὐσῶν, τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτὴν φαμέν. Multas eſſe gentes Græciæ dicit, ſed in genere totidem numerari oportere quot ſunt dialecti. Quattuor autem eas eſſe. Ergo omnes Græciæ gentes ad quattuor genera ſumma & appellationes poſſe revocari. Aut enim Atticos eſſe, aut Iones, aut Æolios, aut Dorienſes. Nulla ergo fuit in Græcia gens quin aut Attici generis fuerit, aut Ionici, aut Æolici, aut Dorici. In Europa extra Iſthmum, teſte eodem Strabone, exceptis Athenienſibus, Megarenſibus, & qui vicina Parnaſſo habitabant, Dorienſibus, cæteri omnes Æolii genere fuerunt. Athenienſes enim Attici vel Ionici generis. Megarenſes Dorici, qui & Dorice loquebantur. Intra Iſthmum duo genera præcipue fuêre, Æolicum & Doricum. Sed Doricũ ita prævaluit, ut omnes intra Peloponneſum Doricè loqui exiſtimarentur. In Aſia pœnè omnia coloniæ Æolienſium & Ionum occupaverant, & ab oris maritimis quas primi inſederant uſque ad interiora proceſſerunt. In

 inſulis

Digitized by Google

inſulis ipſis partim Æolica, partim Ionica dialectus frequentabatur. In quibuſdã & Dorica, ſiquidem Cretę inſulæ linguam Δωρικὴν fuiſſe Grammatici volunt. Ego Æolicam magis eſſe opinor. Quod & alibi adſtruam. Sicilia Dorizabat, ut & tota illa ora Italiæ cui Majoris Græciæ nomen inditum eſt. Nullus itaque in Græcia locus, nullus populus extitit quin ejus ſermo ad harum quattuor dialectorum aliquam referri poſſit, ſive purus eſſet ex una qualibet, ſive mixtus ex duabus, aut etiam alia barbarica infuſcatus. Ita verum eſt quod ait Strabo, τὸ αἰνιγματῶ tot eſſe Græciæ populos, quot ejus numerantur dialecti, nempe quattuor. Cur quintam non addidit, quam vulgo Grammatici κοινὴν appellant, nos Ἑλληνίδα olim dictam ex Dicæarcho ſupra oſtendimus. Sane nec ipſe Plutarchus in libro quem compoſuit de Homeri dialectis, plures quam quattuor recenſuit. Apollonius Alexandrinus cognomine dyſcolus, qui ſub Marco Imperatore vixit, & librum de dialectis edidit, totidem tantum poſuit. Suidas in recenſione ſcriptorum ejus, Περὶ διαλέκτων, Δωρίδος, Ἰάδος, Αἰολίδος, Ἀτθίδος. Hæc ratio una eſt quare non poſuerint τὴν κοινὴν inter dialectos, quia quod κοινὸν eſt omnium, non eſt ἴδιον unius gentis. Atqui ex vera definitione dialectus non eſt niſi ἴδιον quid unius gentis, quantum ad loquelam ejus attinet.

Tempo-

Digitized by Google

Tempore Strabonis, Plutarchi & Apollonii nulla amplius gens in Græcia extabat, cui tanquam peculiaris ac propria dialectus adſcribi poſſet, hæc quam κοινὴν vocarunt, vel ἑλληνικὴν. Omnes populi Græciæ generali vocabulo dicebantur Ἕλληνες, cæteræ quatuor dialecti, vocabantur ἑλληνικαί. Hæc quæ κοινὴ nomẽ habebat, ita omnium erat communis, ut nulli propria eſſet. Adhuc Strabonis ætate provinciæ totæ & nationes reperiebantur nominibus dialectorum quaternarum ſignatæ. Fuit Attica regio, quæ Attico ſermone utebatur. Fuit Ionia, quæ Ionico. Æolidis regionis erat propria dialectus Æolis. Doris etiam tunc extitit regio in qua Doricæ linguæ uſus erat, & quæ inde nomen acceperat. Nulla natio uſpiam tunc nota in Græcia quæ Ἑλληνὶς proprie, multo minus quæ Κοινὴ diceretur. Et tantum abeſt ut tunc Ἑλληνικὴ vocaretur dialectus Macedonum vel Theſſalorum, ut ab Ἑλλήνων cenſu ac nomine vulgo expungerentur, ſed cum barbaris computarentur qui Græciam circumdabant, Epirotis, Illyriis & Thracibus. Ipſorum etiam lingua multum ab antiqua Hellenica qua olim loquebantur deflexerat. Duæ inde dialecti defluxerant τοπικαί, Macedonica & Theſſalica, quarum nominatim mentionem in ſcriptis ſuis faciunt priſci Grammatici. Certum tamen eſt olim propriè Ἕλληνας fuiſſe appellatos, eorum

rum

rum propriam fuiſſe dialectum quæ Ἑλληνικὴ dicebatur, & poſtea κοινὴ nuncupata eſt, ubi nimirum communis omnium Græcorum eſt facta. Huic honos & gloria primum acceſſit per Philippum Alexandri magni patrem, Græciæ domitorem. Majus ei porro pretium & dignationem addidit Alexander filius, ſub quo non ſolum per Græciam, ſed per totum Orientem didita eſt, uſque ad Perſas & Indos. Seneca in conſolatione ad Helviam: *Quid ſibi volunt in mediis barbarorum regionibus Græcæ civitates? Quid inter Indos Perſaſque Macedonicus ſermo?* Alexandri poſteri & ſucceſſores reges in Ægypto & Syria eam linguam adeo fundarunt, ut præ patrio Syrorum & Ægyptiorum ſermone Græcus prævaluerit. Alexandria mater ac magiſtra omnium artium ac diſciplinarum Græcarum per Ptolemæos & Macedones Græca pro Ægyptia facta eſt, Colonia jam ante Græcorum ab ipſo Alexandro condita. Ampliſſimæ urbes in Syria Græcæ & in Babylonia conſtitutæ per Seleucos & Antiochos Macedonicam, id eſt Hellenicam, linguam in illis regionibus ſuſcitarunt. Inde Συρομακεδόνων & Συροελλήνων nata appellatio. Sic per totam Aſiam & Græciam Κοινὴ evaſit, quæ antea peculiaris erat unius populi dialectus. Et poſtquam Κοινὴ exiſtere cœpit, definitione dialecti excidit, & dialectus dici & eſſe habérique deſtitit. Eundo tamen plurimas ſordes

con-

contraxit & deſcivit à puritate, qua antea cenſebatur cum intra unius gentis limites conſiſtebat. More fluminum magnorum quæ poſt longos curſus, limoſa ac turbida in exitu evadunt, quorum fontes erant liquidiſſimi.

Ἀσσυρίου ποτάμοιο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδασι συρφετὸν
ἕλκει.

Ita Macedonica ſive Hellenica lingua per tot terrarum tractus tranſiens, & per militares homines tradita, pro ratione etiam locorum & gentium inter quas diſſeminata eſt, multos idiotiſmos inde traxit, tam in verbis ſingulis, quam in eloquutionibus. Nec enim aliter fieri potuit quin Græci Macedones inter Syros degentes pleraque adfricuerint ſuæ linguæ ex eorum loquela, ut Syri contra nativum idioma plurimis Græcis vocibus & loquendi generibus corruperunt. Idem dici debet de Ægyptiis, & Perſis, inter quos ſermo Macedonicus plantatus eſt. Hinc tam multa Græci critici obſervant vitioſa in dialecto Macedonum & Alexandrinorum, quæ ex contagione eorum populorum quos inter ſedes ceperunt, invecta eſſe credibile eſt. Nam priuſquam è finibus patriis exiiſſent, non tot λύματα in eorum lingua deprehenſa fuiſſe certum eſt, quam labem & idiomatis maculas ex Syris & Ægyptiis compararunt, aliiſque barbaris Aſiæ populis cum quibus habitarunt. Hinc in

Ptole-

Digitized by Google

Ptolemæi dictione qui Alexandrinus fuit, & communi illa Macedonum ſive Hellenum dialecto ſcripſit, tam multæ reperiuntur loquutiones exoticæ & à Græci ſermonis puritate degeneres. Ea gratia ſæpe vapulat Phrynicho, & aliis Criticis antiquis, Alexandrina dialectus & Macedonica, vel Ægyptiaca. Thomas Magiſter, ἠθέληκα Ἀττικὸν, τεθέληκα, Ἀλεξανδρεωτικόν. Helladius Beſantinous: Καὶ ἡ Μαγὶς δὲ, ἀντὶ τῆς τραπέζης Αἰγύπτιον δόξει, καὶ παντελῶς ἔκθεσμον. Per Αἰγύπτιον palam eſt intelligere Alexandrinum ſive Macedonicum Græcum, cujus in Alexandria urbe uſus erat. Hinc Arabes Ægyptiis vicini ſuum *Maida* de menſa accepêre, extrita media V conſonante. Phrynichus: τεθεληκέναι, Ἀλεξανδρεωτικὸν τοὔνομα. Διὸ ἀφετέον τοῖς Ἀλεξανδρεῦσι καὶ Αἰγυπτίοις αὐτό. Ἡμῖν δὲ ῥητέον ἠθεληκέναι. Idem: ἐπιχειμάζεις σαυτὸν Μένανδρος εἴρηκεν ἐπὶ τοῦ λυπεῖν. Ἀλεξανδρεῖς ὁμοίως. πλεῖον δὲ τοῖς δοκίμοις τοῖς μηδὲ εἰδόσι τοὔνομα. Hoc verbum tamen χειμάζειν & ἐπιχειμάζειν, quod Alexandrinum fuiſſe dicit, paſſim in uſu fuit hac notione per omnem Græciam, & à pleriſque Græcè ſcribentibus uſurpatum. Inde ille verſiculus: Οὐδεὶς γαμεῖται, ὅστις οὐ χειμάζεται. Et χειμαζόμενοι in conciliis veteribus, qui à Dæmonibus vexabantur. Macedonica vocat alibi hujuſmodi ἰδιώματα, quæ & Ἀλεξανδρεωτικὰ & Αἰγύπτια. In voce παρεμ-

βολὴ pro caſtris vel exercitu poſita, ſcribit, δεινῶς εἶναι Μακεδονικήν. Καίτοι, inquit, ἐνῆν τῷ στρατοπέδῳ χρῆσθαι, πλείστῳ καὶ δοκίμῳ ὄντι. Hæc vox ſæpe occurrit hoc ſenſu in verſione Septuaginta interpretum, quam Macedonicam æque fuiſſe liquet, ſive Syri fuerint natione illi ſeniores LXX. ſive Alexandrini & Ægyptii. Idem: Ῥύμη, καὶ τοῦτο οἱ μὲν Ἀθηναῖοι ἐπὶ τῆς ὁρμῆς ἐτίθεσαν. Οἱ δὲ νῦν ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ στενωποῦ. Δοκεῖ δέ μοι καὶ τοῦτο Μακεδονικὸν εἶναι, ἀλλὰ στενωπὸν καλεῖν χρή, ῥύμην δὲ τὴν ὁρμήν. Damnat hanc vocem ῥύμην pro vico vel angiporto urbis accipiendam, cum impetum apud Atticos ſignificet. Macedonibus autem illo modo qui vitioſus eſt, eam accipere ſolitos. Ita ergo ponitur apud interpretes Veteris Teſtamenti, & auctores Novi. Sed nec minus apud optimos etiam ſcriptores qui lingua communi uſi ſunt, ſic uſurpatur. Polybius aliique ſic utuntur. Vnde verbum ῥυμοτομεῖσθαι de urbibus & caſtris, quarum viæ rectè degrumatę ſunt, ut loquũtur auctores rei Gromaticæ. Nihil vero ſolent critici illi Atticiſtæ pro Græco & recto recipere niſi quod Atticũ ſit vetuſtum. Quippe illis τὸ ἑλληνικὸν, & τὸ ἑλληνίζειν ἐν τῷ ὀρθῶς διαλέγεσθαι ponitur, cum olim poſitum cenſeretur ἐν τῷ γένει τῆς φωνῆς, ut notavimus ſupra ex Dicæarcho. Communis autem ſive ἑλληνικὴ dialectus, quæ recta & pura putaretur, petebatur tunc ex libris, non

Digitized by Google

ex vulgari qui eo tempore obtinebat loquendi uſu. Nam jam tum deſciverat ab antiquo nitore proprius Macedonum Ἑλληνισμὸς, non minus quam Ἀττικισμὸς, & Δωρισμὸς, aliarumque Græciæ dialectorum idiotiſmi. Macedonibus ſucceſsêre Romani in imperio Græciæ ac totius Aſiæ, obtinendo, qui univerſum orbem fecêre tandem Romanum. Per eos lingua Græca & communis, etiam impurior facta quam dudum fuerat, ut Romanis innumeris quà vocibus quà loquutionibus inquinata. Sic tamen multo quoque communior evaſit quam erat. Totum orbem quem devicerant, coloniis occupavêre. Atque, ut loquitur Seneca, ubicunque vicit Romanus, habitavit. Præterea præſides ac rectores qui jus dicebant in provinciis Romanorum nomine, Græco ſermone communi qualem Macedones reliquerant, utebantur. Ita paulatim ſermo ille invaluit, & omnes dialectorum varietates aboleſactæ ſunt. Qui optime ſtudebant Græce loqui & ſcribere ex operibus partim auctorum, qui Atticè ſcripſerant, partim eorum qui communi lingua Græca puriſſime libros compoſuerant, Helleniſmum ſuum & Atticiſmum hauriebant. Nam nullus amplius tunc vigebat in vulgari loquendi conſuetudine, quæ in totum mutata & corrupta habebatur. Eo poſtremo deventum eſt temporis progreſſu, ut tollerentur omnes dia-

lecto-

lectorum differentiæ apud Græcos,& uniformis facies Græci ſermonis per univerſam Græciam diffunderetur, eaque corruptiſſima. Si quis hodie in vulgari Græca requireret dialectorum illam quadripartitam varietatem quę olim obtinuit, Iadis, Atthidos, Doridis,& Æolidis, fruſtra eſſet. A multis retro ſæculis ea ſublata & abolita linguarum diſcrimina conſtat. Tempora Iuſtiniani ſumamus. Quis ævo illo meminit Doricæ linguæ, aut Æolicæ, aut Ionicæ, quæ ulla in regione Græciæ frequentaretur vulgo? Nec Atticæ quidem ullum remanebat veſtigium in ipſa Attica. Sed nec communis, quę quidem pura foret, uſpiam tum in uſu erat, apud ullas Græciæ gentes, quæ ex libris tantum ediſcenda reſtabat. Ideò qui de dialectis tractarunt illa tempeſtate Græci Grammatici, cum exempla referenda ſunt Ionicæ, aut Doricę, vel Æolicæ Atticæ ve dialectorum, non dicunt eas dialectos vigere in Attica, Æolide, Ionia, vel Doride. Nec ſanè poterant. Nulla enim tunc temporis Æolis recenſebatur aut Ionia inter provincias Aſiæ. Cariam & Troadem Myſiamque vetuſta gentium nomina, priuſquam Æoles & Iones eas regiones occupaſſent, illius ætatis Geographi & Hiſtorici pro noviſſimis reponunt. Ne Doridis quidem ullam faciunt mentionem. Atticæ ſolum nomine tenus ſupererat. Sed lingua Attica vetus & pura qualem

oratores detonarunt, dum Philippum armis Demoſthenis impugnabant, pridem exterminata faceſſerat. Pro locis & populis in quibus ſingulæ dialecti viguerunt, citant auctorum nomina qui iis dialectis uſi ſunt, Ariſtophanem & Demoſthenem qui Attica, Archytam Tarentinum & Theocritum qui Dorica, Alcæum qui Æolica, Herodotum qui Ionica. Magnum hoc argumentum eo tempore quo de dialectis ſcripsêre illi Grammatici, nullum amplius extitiſſe populum qui eas uſurpaverit. At Strabo, cujus ætate adhuc gentes erant Græciæ, quæ variis illis dialectis utebantur, non ita loquitur, nec auctores vetuſtos allegat, qui pro canone habendi ſint ſinguli ejus dialecti qua uſi fuerant. Dicit ſimpliciter totidem generatim eſſe Græciæ nationes, quot erant notæ ejus dialecti. Vnaquæque natio Canon habebatur ejus dialecti quam uſurpabat; Doris Doricæ, Æolis Æolicæ, Atthis Atticæ, Ionia Ionicæ. Quo tempore Pindarus ſcripſit, ea lingua quâ ſcripſit, omnis Bœotia utebatur. At ævo Philoponi & Corinthi, penitus ignorabatur ea lingua qua ille ſublimis ſpiritus poëta carmina ſua compoſuit. Quod uterque diſertè fatetur, eam παντελῶς ἀγνοεῖσθαι. Adeo certè ipſis ignota fuit, ut nec magis ſciſſe videantur qualis κοινὴ fuerit, quæ eadem cum Ἑλληνικῇ vetuſta. Nam κοινῇ ſcripſiſſe volunt eundem Pindarum

quem

quem omnes affirmant Doride lyram temperaſſe, vel ut ipſe dicit, Æolide, quia illius temporis Doris eadem erat cum Æolide. Magnum etiam hoc argumentũ differentias quattuor dialectorum illo in tempore nullas fuiſſe cognitas, quod veras definitiones dialecti inverterunt, quia non quadrarent cum dialectis quibus olim conveniebant. Cum dialecti vigebant, cum loca erant in quibus frequentabantur, & populi qui eas proloquerentur, tum recta quoque habebatur definitio, quæ ſtatuebat, διάλεκτον eſſe χαρακτῆρα γλώττης τοπικὸν aut ἐθνικόν. Characterem linguæ localem, aut nationalem. Nulla quippe tum dialectus dabatur quin locus etiam daretur, in quo uſus ejus vigeret, & natio quę ea uteretur. Aſt ubi varietas illa dialectorum ex omnibus Græciæ locis & gentibus deleta eſt, parum viſa eſt convenire talis definitio talibus dialectis, utpote quæ nec locum in quo ſubſiſterent, nec nationem apud quam florerent, poſſent oſtendere. Sed cum generalis ſit ejuſmodi dialecti definitio, & ad qualemcunque tunc vigentem viventemque dialectum poſſet pertinere, debuiſſe eam retinere videntur. Hanc fortaſſe rationem habuerunt antiquæ ejuſmodi definitionis dialecti cuſtodiendæ, quia putarunt διάλεκτον proprie de Græcis tantum dici loquendi varietatibus, cum Barbaricæ omnes non διάλεκτοι, ſed γλῶσσαι dici

Digitized by Google

deberent. Quod eſt ſummopere ridiculum. Hoc tamen illis placuit. Sic ergo definierunt dialectum, ut deſitis & oblitteratis, nec in ulla amplius gente comparentibus nec ullo in loco conſiſtentibus dialectis poſſet aptari definitio: Διάλεκτος ἐστὶ λέξις ἴδιον χαρακτῆρα τύπου ἐπιφαίνουσα. Proclive quidem eſſet reponi: Χαρακτῆρα τόπου ἐπιφαίνουσα, *dictionem eſſe qua proprium Characterem loci vel regionis oſtendit*. Sed apparet ita voluiſſe auctorem ut ſcriptum eſt. Eum quoque ſequutus eſt Corinthus, ita definiens: Διάλεκτός ἐστιν ἰδίωμα γλώσσης. Ἢ Διάλεκτος ἐστὶ λέξις ἴδιον χαρακτῆρα τύπου ἐμφαίνουσα. Et prior quidem finitio recta eſt. Altera cum Philopono ſtatuit dialectum eſſe *dictionem, qua proprium characterem forma oſtendit*. Quid hæc ſibi volunt? Nonne τύπος & χαρακτὴρ idem eſt? Quid eſt χαρακτὴρ τύπου? Apparet eos Grammaticos ita eam definitionem immutaſſe, & χαρακτῆρα τύπου pro χαρακτῆρα τόπου poſuiſſe, quia non jam conveniret dialectis nullum amplius locum habentibus, hujuſmodi definitio. Atqui veteres Grammatici à quibus hæc illi acceperunt, ita definierunt dialectum. Διάλεκτος ἐστὶ λέξις ἴδιον χαρακτῆρα τόπου ἐμφαίνουσα, *Dialectus eſt dictio qua proprium loci oſtendit characterem*. Ita legitur apud Clementem Alexandrinum in Stromateo primo. Atque hæc veriſſima dialecti finitio. Locale nimirum eſt

ac

Digitized by Google

ac gentile loquendi genus. Idem Philoponus de communi agens, ubi rationes eorum adfert qui negabant eſſe dialectum, ſcribit, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἔχουσα τύπον, ἀλλ᾽ ἐκ διαφόρων λέξεων συνηθροισμένη, μεταπλώσεις γὰρ αὐτῆς οὐχ εὑρίσκονται. *Quod non habeat formam, & quod immutationes ipſius non inveniantur.* Ridiculum eſt quod ait, non habere eam τύπον ſive χαρακτῆρα. Nulla lingua eſt ſine charactere vel forma. Hic ejus τύπος eſt, hæc proprietas, hoc ipſo χαρακτηρίζεται, quod à cæteris quattuor dialectis differt. Non eſt Æolica, nec Dorica, non Attica, nec Ionica, ſed Κοινή. Hic ejus τύπος. Olim vocabatur Ἑλληνική cum ἕλληνες proprie dicerentur Theſſaliæ & Macedoniæ incolæ. Tum quoque τύπον habebat, & formam differentem à reliquis dialectis quæ ab ipſa prodierunt. Vt Ionica cum ab Attica ſejuncta eſt, ex migratione Ionum Atticorum qui Aſiaticos Iones produxerunt, mutatione loci, lingua quoque τύπον & χαρακτῆρα mutavit, & alia facta eſt ab Attica quæ eadem erat. Sic cum una eſſet lingua Hellenica Phthiotarum Theſſalorum, miſſis inde in diverſa loca coloniis, quattuor dialectos differentis inter ſe formæ peperit, matrici etiam diſſimiles. Ita cum ſingulæ ſuum τύπον haberent à τύπῳ primitivæ Hellenicæ differentem; & ipſa quoque ſuum ſibi & proprium charactera obtinuit, quo diſſimilis erat dialectis ex

ſe natis. Vbi autem κοινὴ eſſe cœpit, & uſitata in omni Græcia, tum dialecti nomen cum re perdidit. Habuit quidem χαρακτῆρα & τύπον, ſed non ἴδιον τόπον, quæ jam ubique locorum diffuſa eſſet, & nullis finibus circumſcriberetur. Sine dubio auctor, à quo accepit Philoponus, vivebat cum jam Ἑλληνικὴ διάλεκτος erat κοινὴ, & cum cæteræ dialecti quattuor adhuc in ſuis locis vigerent. Ideo cum ille diſputaret κοινὴν γλῶτταν non eſſe dialectum, nec pro dialecto haberi debere, hanc rationem afferebat, ὅτι οὐκ ἐστὶν ἔχουσα τόπον. Quod locum non haberet, nec ulla extaret regio cujus propria eſſet ac peculiaris dialectus. Non igitur in eam poſſe cadere aut convenire definitionem dialecti, quæ determinat, διάλεκτον eſſe, λέξιν ἴδιον χαρακτῆρα τόπου ἐμφαίνουσα. Nullus enim jam τόπος erat, cui peculiariter ac proprie adſcribi poſſet, cum omnium locorum Græciæ eſſet communis. Præterea addebat idem ille auctor de communi lingua Græca, ταύτης μεταπλάσεις οὐχ εὑρίσκονται. Hoc proprium omnium linguarum eſſe diximus quæ ab uſu locali aut nationali receſſerunt, quæque *mortua* vulgo appellantur, & ex libris tantum ediſcendæ ſunt. Pridem cum illa ſcriberet auctor, communis illa ſive Ἑλληνικὴ lingua in uſu eſſe deſierat in certo loco ac gente. Nullæ ejus μεταπλάσεις tenebantur, quia dudum exoleverat, ſervata tantum

tantum in libris & ſcriptis auctorum. Nam de ea præcipuè intellexêre Grammatici, qui ſcribunt ταύτης μεταπτώσεις οὐχ ὑπείκεσθαι. Illa quippe communis quæ in orę omnium verſabatur, ut ſemper in motu erat, ita plurimas μεταπτώσεις ſubinde paſſa eſt, donec recideriт in barbariem, quam hodie perpetitur. Quid propriè ſit μετάπτωσις in verbis & linguis, Strabo indicat lib. XII. Καὶ ταῦτα, inquit, τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις πολλὰς δεχομένων, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς βαρβάροις. Σίντιες γὰρ ἐκαλοῦντό τινες τῶν Θρᾳκῶν. εἶτα Σάϊοι. Sic Ἄλυβας Χάλυβας & Χαλδαίους per ejuſmodi μεταπτώσεις eoſdem eſſe ſciſcit. Ex μεταπτώσει porro nominum conſequitur, totius linguæ ſive dialecti μετάπτωσις. Olim *Oetier* dicebant Romani, poſtea *uti* dixêre. Sic lingua mutata eſt in aliis ſimilibus numero carentibus. Sed quod ait Philoponus, τὴν κοινὴν τύπον οὐκ ἔχειν, ideo non eſſe numerandam inter dialectos, reliquæ quattuor dialecti eo tempore quo ſcripſit, nec τύπον magis habuêre, nec τόπον, quam illa Κοινή. Quod ad τόπον attinet, certum eſt nullum tunc extitiſſe locum vel regionem in qua uſurparentur viva loquentium voce. Et hæc cauſa eſt cur veterem definitionem dialecti immutarit, ut ante diximus, & τόπον verterit in τύπον. Aliam etiam adfert definitionem quam non minus ob eandem rationem vitiavit. Διάλεκτός ἐστι λέξις ἴδιον ἢ

κοινὸν ἐπιφαίνουσα χαρακτῆρα. *Dialectus dictio eſt, proprium aut communem præferens characterem.* Nihil vitioſius hac definitione. Cum enim duo contraria eadem finitione comprehendi nequeant, hoc vitio iſta laborat. Quid enim tam contrarium quam proprium & commune? Vt accommodaretur definitio tempori quo ſcribebat, detraxit vocem ἔθνους. Sic enim plena erit & recta, prout à veteribus data eſt: Διάλεκτός ἐστι λέξις, ἴδιον ἢ κοινὸν ἔθνους ἐπιφαίνουσα χαρακτῆρα. *Dictio eſt proprium & communem gentis oſtendens characterem.* Ita rectè conſtabit. Nam reſpicienti ad gentes quibus communis non eſt dialectus, propria tantum eſt illius ad quam pertinet. At reſpectu ipſius gentis cujus propria eſt, totius illius gentis etiam communis eadem habetur. Quod collegii alicujus proprium eſt, etiam ad omnes qui collegæ ſunt, in commune ſpectat. Eademque res & propria ſimul eſt collegii & communis. Et propria quidem collegii dicitur, quamvis & communis ſit, quod ad alia collegia non ſpectat, ſed ad unum illud cujus eſt propria. Quis non videt Philoponum ex definitione ſubtraxiſſe vocem ἔθνους, quia non amplius id cadebat in dialectos oblivias, ut erant illæ quattuor eo tempore? Nulla quippe gens aut natio tunc fuit, quæ aliqua earum uteretur. Congruebant igitur illæ definitiones dialectis, viventibus vigentibuſque,

que,

que, non mortuis nec obliteratis. Non tamen debuit ad eam faciem invertere definitiones ſupraſcriptas, quia ut eas concepit, nec vivæ alicui linguæ, nec mortuæ competunt, & abſurdæ falſæque ſunt. Nonne tunc aliæ multæ dialecti reſtabant de quibus eadem definitio uſurpari poterat? Has linguas, & γλώττας eſſe perhibebant, non διαλέκτους. Sic enim notant διάλεκτον proprie de Græcis dici. Τὰς μὲν οὖν βαρβάρους ἐν πλήθει οὔσας καὶ ἀπεριλήπτους οὐκ ἐστὶ ῥᾴδιον παραδοῦναι. Ἄλλως δὲ οὐδὲ λεκτέον αὐτὰς διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας. Eadem paucis mutatis habentur apud Clementem in primo Stromateo, de Græcis, ita ſcribentem: Διαλέκτους δὲ εἶναι παρὰ σφίσι πέντε Ἀτθίδα, Ἰάδα, Δωρίδα, Αἰολίδα, καὶ πέμπτην τὴν κοινήν. Ἀπεριλήπτους δὲ οὔσας τὰς βαρβάρων φωνὰς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας λέγεσθαι. Quæ ſunt abſurdiſſima, quiſquis auctor illa primus protulit, ac falſiſſima. Quaſi Barbari linguam habeant, dialectum non habeant, quæ ſola adſit Græcis, tanquam ſi Græci ſoli διαλέγεσθαι dicerentur, non etiam Barbari, optimi quique auctores Græci paſſim διαλέκτους vocant, etiam βαρβάρων γλώσσας. Ioſepho διάλεκτος Ἑβραϊκὴ & Ἰουδαϊκὴ dicitur, cum Iudæi ſint barbari Græcis. Philo in libro de confuſione linguarum, διαλέκτους Barbaris tribuit, διαλέγεσθαι eos dicit, ut Græcos. Ἕλληνες ἕλλησι, καὶ βάρβαροι νυνὶ βαρ-

Digitized by Google

βάροις ὁμόγλωττοι διαλέγονται. Ipſe ille Clemens qui hîc negavit dialectos eſſe barbarorum, paulò infra eas attribuit Barbaris, his verbis: αἱ δὲ πρῶται καὶ γενικαὶ διάλεκτοι, βάρβαροι μὲν, φύσει δὲ τὰ ὀνόματα ἔχουσι. Qui ſermonem dabit Barbaris, & λόγον & διάλεξιν & λέξεις, det his etiam oportet τὴν διάλεκτον. Si quid differentiæ ſit, inter γλῶσσαν & διάλεκτον. Nam & dialectos Latini *linguas* vertunt, nomen γλώσσης videtur eſſe generalius quam διαλέκτου. Nam γλῶσσαν Ἑλλήνων vocat Herodotus generali appellatione quę omnes ejus dialectos comprehendit, ut cum ait τὸ ἑλληνικὸν ἐπείτε ἐγένετο, αἰείκοτε τῇ αὐτῇ χρέεσθαι. Vbi vides γλῶσσαν etiam dici de Græcorum loquela. Et paulo ante γλῶσσαν etiam de barbaris ut de Græcis poſuit, de Pelaſgis loquens, ὅτι τὸν εἰνείκαντο γλώσσης χαρακτῆρα μεταβαίνοντες ἐς ταῦτα τὰ χωρία, τοῦτον ἔχουσιν ἐν φυλακῇ. Ita γλῶσσαν & διάλεκτον auctores indifferenter uſurpant tam de Græcorum, quam de Barbarorum loquela. Niſi quod, ut dixi, verbum γλῶσσα generalius videtur, διάλεκτος magis ſpeciale de παραγωγῇ cujuſque linguæ. Nam διάλεκτος, ut ante docui, non eſt διάλεξις, ſed διάλεκτος γλῶσσα, differens lingua, ἀπὸ τοῦ διαλέγειν, quod eſt diſtinguere ac diſcernere. Et ſic διάλεκτος etiam ad Barbaros pertinet, ſiquidem in una Barbarica lingua, etiam plures ſermonis quaſi

ſectæ

Digitized by Google

ſectæ reperiuntur. Cujus rei fidem facit lingua Germanica ſive Teutiſca, cujus plures ſunt χαρακτῆρες, Belgicus, Danicus, Suecicus, Helveticus & alii. Brevius διάλεκτον definiebant quidam ad hunc modum: Λέξις ἐστὶ ἐθνικῷ χαρακτῆρι συμπληρουμένη. *Dictio eſt quæ gentis charactere conficitur.* Poteſt etiam brevius definiri, διάλεκτος eſt ἐθνικὸς χαρακτήρ. Vt enim ποιητικὸς χαρακτὴρ de dictione poëtica, & ῥητορικὸς de oratorio, & Θουκυδίδου χαρακτὴρ & Ἡροδότου de ſtilo Herodoti & Thucydidis, ita eloquendi genus quo natio tota utitur, poteſt dici ἐθνικὸς χαρακτήρ, ſed & τοπικός. Hæc ergo inter ſe reciprocantur, & σχετικῶς connectuntur, ἔθνος & διάλεκτος: τόπος & διάλεκτος. Nullus eſt locus vel regio quæ modo incolas habeat, quin etiam certo & proprio ſibi loquendi genere cenſeatur. Nulla gens eſt aut populus ſine dialecto, ut nulla viciſſim dialectus eſt quin populum vel gentem habeat, qui ea utatur, aut ea aliquando uſa ſit. Nam ubi gentes extinctæ ſunt & deletę, remanet nihilominus interdum eorum dialectus, ſi monumentis litterarum fuerit conſervata. Dialectus ergo non eſt, niſi quæ ſit aut fuerit cujuſcunque gentis aut populi linguæ idioma. Ideo inter veteres auctores conſtitit, totidem linguas quot gentes fuiſſe. Clemens Alexandrinus Stromateo primo: Ἔφορος δὲ καὶ ἄλλοι πολλοὶ τῶν ἱστορικῶν, καὶ

ἔθνη

ἔθνη καὶ γλώσσας πέντε καὶ ἑβδομήκοντα λέγουσιν εἶναι ἐπακούσαντες τῆς φωνῆς Μωσέως λεγούσης, ἦσαν δὲ πᾶσαι αἱ ψυχαὶ ἐξ Ἰακὼβ πέντε καὶ ἑβδομήκοντα, αἱ εἰς Αἴγυπτον κατελθοῦσαι. Mox ſubjicit ex vera ratione, ſeptuaginta & duas eſſe γενικὰς dialectos: Φαίνονται δὲ εἶναι καὶ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον αἱ γενικαὶ διάλεκτοι δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδεδώκασι γραφαί. Totidem ſane gentes linguaſque ex natis ac nepotibus Noaci, quos totidem ſcripturæ commemorant, ortas eſſe tradunt auctores ſacri. Vigintiquinque è Semo proceſſiſſe, ex Chamo triginta duas, ex Iapheto quindecim. Sic fiunt ſeptuaginta duæ nationes cum totidem linguis ſive γενικαῖς dialectis. Sed certum eſt, multas gentes in his memorari quæ una γενικῇ dialecto contineantur, ut Theſſali quos à Thubalo Iapetide, qui eſt Deucalion Græcorum, deducunt, Macedones quos à Chetaino Iapeti filio derivant, Græci ſive ἕλληνες, quos à Iavane qui eſt Ion, oriundos faciunt: Siculi quos ab Eliſſa deſcendere volunt. Hi omnes populi Græce loquebantur, & una γενικῇ dialecto utebantur in plures ἰδικὰς diviſa. Plures igitur ex eorum ſupputatione gentes quam linguæ. Quod & incertus auctor apud Iſidorum in originibus obſervat his verbis: Si antiquiora repetantur quo illi populi nondum linguæ Græcæ uſum acceperant, potuit fortaſſe fieri ut totidem gentes nume-

Digitized by Google

numerarentur quot linguæ,& tot linguæ quot gentes. Quod tamen valde incertum eſt. Eadem res refertur apud alios auctores Eccleſiaſticos de hoc numero gentium & linguarum γενικῶν à nepotibus Noacidis deductarum, ut apud Epiphanium. Quibus quam tuto credi poſſit, neſcio. Recipit ſane multas difficultates ac dubitandi cauſas hæc narratio. De qua alibi erit dicendum. Si verò ſeptuaginta duæ fuêre γενικαὶ dialecti, totidem fuiſſe gentes ac nationes oportet. Hæ γενικαὶ dialecti nullam inter ſe habuiſſe debent affinitatē, haud magis quā lingua Græca cum Hebraica, aut Ægyptiaca vetus cum utraq;, aut Germanica cum Latina, vel hæc cum Perſica. Vnaquæque harum ita γενικὴ eſt, ut in plures dividatur ſpeciales. Syriaca ad Hebraicam relata γενικὴ non eſt, ſed videtur diverſa tantum ab ea dialectus, ab una origine deflexa, ut Arabica, cujus utriuſq;, Arabicæ & Syriacæ, matrix eſt Hebraica, eo modo quo Græca antiqua ſive ἑλληνικὴ quattuor dialectorum, Doridis, Atthidis, Iadis & Æolidis matrix eſt habenda. Ita de aliis. Nam, ut idem ſcribit Clemens ibidem, αἱ δὲ ἄλλαι αἱ πολλαὶ ἐπὶ κοινωνίᾳ διαλέκτων δύο ἢ τριῶν, ἢ καὶ πλειόνων γίνονται. Sed per hanc κοινωνίαν duarum aut trium dialectorum unam efficientium in Gręca lingua, plures quam quinque exire poſſunt dialectorum formæ. Nam prout aliqua dialectus propius ad matricem unde prodiit, aut

longius

Digitized by Google

longius ab ea receſſerit, ita varii ex eo formabuntur characteres. Vt autem in una gente nulli ſunt populi & urbes, nulla urbs in unaquaque provincia ac gente, quin etiam proprium idioma habeat. Ruſtici ipſi in agris ſub urbe poſitis conſiſtentes alio utuntur idiomate quam urbani. Herodotus in Ionia ſuo tempore quatruor diverſos characteres Ionicæ dialecti fuiſſe refert Ita enim ſcribit lib. I. ubi recenſet urbes Ioniæ, de Ionibus earum incolis loquens: γλῶσσαν δὲ οὐ τὴν αὐτὴν οὗτοι νενομίκασιν, ἀλλὰ τρόπους τέσσαρας παραγωγέων. Hos τρόπους παραγωγέων paulo poſt χαρακτῆρας appellat. Οὗτοι χαρακτῆρες γλώσσης τέσσαρες γίνονται. Ita plures Æolicæ linguæ fuerunt characteres, & Doricæ, de quibus nunc non eſt dicendi tempus nec locus. Aliter quippe Syracuſii Doricè loquebantur quam alii majoris Græciæ Dores, & hi aliter quam Lacones, & Lacones alio modo quam Cretes. Ita Æoliorum Bœotiorum alius character Æoliſmi fuit quam Ætolorum, & quam Æoliorum Aſiam habitantium. Τοπικὰς eas διαλέκτους vocat Philoponus in libro de dialectis, his verbis: Τῆς δὲ Δωρίδος, inquit, πολλαί εἰσιν ὑποδιαιρέσεις τοπικαί. ἄλλως γὰρ Κρῆτες διαλέγονται, ἄλλως Ῥόδιοι, καὶ ἄλλως Ἀργεῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι. Καθολικὰ δὲ αὐτῶν εἰσιν ἰδιώματα. Habent Καθολικὰ ἰδιώματα hi populi quibus agnoſcuntur omnes eamdem habere

com-

communem dialectum. Singuli tamen habent & propria peculiariaque ἰδιώματα quibus invicem diſcernuntur, ut Æoles Bœotii θιὸς dicebant, Lacones σιὸς, atque ita de cæteris. Nam & Laconum ſermo Æolicus, & Alcman, quem plerique volunt ſcripſiſſe Doricè, & in his Pauſanias, Æolica lingua uſum eſſe tradit Apollonius, ut alibi dicam. Sic γενικαὶ ſunt dialecti, & ἰδικαὶ & ἰδιωτικαί. Speciales ſunt eædemq; ἐθνικαὶ quę καθ' ἕκαστον ἔθνος cenſentur, ut Æolis, Doris, Atthis, & Ias. Ἰδιωτικαὶ quæ καθ' ἑκάστην πόλιν uſurpantur. Et ſic Poſidippus Comicus dialectos computat.

Ἑλλὰς μὲν ἐστὶ μία, πόλεις δὲ πλείονες.

Ipſius Ἑλλάδος γενικωτάτη eſt dialectus, ſive lingua quæ Ἑλληνικὴ dicitur. Hæc in quattuor gentes dividitur, Æolum, Atticorum, Ionum, Dorum, & totidem ſpeciales dialectos. Quot ferme urbes in ſingulis illis gentibus, totidem quoque ἰδιωτικοὶ linguæ characteres. Pollux lib. II. ἀλλὰ καὶ γλώσσης χαρακτῆρες, ὡς Ἡρόδοτος, καὶ γλῶτταν Ἑλλάδα καὶ βάρβαρον, καὶ Περσίδα, καὶ Ἀτθίδα, καὶ καθ' ἕκαστον ἔθνος καὶ πόλιν. Clemens autem non ſibi conſtat, qui cum κατ' ἀληθῆ λόγον, ſeptuaginta duas ſcripſiſſet eſſe γενικὰς dialectos, & totidem nimirum gentes quæ illis uterentur dialectis, ſtatim poſt ſubjicit. Ἀπεριλήπτους εἶναι τὰς βαρβάρους φωνὰς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας λέγεσθαι.

Hæc

Digitized by Google

Hæc contraria videntur, omnes totius orbis gentes & dialectos ſeptuaginta ac duarum numero comprehendi, & innumerabiles eſſe barbaras. An per illa ſeptuaginta duas, ſolas intellexit Græcanici generis? Profecto ſi quis percenſere velit omnes urbes Græciæ, & dialectos κτ̀ πόλιν numerare, etiam plures invenirentur. Sed non hæc ejus mens eſt. Nam illæ ſeptuaginta duæ dialecti γενικαὶ quæ totidem nationes habent, quarum linguis proferantur, Barbaras etiam cum Græcis gentes complectuntur. Verior paulo illa aſſertio, ἀπεριλήπτους eſſe τὰς βαρβάρους φωνάς, numero comprehendi non poſſe Barbaricas dialectos. Etenim ſi numerus ineatur earũ quæ in orbe nondum cognito uſitatæ ſunt, οὐκ ἀριθμητὰς pronuntiare eſt. Idque colligere licet ex dialectis novi orbis, & jam detecti. Plures longe in eo inveniuntur diverſæ dialecti quam in hoc noſtro orbe. Et ratio eſt, quia plures in eo diviſæ, & inter ſe hoſtili animo agentes gentes. Unaquæque natio quamvis non latis finibus concluſa propriam habet ac peculiarem linguam, quia cum vicinis non miſcetur. Cum ἀπροσμιξία ubique ferveat, inde linguarum multitudo. Duæ quippe res ſunt quæ linguarum paucitatem faciunt, & plures in unam confundunt. Vnius nempe in plures populos dominantis δυναστεία, & commerciorum ex vita civiliore & politiore nata communicatio.

Populi

Digitized by Google

Populi imperãtis lingua cum facile in reliquos ſubjectos prævaleat, ſic ex pluribus ac diverſis linguis una coaleſcit. Romani rerum Domini in Italia primum, ut una fieret lingua ex tam multis effecit, utque Sabini, Oſci, Tyrrheni, Apuli, Samnites, Galli Latine loquerentur, patriæ obliti linguæ. Eamdem Romanam linguam per totius Occidentis provincias ſibi ſubditas propagarunt abolitis nativis. Græcam in Oriente perdere cum non poſſent, corruperunt. Et hoc perdere eſt. Vſus porro commerciorum & vitæ civilioris, & converſationem amantis ratio, quam alteram cauſam fecimus paucitatis linguarum, Græcanicam linguam in magna parte Aſiæ & Europæ conſevit, exterminatis barbaris, quę ante colonias Græcorum in variis Græciæ locis obtinebant. Nulla porro ratione nec numero finiri poteſt quot in orbe & in genere humano linguæ eſſe poſſint. Infinitæ ſunt poteſtatè, non actu. Nam infinitæ poſſunt eſſe, ac pœne totidem quot hominum ſunt decuriæ. Si decem quippe homines in aliqua inſula ſoli ab infantili ætate mutorum aut mutarum miniſterio & opera uſque ad virilem educarentur, linguam ipſi ſibi formarent ex rebus quas cognoſcere & uſurpare poſſent, nulli alii ſimilem. Et ſi alii itidem decem homines in aliqua vicina inſula ſimiliter alerentur, qui cum prioribus illis denis nec colloquia un-

Digitized by Google

quam miſcerent, nec aditum ad eos haberent, aliam & iſti ſibi figurarent loquendi formam, prorſus diſparem. Et ita ad infinitum uſque. Hæc igitur potiſſima ſit ratio cur Helleniſtica, ſi ulla hoc nomine fuit dicta, non poſſit eſſe nec videri dialectus. Nulla dialectus ſine gente, vel eſt vel fuit. Nulla gens Helleniſtica unquam fuit. Nam eſſe nunc nemo dixerit. Nulla ergo dialectus Helleniſtica. Si quæ communis dicta eſt, ideo dialectis Græcanicis adnumerata non eſt, quia nec locum in quo uſurparetur, nec gentem quæ ea uteretur habuit, multo minus id Helleniſticæ congruat quæ ne de nomine quidem Veteribus fuit cognita.

FINIS.

Index

Digitized by Google

INDEX

Rerum, vocumque quarundam notabilium.

A.

ABuba Syru Tibia. 419
Achaorum origo. 288. propago. 291
Achiola apud Martialẽ. 205
Actaus primus in Attica regnavit. 322. nunquam fuit. 325
Æoles nullam vocem aſpirabant. 71
Æolibus trajectio literarum familiaris. 66
Æolii Theſſalia. 316
Æoliorum proprium. 369
Æolica dialecti exempla. 77
Aethlius primus regnavit in Peloponneſo. 319
Agellius politiſſimè ſcrip. 37
Ἀλλαγὴ ſeu permutatio nominum. 64
Ἀναπεσεῖν. 105
Ἀπέχει. 141
Apis Phoronei filius. 317
Apium unde dictum. 317
Aquila verſio. 120
Aram qua regio. 372
Arcades. 363
Argos duplex. 287. Danai. 301. Achaicum. 303
Κέλμις Scythis unus. 394
Arriani varius ſtilus. 83
Aſſur & Athur idem. 367
Attica & Ionica primis temporibus eadem. 413
Attici duplex ττ pro σσ uſurpant. 64

B.

B & Γ Æoles ſape permutant. 419
Babylonicam transmigrationem non poſſe appellari, διαπορεῖν. 223
Barus vel baro. 395
Baoti inter Æolios. 417
Βυνὸς, δυνὸς, Dunus. 112
Βρύγες & Φρύγες iidem. 395

C.

Cacozeli opponuntur Antiquariis. 89
Cadmus primus literas è Phœnicia in Graciam importavit. 33. nominis ratio. 335
Care oppidum. 315
Caranus Macedonis filius. 305.
Carthaginis nomina apud Gracos. 358
Cataclyſmus prior & poſterior. 310. revera unus. 311 efficitus è vero. ibid.
Chalcidiacum Schema. 147
Clazomenium Schema. 147.
Cognationum vocabula 395
Colophonium Schema. 147
Communis non eſt dialectus. 272.
Cretenſis Dorica alia. 430

Digitized by Google

Cybarità quatuor linguis uſi. 197

D.

DAæ & Daci. 398
Deucalion pro Thubalo. 338
Deucalion & Pyrrha. 283
Dialecti differentiam quæ conſtituant. 6. 7. definitio. 15. 450. 454.
Dialecti Græciæ. 271. quatuor Straboni. 150. quinta quando & cur addita. 152. ἐθνικαὶ ſeptuaginta duæ. 154. τοπικαὶ plures. 155.
Dialectorum differentia in ſingulis vocabulis conſiſtit. 61. quod exemplis probatur. 74. prima diviſio. 438. diviſionis cauſa principalis. 426
Διασπορὰ Ἑλλήνων quomodo accipienda. 220. Iudæorum. 223.
Diaſporam non poſſe appellari transſmigrationem Babylonicam. 223
Digamma. 388
Diluviũ Deucalioneũ. 299
Diogenes Laërtius plenus idiotiſmis. 107
Dores. 280. 281. à Tharſis derivati. 342. βραχυλόγοι. 393.
Dorica dialectus. 9
Doricam & Æolicam dialectum olim eandem fuiſſe. 417. 422.
Doris regio circa Parnaſſum. 278. 281
Dryopis. 280. 281
Duris celeberrimus auctor. 305.

E.

Ἦτα duplex E ſonat. 979
Elis filius Neptuni. 307
Ἑλισσὰ & Ἕλλην idem. 341 ab eo Siculi propagati. 342
Ἕλλην tribus modis accipitur. 165. in N. T. nomen eſt religionis. 218
Ἕλληνες veri. 353
Ἕλληνας & Ἑλληνιστὰς dici qui ἑλληνισμὸν profitentur. 139.
Ἑλληνισμὸς Oratoriæ facultatis prima. 51. ejus diverſæ acceptiones. 52. 54
Endymion. 307
Ephororum Decretum veteri Ionicâ. 81
Ephraim Syrus. 249
Epiſtola ad Hebræos Hebraicè ſcripta. 255
Ἐρεμβοὶ Homero Arabes. 372
Ἐσχάτως ἔχειν. 109
Euboicum Schema. 147
Εὐδοκεῖν. 119. εὐδοκία. ibid.
Εὐχήμων. 100
Exul quis ſit. 206

F.

Fers homo Scythis. 395

G.

GAlilæi ferè omnes è Palæſtina. 251.

Gali-

Galilæorum lingua diverſa à Iudæa. 197
Germanica & Parthica linguæ cognatio. 398
Germanorum proprium B pro Φ ponere. 395
Getæ & Teutones multa vocabula communia habent cum Græcis. 378
Græca lingua antiqua abundavit monoſyllabis. 390
Græca lingua multa mutuata à Phœnicibus. 403. *originem habuit in Theſſalià.* 365.405
Græca & Germanica linguæ affinitas. 398
Græcus Theſſali filius. 295
Graii unde dicti. 342
Gamma plerumque ſupplet vicem denſi ſpiritus. 376

H.

HEbræi & Iudæi iidem. 177
Hebræi quinam apud Lucam. 238
Hebraica lingua Chriſti ævo Syriaca. 181
Hecatæus Ionica dialecto ſcripſit. 41
Hellas propriè Theſſalia. 408
Hellen pater Græcorum. 271 *filius Phthii.* 273
Helleniſmi tria genera. 174
Helleniſtæ nomen convenit omnibus græcè loquentibus. 191
Helleniſtæ quorum mentio in Actis non fuerunt Iudæi origine. 176. ad 188
Helleniſticam nullam unquam fuiſſe. 2
Heſtiotica regio. 277
Hexapla quæ fuerint. 159
Hieroſolyma metropolis non tantùm τῆς ϑρησκείας ſed & πολιτέιας, 210
Hieroſolymitana Eccleſia è duobus generibus hominum conflata. 184

I.

IApetus Iaphet. 338
Idioticus character. 261
Indica vocabula Cteſiæ Perſica ſunt. 379
Ion & Iavan idem. 340
Ionicum Schema. 147
Ionum ſermo mollis, ut & veſtitus. 75
Ἶος annus à Scythico Iòn. 385
Iſis. 322
Iudæi tantum nomen ſortiuntur à locis in quibus degunt. 201. 209
Iudæorum diſtinctio in Palæſtinos & Babylonios. 230

K.

Καμμύειν. 106
Καλυμπλοιῶν 29
Καλχηδόνιοι. 103
Κοινὴ *dialectus.* 11. *ab aliis negatur*

Digitized by Google

negatur dialectus. 12. 17.

L.

LAconica dialectus Dorica. 81. vetus. ibid.
Latinæ voces antiquæ. 87
Αἶνος. 398
Λήθαργος pro oblivioſo. 102
Linguarum mutationes unde. 91.
Literæ additio initio, medio aut fini dictionis. 65. demtio eodem modo. ibid. trajectio. 66
Literarum commutatio in dialectis. 67
Lycoria. 326

M.

MAcedni. 277. ita Græci dicti, cum Pindum incoluêre. 279
Macedonica lingua. 443
Maſſagetæ. 399
Matthæi Evangelium ex hebræo verſum. 142. 181. hebraicè ſcriptum. 255
Megarenſes Dores. 417
Megarica dialectus Dorica. 78.
Μεγιστᾶνες. 110
Mœris Atticiſta non editus. 46

N.

N In Λ mutant Attici. 47
Νεοσσὸς & Νεοσσεύειν. 105
Novum Teſtamentum non fuiſſe ſcriptum ab Helleniſtis. 251. idea linguæ qua ſcriptum. 259
Numerorum nomina. 385

O.

OG nomen Syriacum. 335
Ogygus quis. 334
Ὀρθρίζειν. 101

P.

ΠΑιπάλωσις. 350
Parthi variarum regionum. 399
Parthorum & Perſarum idem nomen. 367
Partium corporis humani nomina. 396
Πεζὸς apud Paulum. 86
Pelaſgus filius Chlori. 298
Pelaſgi. 274. barbaro primum ſermone uſi. 275. 281. unde nomen habuerint. 285. 342. quomodo in Peloponneſum venerint. 301
Περίστασις. 109
Petrus priorem Epiſtolam ſcripſit è Babylone. 211. Romæ nunquam fuit. 213
Phoroneus. 308
Pindari dialectus. 27
Pindus urbs. 278. mons. 279
Πλατθατρὸς Syriacus. 416. 424
Poëticus ſtilus. 134
Por antiquis Puer 396.
Prometheus. 284. in Scythia regnavit. 323
Phthiotica univerſa Græcia antiquiſſima. 319

Phthius

Phthius. 307

Πλῶμα. 105

Puer latinũ, à παῖς græc. 429

Πύῤῥα *nomen regionis & urbis.* 297

R.

Ῥάπισμα. 104

Rhagan Graii. 342

Rocca. 398

Romani Æolũ propago. 294

Rotaciſmus Græcorum & Latinorum. 429

Runica litera unde. 382

S.

ΣΑπρὸν. 111

Scaliger ſolos Alexandrinos Helleniſtarum nomine inſignit. 214

Scaligeri ſententia refutata. 210

Σκύθης, Γέτης & Γοτθὸς *idem.* 368

Scythia ferè omnes gentes evomuit. 366

Septuaginta Interpp. Verſio qualis. 115

Septuaginta Seniores non fuiſſe Helleniſtas. 241. *eorum Verſio pura non extat.* 243. *Chriſti diſcipuli non ſunt eâ uſi.* 252

Sibyllina carmina haud vetuſta. 179

Sicilicum Schema. 147

Sinarũ lingua Scythica. 393

Syromacedonica dialect. 102

T.

T pro Σ ſcribũt Attici. 432

TabitiVeſta Scythis. 394

Teutonica lingua à Scythis orta. 374

Tharſis Dores. 342

Thebaicum & Pindaricum Schema. 147

TheodorusPoëtaIudæus. 204

Theſſalia Macedonia pars 356

Theſſalia nomen recentius. 304.

Thraces à Thera Thubalis fratre orti. 377

Transferendi modus duplex. 113

Triopas. 322

V.

VAſcones B pro V uſurpant, & contra. 62

Verba characterem dicendi generibus imprimunt. 76

Verba & voces non ſunt naturales, ſed διδακταί. 137

Verborum collocatio duplex. 125

Vocabula plebeia. 97. *in Novo Teſtam.* 98

Ξ.

Ξ *Pro Σ uſurpant Attici.* 432.

Errata

Digitized by Google

Errata quæ operarum incuria irrepſerunt ita corrigenda.

PAG. 6. lin. 8. leg. Σύγφαξις. Pag. 14. l. 17. ἑαυτοῦς. p. 31. l. 17. βελονοπώλης. 44. 21. δημαγωγοῦ virtutes recenſet. p. 53. 26. ἰδιώτερον. 75. 9. tractim. 76. 7. μεγάλην γνώμην καὶ διάνοιαν. 97. 12. *mannari* pro furari. *Manua*. 101. 12. videri poſſe. 136. 15. ἐμφαίνουσι 146. 6. ἰδίας παιδίον. ibid. 26. νεῶν. 147. 2. *Accepi Sacerdoti* pro. 156. 3. Septuaginta duabus 157. 22. ergo id obtendent? 171. 3. appellat. 172. 4. dabant; 173. 18. quorum ſecundo loco. 175. 18. *Hieroſolymitanorum* 179. 19. ἰεδαιολω. ibid. 27. cum illi, 182. 14. πολυλελαῦσθαι. 191. 8. de altera diei. 215. 5. & vere dictos. p. 224. l. 8. *Flaminii*. p. 229. l. 9. pro & leg. quæ communis. 287. *antepenult*. Lycaonem 289. 2. Erechthei 304. 20. Ponamus 304. 12. Lycaonis. 319. 24. Varroni. 325. 13. pro utrique leg. utique 340. 5. Deucalum. ib. 9. leg. Θωβὲλ ἐξ οὗ Θεσσαλοί. Sic Hebraice *Thubal* filius Iapeti, &c. 342. 19. *Rhagau*. 348. 4. de Ione. 352. 11. vocabatur Phthiotis. 365. 2. Græcanicæ. 376. 22. vicem ſupplet denſi ſp. 377. 21. Phryges illos 389. penult. *Seaſon* 390. 10. Nemo non dixerit. 393. 5. coluiſſe conſtat Heſtiæotin. 397. 2. ἀπαλλοτριουμένην 397. ult. doctos. 413. 21. Ἀτλίδα. 419. 23. quarum.

F I N I S.

Digitized by Google